SC. SUP. 25. Pl. 2.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE ROMA CASTRENSE
43
S F
13

Digitized by Google

Ad simplicem usum Fratris
[redacted]
Petri Angelici a Sospitello

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATIO
DE
RESTITUTIONIBUS
TOMUS SECUNDUS.

Digitized by Google

TRACTATIO
DE
RESTITUTIONIBUS

VENERABILIS SERVI DEI

BEATI ANGELI CARLETTI

A CLAVASIO PEDEMONTANI

ORDINIS MINORUM REGULARIS OBSERVANTIÆ SANCTI FRANCISCI

NUNC

PRIMO IN LUCEM EDITA, CONGRUISQUE NOTIS ILLUSTRATA STUDIO, ET LABORE

PATRIS FRATRIS HONORII MARENTINI

DE SUMMARIPA NEMORIS

EJUSDEM ORDINIS, ET PROVINCIÆ SANCTI THOMÆ APOSTOLI IN PEDEMONTIO.

TOMUS SECUNDUS.

ROMÆ MDCCLXXII.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

Digitized by Google

Decimus octavus Titulus qui eſt de Pignoribus , continet duas quæſtiones , ſeu duoDubia .

Primum Dubium`. Utrum utens pignore teneatur ?

Reſpondeo , quod ſi ex pacto inito pignus accipit , ut illo utatur , vel fructus percipiat , uſurarius eſt , Extra *de pignoribus* cap. *Illo vos* , & tenetur reſtituere , niſi ſit res , quæ inter amicos concedi ſolet , vel minimæ entitatis : quia id , quod modicum eſt , ratio nihil dicit ſecundo Phyſicorum .

(178) *Pignus appellatum a pugno : quia res , quæ pignori dantur , manu traduntur : unde etiam videri poteſt , verum eſſe , quod quidam putant , pignus proprie rei mobilis conſtitui* – Ita L.238. §. 2. ff. *de verborum ſignificatione* . Definitur iccirco – Contractus , quo res mobilis traditur creditori in aſſecurationem debiti . Pignus quandoque confunditur cum hypotheca ; ſed reipſa ab eadem differt non ſolum , quia pignus fere ſemper eſt rei mobilis , & rei immobilis hypotheca , verum etiam quia pignus traditur creditori , & hypotheca remanet penes debitorem . Id totum exhibetur Inſtitut. *de actionibus* §. 7. *Inter pignus autem , & hypothecam (quantum ad actionem hypothecariam attinet) nihil intereſt : nam de qua re inter creditorem & debitorem convenerit , ut ſit pro debito obligata , utraque hac appellatione continetur ; ſed in aliis differentia eſt . Nam pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus , quæ ſimul etiam traditur creditori , maxime ſi mobilis ſit . At eam , quæ ſine traditione , nuda conventione tenetur , proprie hypothecæ appellatione contineri dicimus* — : & ff. *de pigneratitia actione* L. *Si rem alienam* §. 2. — *Proprie pignus dicimus , quod ad creditorem tranſit : hypothecam , cum non tranſit , nec poſſeſſio ad creditorem* — . Fructus pignoris generatim loquendo computari debent in ſortem C. *de pigneratitia actione* L. 1. – *Ex pignore percepti fructus imputantur*

tur in debitum : qui ſi ſufficiunt ad totum debitum , ſolvitur actio , & redditur pignus - Si debitum excedunt , qui ſupererunt redduntur , videlicet nota actione pigneratitia — : & Extra *de pignoribus* cap. *Cum contra* — *Attendentes , quod in talibus perceptio fructuum in ſolutione ſortis accedat , cum ſecundum canonicas ſanctiones fructus reſtitui , & in ſortem debeant computari* — . Dixi generatim : quoniam ſi ſermo ſit de genero , qui a ſocero acceperit poſſeſſionem in pignus , fructus pignoris tunc non computantur in ſortem , ſed gener eos percipit tamquam intereſſe ad onera matrimonii ſuſtinenda , ſicuti definivit Inno. III. cap. *Salubriter* Extra *de uſuris* — *Sane generum ad fructus poſſeſſionum , quæ ſibi a ſocero ſunt pro numerata dote pignori obligatæ , computandos in ſortem non credimus compellendum : cum frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonii ſupportanda* — : dummodo tamen concurrant conditiones neceſſariæ , quemadmodum fuſe oſtendi in Anecdoto de Contractibus pag. *96.* & ſeq.

In caſu de quo Author , pignus accipiens ponitur dediſſe mutuum Domino pignoris , & cum hoc conveniſſe , quod utatur pignore , hujuſque fructus percipiat , ſuoſque faciat , uſquedum pignerator eidem reſtituat mutuum . Uſura ergo eſt aperta , & maniſeſtiſſima ; creditor enim pigneratitius lucraretur ex mutuo vi mutui — *Si plus , quam dediſti , expectas accipere , fœnerator es* — 14. q. 3. cap. 1. — *Quodcumque ſorti accedit , uſura eſt* — ibi cap. 3. — *Uſura eſt ubi amplius requiritur , quam datur* — ibi cap. 4. Dubio ergo procul reſtituere tenetur quicquid accepit , & computare fructus in ſortem , ſicuti definivit Alex. III. Extra *de uſuris* cap. 1. — *Et ſi quis alicujus poſſeſſionem data pecunia ſub hac ſpecie , vel conditione , in pignus acceperit , ſi ſortem ſuam deductis expenſis de fructibus jam percepit , abſolute poſſeſſionem reſtituat debitori . Si autem aliquid minus habet , eo recepto , poſſeſſio libere ad Dominum revertatur* — . Idem ſancivit Innoc. III. Extra *de pignoribus* cap. *Cum contra* .

Monitum tamen te volo , quod creditor pigneratitius ut uſurarius ſit cum conſenſu pigneratoris uti debet pignore in ſui commoditatem pretio æſtimabilem , quemadmodum animadvertit Panormitanus in cap. 1. *de depoſito* num. 2. puta ſi equo in pignus accepto uteretur ad longa itinera peragenda pro ſuis negotiis pertractandis . Quoniam ſi eo duntaxat uteretur ad itinera breviora , quum hoc concedi ſoleat inter amicos , & in hoc ipſo utiliter gereret negotium Domini , ne equus diutius in equili detentus morbo alicui fieret obnoxius , ſicuti perſæpe contingit : non auderem ipſum condemnare , & reipſa eumdem non condemnat Joannes Pontaſius ver. *Pignus* Caſu 1. , quem potes conſulere . Huc confert quod docuit S. Thomas 2. 2. q. 68. art. 2. ad ſextum — *Dicendum , quod ſi quis pecunia ſibi mutuata obliget rem aliquam , cujus uſus pretio æſtimari poteſt , debet uſum illius rei ille , qui mutuavit , computare in reſtitutionem ejus , quod mutuavit . Alioquin ſi uſum illius rei quaſi gratis ſuperaddi velit , idem eſt ac ſi pecuniam acciperet pro*

mutuo ,

Digitized by Google

mutuo, quod eſt uſurarium: niſi forte eſſet talis res, cujus uſus ſine pretio ſoleat concedi inter amicos, ſicut patet de libro accomodato —. Quid, ſi invito Domino utatur pignore in ſui commoditatem pretio æſtimabilem, vel fructus ejus percipiat? Uſurarius item eſt, ſi hoc faciat contemplatione mutui jam præſtiti, ſicuti eruitur ex definitione uſuræ, quam tradidit Hoſtienſis *de uſuris* num. 1. — *Quodcumque ſolutioni rei mutuatæ accedit ipſius rei uſus gratia pactione interpoſita, vel hac intentione habita in contractu, vel exactione habita ex poſt facto* —. Si autem hoc non agat contemplatione mutui, fur ipſe eſt, textu aperto ff. *de furtis* L. 54. in principio — *Si pignore creditor utatur, furti tenetur* —: & Inſtitut. *de obligationibus quæ ex delicto naſcuntur* §. 6. — *Furtum autem fit, non ſolum cum quis intercipiendi cauſa rem alienam amovet, ſed generaliter cum quis alienam rem invito Domino contrectat. Itaque ſive creditor pignore, ſive is, apud quem depoſita eſt, ea re utatur.... furtum committit* — . Quacumque poſtmodum intentione ita operetur, tenetur reſtituere quidquid in ipſius utilitatem fuit converſum.

Secundum Dubium. Utrum accipiens pignus teneatur, ſi ipſum amittit, vel deterius fiat?

Reſpondeo, quod ſic, ſi culpa ſua periit ff. *de pignoribus* L. ultima. Secus, ſi ex caſu fortuito, quia non tenetur, niſi ex pacto ita ſit conventum C. *de pigneratitia actione* L. *Quæ fortuitis*, & niſi ſit in mora. Non tenetur tamen regulariter, niſi de dolo, culpa lata, & levi, non autem de leviſsima, ut dictum eſt Dubio 2. tit. 16.

(179) Sola nonnullarum legum recitatio rem hanc reddet ultro perſpicuam, & comprobatam. Eas igitur accipe — *Si creditor ſine vitio ſuo argentum pignori datum perdiderit, reſtituere id non cogitur: ſed ſi culpæ reus deprehenditur, vel non probat manifeſtis rationibus ſe perdidiſſe: quanti debitoris intereſt, condemnari debet* — L. 5. C. *de pigneratitia actione*. — *Quæ fortuitis caſibus accidunt, cum prævideri non potuerint, (in quibus etiam aggreſſura latronum eſt) nullo bonæ fidei judicio præſtantur: & ideo creditor pignora, quæ hujuſmodi caſu interierint, præſtare non compellitur: nec a petitione debiti ſubmovetur, niſi inter contrahentes placuerit, ut amiſſio pignorum liberet debitorem* -- L. 6. ibidem. -- *Quidquid pignori commodi, ſive incommodi fortuito acceſſit, id ad debitorem pertinet* — L. 21. §. 2. ff. *de Pignoribus*. — *Creditor quoque, qui pignus accepit, re obligatur: quia & ipſe de ea re, quam accepit, reſtituenda tenetur actione pignoratitia. Sed quia pignus utriuſque gratia datur, & debitoris, quo magis ei pecunia credatur, & cre-*

& creditoris, quo magis ei in tuto ſit creditum: placuit ſufficere, ſi ad eam rem cuſtodiendam exactam diligentiam adhibeat: quam ſi præſtiterit, & aliquo fortuito caſu rem amiſerit, ſecurum eſſe, nec impediri creditum petere —. Inſtitut. *Quibus modis re contrahitur obligatio* §. ult. — *Venit autem in hac actione & dolus, & culpa, ut in commodato: venit & cuſtodia: vis major non venit* — ff. *de pigneratitia actione* L. *Si cum venderet* §. 1.

Et quoniam ſæpe de dolo, & lata culpa fit mentio, nota Regulas. Dolus eſt ſtudioſa machinatio, ut puta ſi commodatarius facit ſibi ſurripi rem commodatam ſuo doloſo ingenio, ut ff. *de dolo* L. 1., & ff. *de pactis* L. *Juris gentium*: & eſt contra jus bonæ fidei Extra *de depoſito* cap. *Bona fides*. Lata culpa eſt non intelligere quod omnes intelligunt, vel neſcire quod omnes ſciunt ff. *de verborum ſignificatione* L. *Latæ*, & ff. *de juris & facti ignorantia* L. *Regula*, & Extra *de poſtulatione Prælatorum* cap. 1., & Extra *de præſumptionibus* cap. *Quoſdam*, & cap. *Quanto*: puta dimiſit rem in platea, credens quod a nullo caperetur. Levis culpa eſt deſidia, ſeu negligentia, Inſtitut. *Quibus modis re contrahitur obligatio* §. 1. puta depoſuit pignus in domo, ſed recedens reliquit oſtium apertum. Leviſsima culpa eſt, quando aliquo modo poteſt prævideri L. *Si putator* ff. *ad legem Aquiliam*, & 50. diſt. cap. *Hi qui arbores*: puta depoſuit pignus in arca, ſed non firmavit eam cum clavi, quod ſi feciſſet, fur non ſuſtuliſſet: quia facultas peccandi furem facit inceſtuoſum Extra *de eo qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ* cap. *Veniens ad Apoſtolicam*. Caſus fortuitus eſt ille, qui prævideri non potuit Extra *de homicidio* cap. *Joannes*, & cap. ult., ſicuti incendium, ruina, naufragium, & rapina, C. *Commodati* L. 1., & dicta L. *Quæ fortuitis* C. *de pigneratitia actione*. Et de his omnibus vide Petrum Caſuel tit. *de commodato*. Nota etiam, quod caſus fortuitus non dicitur ignis, qui incipit in domo mea, & venit culpa aliquorum meorum L. *Nam ſalutem* ff. *de officio Præfecti vigilum*: bene vero, qui incipit

pit in alia domo, vel qui ponitur ab inimicis meis. Similiter furtum non dicitur caſus fortuitus L. *Cum duobus* §. *Damna* ff. *Pro ſocio*, & Inſtitut. *Quibus modis re contrahitur obligatio* §. finali; & ideo, qui tenetur de eo, non excuſatur: & hujuſmodi.

(180) Annotatione 129. jam fuſe explicui, quid ſint dolus, culpa lata, levis, & leviſſima: & ſuper hac re nonnulla pariter dixi annotatione 173. Hæc omnia potes recolere, quin idem ſine neceſſitate repetam. Unice igitur animadvertam poſtremum, quod hic docet Author, furtum nempe inter caſus fortuitos non eſſe recenſendum, reipſa legi §. ab eodem citato — *Quod ſi a furibus ſubreptum ſit, proprium ejus detrimentum eſt: quia cuſtodiam præſtare debuit, qui æſtimatum accepit* —. Sed cave, ne hoc intelligas, ut ſonat; intelligendum enim eſt, dum furtum contingit culpa ejus, qui rem debebat cuſtodire, ut appoſite Gloſſa ſuper eodem §., & ſigillatim ſuper ver. *ſubreptum ſit — Scilicet culpa ſocii interveniente. Et nota, quod quidam ſumunt hinc argumentum, quod furtum nunquam ſine culpa ſaltem leviſſima fieri poteſt: ſed verius contrarium eſt, ut infra DE FVRTIS L. CVM §. IDEM SCRIBIT. Quid enim ſi uxor nocte marito ſurripit, vel potatio ſibi datur, cui opium ſit immixtum? Et ſic nota quod furtum plerumque culpa ſit; ſed tamen quandoque contra. Item latrocinium, quod proxime ſupra inter caſus fortuitos numeravit, plerumque ſit ſine culpa, & dicuntur latrocinantes, qui in ſylvis ſtant, ut ſpolient tranſeuntes: fures de nocte in domibus &c.* —. Furtum igitur, ſi abſque aliqua cuſtodis culpa contingat, & ipſum inter caſus fortuitos erit adnumerandum, ſicuti adnumeratum revera fuit eod. §. *Damna* verbis proxime præcedentibus — *Ideoque ſi pecus æſtimatum datum ſit, & id latrocinio, aut incendio perierit, commune damnum eſt, ſi nihil dolo, aut culpa acciderit ejus, qui æſtimatum pecus accepit* —.

Quæres primo. An liceat pactum antichryſeos pignori adjectum?

℞. Solutio pendet ab acceptione vocis Antichryſeos. Si Anacleto fides lib. 3. Decretalium tit. 21. §. 2. num. 53., antichryſeos eſt pactum contractui pignoris adjectum, quo inter creditorem & debitorem convenitur, ut, donec debitum ſolvatur, creditor uti poſſit pignore, & fructus ex eo percipere. Ita vocabulum hoc exponitur a Lucio Ferraris ver. *Hypotheca* num. 32. Secus idem vocabulum exponit Joannes Pontaſius ver. *Pignus* caſu 4. inquiens — *Priuſquam ſolvatur quæſtio propoſita, opere pretium eſt tenere illud, quod apud Juriſconſultos ſub iſta voce Antichreſis paſſim circumfertur: eſſe fiduciarii alicujus fundi poſſeſſionem, quæ traditur a debitore creditori, ut ipſum pignoris loco habeat, eoque fruatur iſta conditione, quod fructus inde perceptos compenſet cum legitimis uſuris, quæ de-*

ben-

bentur a debitore, cui creditor reſtituere debet auctarium ipſorum fructuum, ſi debito plus excedere reperiantur: debitore ſemper extante oppignorati fundi proprietario, ac conſequenter Domino fructuum, qui in eo procreantur —. Hiſce præhabitis reſponſum eſt facillimum. Si in primo ſenſu vocabulum antichryſeos accipiatur, pactum illicitum eſt, & uſurarium, ſicut oſtendi Dubio primo hujus tituli, niſi in creditore habeatur lucrum ceſſans, aut damnum emergens, & tunc vera ſervetur æqualitas. Ratio eſt, quia debitor ſemper eſt Dominus pignoris L. *Pignus* C. *de pigneratitia actione* — *Pignus in bonis debitoris permanere, ideoque ipſi perire in dubium non venit* —. Ipſi igitur & non creditori fructificare debet. Secus creditor ſine titulo aliquid perciperet ultra ſortem, quod nedum iniquum eſt; ſed etiam uſurarium. Si poſtmodum vocabulum antichryſeos in ſecundo ſenſu accipiatur, & creditori revera debeantur uſuræ ex juſto titulo, non video, cur tale pactum improbari poſſit; iis enim eſt conditionibus munitum, ut veram, propriamque ſervet æqualitatem. Quoniam ſimul atque uſuræ ſunt legitimæ, ut ponitur, & auctarium, ſi quod eſt, Domino pignoris reſtituitur, nullam hic contractus redolet impietatem; nihil enim refert, quod debitor uſuras, ut ponitur, debitas ſolvat uſu, & fructu pignoris, vel pecunia aliunde habita. Fateor nihilominus rem hanc ex parte creditoris non vacare periculo; & præſertim ſi ipſe eſt, qui vult uti & frui pignore ad percipiendas uſuras ipſi debitas: quum eas alia via poſſit percipere, quin cogat debitorem ad tradendum pignus, etſi ſub conditionibus in expoſitione vocabuli declaratis.

Quæres ſecundo. An liceat pactum legis commiſſoriæ in contractu pignoris?

℞. Lex commiſſoria eſt pactum contractui venditionis adjectum, ut ſi intra certum tempus pretium non ſolvatur, res ſit inempta, & contractus ſit nullus, L. 2. ff. *de lege commiſſoria* — *Cum venditor fundi in lege ita caverit, ſi ad diem pecunia ſoluta non ſit, ut fundus inemptus ſit, ita accipitur, inemptus eſſe fundus, ſi venditor inemptum eum eſſe velit, quia id venditoris cauſa caveretur* —. In arbitrio igitur venditoris tunc eſt, lege commiſſa, ſeu pretio ab emptore debito tempore non ſoluto, vel pretium adhuc expectare, vel irritum habere contractum, & rem venditam cum fructibus repetere, L. 4. ff. *de lege commiſſoria* — *Si fundus lege commiſſoria venierit, hoc eſt ut niſi intra certum diem pretium ſit exſolutum, inemptus fieret: videamus, quemadmodum venditor agat tam de fundo, quam de his, quæ ex fundo percepta ſint: itemque ſi deterior fundus effectus ſit facto emptoris? Et quidem finita eſt emptio, ſed jam deciſa quæſtio eſt, ex vendito actionem competere, ut reſcripto Imperatoris Antonini, & D. Severi declaratur* —. Dixi venditoris; emptor enim eodem arbitrio non gaudet, ſed voluntati venditoris accomodare ſe debet vel invitus: quia alias quod in favorem venditoris introductum eſt, in ejus odium cederet, & detri-

men-

Digitized by Google

mentum. Pactum legis commiſſoriæ pignori adjectum illud cenſetur, quo debitor cum creditore convenit, ut, ſi intra certum tempus debitum non fuerit ſolutum, pignus ad creditorem pertineat, ſitque eidem venditum, vel datum in ſolutum. Ita exponitur ab Inno. III. Extra *de pignoribus* cap. *Significante* — *Significante R. cive Piſano nobis innotuit, quod cum domum ſuam G. Piſano civi pro* 250. *libris pignori obligaſſet, ac promiſiſſet præſtito juramento, quod niſi domum ipſam ſtatuto termino recolligeret, creditorem ulterius ſuper eo minime moleſtaret* —. Præmiſſa hujuſmodi declaratione, quæſito reſpondeo, quod pactum legis commiſſoriæ in pignoribus utroque jure improbatur. Jure canonico cap. *Significante* — *Cum igitur pactum legis commiſſoriæ ſit in pignoribus improbatum* — Jure item Civili ff. *de pactis pignorum* L. final., in qua ita Conſtantinus Imperator — *Quoniam inter alias captiones præcipue commiſſoriæ pignorum legis creſcit aſperitas, placet infirmari eam, & in poſterum omnem ejus memoriam aboleri. Si quis igitur tali contractu laborat, hac ſanctione reſpiret, quæ cum præteritis præſentia quoque repellit, & futura prohibet* —. Quod ſi poſtulas abs me: quare hoc pactum licitum ſit venditioni adjectum, illicitum autem ſi pignori adjiciatur: reſpondebit Panormitanus in cap. 7. *de pignoribus* num. 7. — Quoad ſecundum, quare reprobatur in pignoribus, duæ rationes communiter redduntur. Primo, quia obligatio pignoris ſolet fieri pro minori longe quantitate, quam res valeat: unde ſi valeret illud pactum, multum deciperetur debitor, qui cupiditate habendi mutuum, de facili iniret omne pactum. Unde voluit lex in hoc proſpicere utilitatibus ſubjectorum: quæ ratio ceſſat in contractu emptionis, nam communiter res venditur pro juſto pretio; & ideo ſi contractus diſſolvitur, non decipiuntur contrahentes. Alia ratio eſt, nam ſi valeret hoc pactum, creditor vix aut numquam mutuaret ſine iſto pacto, quod profecto continet in ſe crimen uſurarum: quia mutuans non debet ponere ſpem in lucro conſequendo cap. *Conſuluit* infra *de uſuris*. Sed in tali pacto creditor haberet ſpem conſequendi illud lucrum: quia haberet rem elapſo termino pro injuſto pretio: & hæc eſt bona, & efficax ratio..... quæ omnia ceſſant in contractu emptionis —.

Quæres tertio. An licitum ſit pactum, quo debitor cum creditore ita paciſcitur, ut, ſi intra tempus quoddam determinatum pretium non ſolvatur, pignus ipſo facto cenſeatur venditum, juſto tamen pretio, & quanti æſtimabitur arbitrio boni viri?

℞. Utique textu aperto ff. *de pignoribus* L. *Si fundus* §. ult. — *Poteſt ita fieri pignoris datio, hypothecæve, ut ſi intra certum tempus non ſit ſoluta pecunia, jure emptoris poſſideat rem juſto pretio tunc æſtimandam: hoc enim caſu videtur quodammodo conditionalis eſſe venditio* —. Optima eſt ratio, quam affert Panormitanus *de pignoribus* cap. 7. num. 6. — *Quia non decipitur hic debitor in pretio, ſed bonus vir, ſcilicet Judex, arbitrabitur juſtum pretium* —.

Quæ-

Quæres quarto. An pactum legis commiſſoriæ pignori adjectum, & ab utroque jure reprobatum, ut oſtendi, licitum ſaltem ſit, dum agitur de dote: ut Socer convenire poſſit cum genero, quod ſi intra certum aliquod tempus pecuniam non ſolverit, fundus genero datus in pignus eidem remaneat loco dotis?

℞. Affirmative reſpondent bene multi apud Anacletum lib. 3. Decretalium tit. 21., qui eſt de pignoribus, §. 2. num. 63. Eorum ratio eſt hæc: quia Socer pro libito poteſt aliquid in dotem adſignare, & poſtmodum plus dare quam promiſerat, ſicut ſæpenumero contingit. In hoc igitur caſu nulli fit injuria: dummodo ſocer id agat ſcienter, ac libere, nulla fraude, nulla ignorantia, nullo dolo deceptus.

Quæres quinto. Utrum licitum ſit hoc pactum pignori adjectum, quod ſi debitor tempore adſignato non ſolverit, poſſit creditor aliis pignus vendere, & ſi quid ſupra debitum ex venditione receperit, hoc ipſum ex integro reſtituat debitori?

℞. Ita ſane textu aperto ff. *de pigneratitia actione* L. 4. – *Si convenit de diſtrahendo pignore, ſive ab initio, ſive poſtea, non tantum venditio valet, verum incipit emptor dominium rei habere* –: & C. *de jure dominii impetrando* L. finali §. 1. – *Sancimus itaque, ſi quis rem creditori ſuo pignoraverit, ſi quidem in pactione cautum eſt, quemadmodum debet pignus diſtrahi, ſive in tempore, ſive in aliis conventionibus, ea obſervari, de quibus inter creditorem, & debitorem conventum eſt* –.

Quid juris, ſi pignoratio facta ſit ſine hoc pacto, & debitor ſtatuto tempore non ſolvat? Monendus eſt debitor, & expectari per biennium, quo elapſo, ſi ſolutio non ſequatur, pignus legitime venditur; ſubdit enim lex ultimo citata – *Sin autem nulla pactio intercesſerit, licentia dabitur fœneratori ex denunciatione, vel ex ſententia Judicis, poſt biennium, ex quo atteſtatio miſſa, vel ſententia prolata eſt, numerandum, eam vendere* –.

Sed quid, ſi in pignoratione cautum ſit, quod pignus non diſtrahatur, etiam ſolutione debito tempore non ſecuta? Pactum hoc juri naturali repugnat, quia nulli poteſt eripi facultas utendi re ſua. Lege quapropter in hoc caſu ſancitur, quod ter moneri debeat debitor, & quod ſi hoc non obſtante poſt biennium non ſolvat, pignus vendatur, ff. *de pigneratitia actione* L. 4. in fine – *Ubi vero convenit, ne diſtraheretur, creditor, ſi diſtraxerit, furti obligatur: niſi ei ter fuerit denunciatum, ut ſolvat, & ceſſaverit* –.

Deci-

Digitized by Google

Decimus nonus Titulus, qui eſt de ſolutionibus, continet ſeptem quæſtiones, ſeu ſeptem Dubia.

Primum Dubium. Utrum retinens mutuum ultra terminum præfixum teneatur ad intereſſe lucri ceſſantis?

Reſpondeo, quod ſic, ſi Dominus veriſimiliter lucratus fuiſset, computato tamen periculo, & hujuſmodi, judicio peritorum. Et hoc intelligo, ſi culpa ſua non ſolvit in termino. Secus, ſi ex neceſsitate, quia non potuit; tunc enim remittenda res eſt arbitrio boni viri, ut penſata amborum neceſsitate judicet. Si vero Dominus negotiatus non fuiſset, ſed tenuiſset in capſa dictam pecuniam, tunc uſura eſset lucrum recipere. Ad damnum autem emergens tenetur indiſtincte illi, cui non ſolvit in termino.

(181) Lucrum ceſſans habetur, cum quis, quia pecuniam mutuo dat, non lucratur id, quod lucratus fuiſſet, ſi non dediſſet mutuo: puta ſi Petrus, qui loca montium intendebat, aut emere fundum, aut alicui commercio operam dare, mutuam daret pecuniam iſtis uſibus deſtinatam, & ob hanc cauſam careret lucro, quod ex montibus, fundo, vel negotio veriſimiliter ſperabat. Damnum poſtea emergens habetur, quando quis ob mutuum præſtitum damnum aliquod in rebus ſuis tolerare cogitur: puta ſi Petrus eo quod mutuum dedit non poſſet domum ſuam reficere, & per conſequens vel eam non locare, vel locare deberet minori pretio: aut ob mutuum præſtitum ipſi ſtatuto tempore non ſolutum teneretur ab alio mutuam pecuniam accipere ſub uſuris. Nullus eſt, qui inficiari poſſit, in mutuo reperiri quandoque poſſe juſtos titulos recipiendi aliquid ultra ſortem; id enim perſpicue legitur in Encyclica Benedicti XIV. num. 3. quam integram dedi in Anecdoto de Contractibus pag. 314. & ſeq. — *Per hæc autem nequaquam negatur, poſſe quandoque in mutui contractu quoſdam alios, ut ajunt, titulos, eoſdemque ipſimet univerſim naturæ mutui minime innatos, & intrinſecos, forte concurrere, ex quibus juſta omnino, legitimaque cauſa conſurgat quiddam amplius ſupra ſortem ex mutuo debitam rite*

exigendi —. Inter hos certe principem locum tenent lucrum ceſſans, & damnum emergens, Theologo nemine diſſentiente, dummodo interveniant neceſſariæ quædam conditiones, quarum præcipuæ ſunt ſequentes. Ut ſit verum lucrum ceſſans requiritur. Primo, quod mutuum ſit cauſa vera & propria, cur lucrum ceſſet; ac proinde quod mutuator ante mutuum nedum habeat facultatem proximam lucrandi alia via juſta, ſed inſuper quod reipſa pecuniam illam jam deſtinaverit negotiationi, vel contractui alteri quæſtuoſo, & juſto: nec aliam tunc habeat pecuniam otioſam, videlicet non deſtinatam lucro faciendo, nec ſuſtentationi familiæ, nec doti filiarum, nec congruæ proviſioni ob caſus fortuitos, quibus omnibus prudens Paterfamilias debet proſpicere. Secundo, ut lucrum ſit vel certum, vel probabile; nam lucrum duntaxat poſſibile pretio æſtimabile non eſt, quum mere poſſibilium ratio non habeatur. Tertio, ut moneatur mutuatarius de lucro ceſſante, & hic in ejuſdem compenſationem conſentiat. Quarto, ut non exigatur totum lucrum, quod ſperatur, ſed duntaxat quantum valet ſpes illius judicio prudentum. Ut poſtmodum cenſeatur verum damnum emergens, hæ ſolent adſignari conditiones. Prima, ut mutuum ſit vera, & propria cauſa damni eventuri. Secunda, ut hoc damnum mutuatario proponatur, & hic conſentiat in illius compenſationem. Tertia, ut quod exigitur ſupra ſortem non ſit majus damno ſecuto ex mutuo. Quarta, ut non cogatur ad aliquid determinatum, ſimul atque mutuatarius ſe obligare velit ad compenſandum omne damnum, quod reipſa continget. Hiſce omnibus addi ſolet tum pro lucro ceſſante, tum pro damno emergente, quod mutuator non det mutuum ex motivo avaritiæ, & ut magis, aut commodius lucrari poſſit, ſed unice id faciat ex motivo caritatis, & benevolentiæ: mallens uti pecunia ſua, quam eandem mutuo tradere. Doctrina iſthæc omni eſt æquitati innixa: nam ſicuti mutuator nullum poteſt percipere lucrum ex re mutuo data, quia ſtatim tranſit in dominium alterius: ita nec debet ſuſtinere damnum, quia alteri gratificatur, ne quis damnum patiatur, unde videtur præmium meruiſſe, ſicuti loquitur Lucius III. Extra *de fidejuſſoribus* cap. 2.

Omnes hæ conditiones non requiruntur in caſu præſenti; non enim mutuator, quando mutuum præſtitit, monere poterat mutuatarium de damno emergente, vel de lucro ceſſante, quum ponatur, quod mutuum dederit omnino gratis, ſperans tunc, quod debitor ſtatuto tempore ſolveret. Titulus in eo exurgit duntaxat propter moram, & hanc vult Author non eſſe ſatis ad exigendum aliquid ultra ſortem, niſi inſimul interveniat lucrum ceſſans, vel damnum emergens. Optima ſane doctrina: quoniam tametſi generatim loquendo veriſſima ſit Regula 25. Juris in Sexto — *Mora ſua cuilibet eſt nociva*; in caſu tamen mutui ſola mora non ſufficit, ut noceatur mutuatarius: hic enim unice tenetur ad ſervandum mutuatorem indemnem, ad ſolvendum ei pro eo, quod intereſt, & continge-

Digitized by Google

ſingere ſæpenumero poteſt, quod mutuator ex mora nullum patiatur incommodum.

Docet inſuper Author, quod mutuatarius tenetur indiſtinctè quoad damnum emergens, & quoad lucrum ceſſans tenetur unice, quando mutuator lucrum veriſimiliter percepiſſet ex pecunia mutuata ſtatuto tempore non reddita. Et hoc eſt veriſſimum: quoniam lucrum ceſſans eſt fructus pecuniæ mutuatæ, & hic poteſt eſſe, vel non eſſe; nam alter contractus, puta negotii, emptionis &c., cui pecunia tradatur, & ex quo ſperari poſſit lucrum, poteſt eſſe paratus, aut non paratus, & unice poſſibilis, atque omnino remotus. Damnum autem emergens rem reſpicit ut plurimum a pecunia mutuata diſtinctam, puta imminutionem negotii, domum factam deteriorem, neceſſitatem accipiendi mutuum ſub uſuris &c. rem, uno verbo dicam, actualem, quæ iccirco vel omnino eſt, vel omnino non eſt.

Secundum Dubium. Utrum non reſtituens dotem tempore debito teneatur?

Reſpondeo, quod ſic: nam ſi ſunt res immobiles, ſtatim tenetur eas reſtituere: immo non ſolum rem, verum etiam fructus L. unica §. *Cum autem* ver. *Exactio* C. *de rei uxoriæ actione*, & L. *Fructus* ff. *ſoluto matrimonio*. Si vero ſunt res mobiles, tenetur eas reſtituere poſt annum. Et licet quoad res immobiles non cenſeatur in mora niſi per annum, tamen fructus earum, quos habuit infra annum, tenetur poſt annum eos reſtituere cum ipſis rebus ſecundum Salycetum, & Angelum in dict. §. *Cum autem* ... *Exactio*. Et hoc intellige de fructibus, qui proveniunt ex rebus, non autem ex induſtria: quoniam ſi quis cum pecunia aliquid fuiſſet lucratus, non teneretur reſtituere lucrum. Quod ſi quis aleret relictam, poſſet tunc computare fructus cum expenſis ſecundum Bartolum & Baldum in divortio ff. *ſoluto matrimonio*.

(182) Quod in reſtitutione dotis res immobiles ſtatim debeant reſtitui, & mobiles nonniſi poſt annum, textus eſt apertus L. & §. ab Authore citatis -- *Exactio autem dotis celebretur, non annua, bima, trima die, ſed omnino intra annum in rebus mobilibus, vel ſe moventibus, vel incorporalibus: cæteris videlicet rebus, quæ ſolo continentur, illico reſtituendis,*

quod commune utriuſque fuerat actionis —. Super ver. *Incorporalibus* ita Gloſſa — *ut in nominibus* —. Id intellige ſi maritus poteſt, & dolo malo non eſt verſatus; ſecus enim reſtituet quantum tunc poterit, præſtita tamen cautione reſtituendi quod ſupereſt, ſi ad pinguiorem fortunam venerit, ut ſancitur ead. L. verbis immediate præcedentibus — *In hac parte rudem figuram ex ſtipulatu damus actioni, ut ſi matrimonium fuerit diſſolutum, nullo pacto adhibito, intantum quidem maritus condemnetur, inquantum facere poteſt: quia hoc æquiſſimum eſt, & reverentiæ debitum maritali, ſi non dolo malo verſatus eſt: cautione videlicet ab eo exponenda, quod ſi ad meliorem fortunam pervenerit, etiam quod minus perſolvit, hoc reſtituere procuret* —. Privilegium hoc mariti eſt, ſi divortium fiat, vel uxor intereat; cui privilegio maritus ipſe renuntiare non poteſt; non enim valeret pactum, ſi conveniret cum uxore, ut condemnaretur a Judice ultra id, quod facere poteſt, textu aperto L. *Alia cauſa* §. 1. ff. *ſoluto matrimonio* — *Eleganter quærit Pomponius Lib. xv. ex Sabino: ſi paciſcatur maritus, ne in id, quod facere poſſit condemnetur, ſed in ſolidum: an hoc pactum ſervandum ſit? Et negat ſervari oportere, quod quidem & mihi videtur verum: namque contra bonos mores id pactum eſſe melius eſt dicere: quippe cum contra receptam reverentiam, quæ maritis exhibenda eſt, id eſſe apparet* —. Privilegium hoc perſonale eſt, & ceſſat pereunte marito, textu pariter aperto L. præcedente ff. cod. tit. — *Quia tale privilegium perſonale eſt, & cum perſona extinguitur* —. Non extenditur ergo ad hæredes extraneos, textu itidem aperto L. pariter præcedente — *Maritum in id, quod facere poteſt, condemnari exploratum eſt: ſed hoc hæredi non eſſe præſtandum* —. Intellige *extraneo*, ut notat Gloſſa ibidem. Extenditur tamen ad filios ſuos legitimos, & naturales: quia filius in jure cenſetur una perſona cum patre; & id inſuper expreſſe ſancitum fuit L. *Etiam* in principio ff. eod. tit. — *Etiam filios mulieris, qui patri hæredes extiterunt, in id, quod facere poſſunt, condemnandos Labeo ait* —.

Quod poſtmodum circa res immobiles quis non cenſeatur in mora niſi poſt annum; ſed tamen reſtituere teneatur omnes fructus eo anno perceptos: & hoc perſpicuum eſt ex §. *Cum autem*, quem Author adpellat — *Sin autem ſuperſederit res mobiles, vel ſe moventes, vel incorporales poſt annale tempus reſtituere, vel cæteras res ſtatim poſt diſſolutum matrimonium: etiam uſuras æſtimationis omnium rerum, quæ extra immobiles ſin., uſque ad tertiam partem centeſimæ ex bona fide introducendas maritus præſtet: fructibus videlicet immobilium rerum parti mulieris ex tempore diſſoluti matrimonii præſtandis: ſimilique modo penſionibus, vel vecturis navium, ſive jumentorum, vel operis ſervorum, vel quæſtu civilium annonarum, & aliis, quæ ſunt eis ſimilia, parti mulieris reſtituendis* —.

Quid, ſi dos conſiſtit in rebus mobilibus tantum: unde interim ſcalet mulier? R. de aliis ſuis bonis. Arguitur ff. *de ventre in poſſeſſionem mitten-*

Digitized by Google

mittendo L. *Extraneo*.. Sed quid, ſi nil aliud habet? Si quidem ſunt hæredes patris communes filii, ipſi alent matrem, ut intra *de bonis quæ liberis* L. final. §. *Ipſum autem* (*Ipſum autem filium vel filiam, filios vel filias, & deinceps, alere patri neceſſe eſt, non propter hæreditates, ſed propter ipſam naturam, & leges, quæ & a parentibus alendos eſſe liberos imperaverunt, & ab Ipſis liberis parentes, ſi inopia ex utraque parte vertitur.*)

Sed quid, ſi extranei ſunt hæredes, vel divortio eſt ſolutum matrimonium? Videtur quod vir, vel hæredes ejus teneantur alere, ex quo habent dotem, ut ff. *de ventre in poſſeſſionem mittendo* L. 1. §. *Mulier*, & L. *Curator* — Hactenus Gloſſa in L. unicam, in §. *Cum autem* in fine C. *de rei uxoriæ actione*, quæ prius quæſitum aliud propoſuit, quod hic ſubjicio —.

Sed quid erit hodie, ubi ſolvitur matrimonium propter conſanguinitatem? Numquid ſtatim reddetur dos, vel poſt annum: nam non poteſt dici divortium, cum non fuerit matrimonium, nec ergo dos? ℞. Statim. Arguitur ſupra *de condictione ob cauſam* L. 1. — Hæc eadem. Audiamus legem hic poſtremo citatam — *Pecuniam, quam te ob dotem accepiſſe pacto interpoſito, ut fieri, quum jure matrimonium contrahitur, adſolet, proponis, impediente quocumque modo juris auctoritate matrimonium, conſtare, nullam de dote actionem habes: & propterea pecuniam, quam eo nomine accepiſti, jure condictionis reſtituere debes: & pactum, quod ita interpoſitum eſt, perinde ac ſi interpoſitum non eſſet, haberi oportet* —. Leges quidem ſunt hæ omnes unice civiles. Sed quum juri naturali ſint in omnibus conſentaneæ, lubens eas omnes accepto tamquam Regulam in foro conſcientiæ pariter ſervandam.

Author conſtituit, quod in reſtitutione fructuum induſtrii, ſi qui ſunt, non erunt computandi. Nec mirum. Hos reſtituere non tenetur injuſtus damnificator, & detentor, Theologis omnibus palam fatentibus: quia non ſunt fructus rei alienæ, ſed induſtriæ propriæ. Potiori igitur jure eos reſtituere non tenebitur vir, aut hæres, de quo in caſu, quum injuſtus detentor non ſit, & duntaxat poſt elapſum annum cenſeatur in mora, ſicuti oſtendi.

TERTIUM DUBIUM. Utrum ille, pro quo alter ſolvit creditori ſuo ſine ipſius mandato, teneatur eidem reſtituere quod ſolvit?

Reſpondet Dominus Joannes de Platea Inſtitut. *de actionibus* §. *Actionum*, quod ſic: dummodo ſua intereſſet, quod ſolveret L. *Cum pecuniam* ff. *de negotiis geſtis*.

(183). Textus eſt apertus L. *Cum pecuniam* ab Authore citata – *Cum pecuniam ejus nomine ſolveres, qui tibi nihil mandaverat, negotiorum geſtorum actio tibi competit: cum ea ſolutione debitor a creditore liberatus ſit: niſi ſi quid debitoris interſit, eam pecuniam non ſolvi* –. Appoſite Gloſſa caſum hujus legis exponens – *Niſi tua interfuerit pecuniam non ſolvi, vel quia eras debitor in diem, nec dies venit: vel quia potuiſti tibi conſulere per executionem, vel compenſationem* –. Quid interim aget ille, qui ſolvit, ſi tua intererat, quod non ſolveret: debebit ne patienter ferre jacturam pecuniæ, quam ſolvit? Minime gentium. Non poterit agere contra te, quia tua intererat, quod non ſolveret. Aget tamen contra creditorem, & ab hoc repetet pecuniam ſolutam tamquam indebitam; æquum enim non eſt, ut diſpendium patiatur, unde videtur meruiſſe præmium, ſicuti loquitur Lucius III. Extra *de fidejuſſoribus* cap. 2.

QUARTUM DUBIUM. Utrum ſolvens filio familias ſine conſenſu Patris, vel pupillo ſine auctoritate tutoris, teneatur iterum ſolvere?

Reſpondeo, quod ſic, ff. *de obligationibus & actionibus* L. *Pupillus*, niſi quod fuit ſolutum converſum ſit in utilitatem filii familias, vel pupilli, ita quod poſsit dici locupletior factus L. 1. & 2. C. *Si adverſus creditorem*. Idem tene in mutuum dante, videlicet non poſſe repetere quod mutuavit per dicta jura, & L. *Pupillo* ff. *de ſolutionibus*.

(184) En legem ff. *de obligationibus & actionibus* ab Authore citatam – *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, ne quidem jure naturali obligatur* –. Quomodo autem intelligenda ſit hujuſmodi lex, vide quæ dixi annotatione 161. Huic legi non abſimilis eſt L. 1. ff. *De Senatus conſulto Macedoniano* – *Cum inter cæteras ſceleris cauſas Macedo, quas illi natura adminiſtrabat, etiam æs alienum adhibuiſſet, & ſæpe materiam peccandi malis moribus præſtaret, qui pecuniam, ne quid amplius diceretur, incertis nominibus crederet, placere, ne cui, qui filiofamilias mutuam pecuniam dediſſet, etiam poſt mortem parentis ejus, cujus in poteſtate fuiſſet, actio petitione daretur; ut ſcirent qui peſſimo exemplo fænerarent, nullius poſſe filiifamilias bonum nomen expectata patris morte fieri* –. Ab hac lege non eximitur filiusfamilias, quiſquis ille ſit, quantavis eximia dignitate fulgeat, ut expreſſe ibidem §. ultimo –. *In filio familias nihil dignitas facit, quominus Senatus conſultum Macedonianum locum habeat: nam etiamſi Conſul ſit, vel cujuſvis dignitatis, Senatuſconſulto locus eſt: niſi forte caſtrenſe peculium habeat; tunc enim Senatuſconſultum ceſſabit* –. Nullum poſtea dubium,

bium, quod, ſi pecunia verſa eſt in utilitatem pupilli, aut patris, aut familiæ, ut ex ea pupillus, ſeu ſiliusfamilias factus ſit locupletior, reſtituenda tunc eſt – *Cum & ipſe profitearis, cum Zenodora minore viginti quinque annis te contraxiſſe, nec doceri potuiſſe Prætorem virum clariſſimum ex eo contractu locupletiorem eam eſſe factam, intelligis eam merito in integrum reſtituturam* – C. *Si adverſus creditorem* L. 1. – *Si, ut allegas, minor annis pecuniam fœnori accepiſti, nec ea in rem tuam verſa eſt: adverſus cautionem, per quam eo nomine te obligaſti, in integrum reſtitutionis auxilium potes ſolemniter poſtulare* – C. eod. tit. L. 2. Quomodo autem contingat pupillum, aut ſiliumfamilias fieri locupletiorem, id aperit L. *In pupillo* ff. *de ſolutionibus* – *In pupillo, cui ſine tutoris auctoritate ſolutum eſt, ſi quæratur quo tempore ſit locupletior: tempus, quo agitur, inſpicitur; & ut exceptio doli mali ei noceat, tempus, quo agitur, ſpectetur. Plane ut Scævola ajebat, etiamſi perierit res ante litem conteſtatam, interdum quaſi locupletior factus intelligitur: ideſt ſi neceſſariam ſibi rem emit, quam neceſſario de ſuo erat empturus; nam hoc ipſo, quo non eſt pauperior factus, locupletior eſt. Sic & in ſiliofamilias putabat, Macedonianum ceſſare, ſi in neceſſarias cauſas ſilius mutuam pecuniam acceperit, & eam perdiderit* –.

Quintum Dubium. Utrum per errorem ſolvens indebitum poſsit ipſum repetere: & ille, qui recepit, teneatur ipſum reſtituere?

Reſpondet Gloſsa in cap. ult. *de ſolutionibus* cum multis diſtinctionibus, quas omitto: quia potius pertinent ad forum contentioſum. In conſcientia credo, quod ſi ſit indebitum omni jure, vel ſaltem naturali, ille, qui recepit tenetur reſtituere. Si vero ſit debitum jure naturali, licet indebitum jure civili, vel canonico, tunc ſecundum Innocentium qui recepit non tenetur in conſcientia reſtituere, niſi prius per ſententiam ſit condemnatus.

(185) Mirum quot quantaque ſcribere ſolent Canoniſtæ hac ſuper re. Summopere tamen mihi placet hæc Authoris doctrina brevis, plana, facillima, & ſufficiens pro foro conſcientiæ. Dicit primo Author, quod ſi quis pecuniam mihi ſolvat, putans mihi eſſe debitam, quæ tamen reipſa nullo jure mihi debetur, teneor ipſe eandem reſtituere – *Nam hoc natura æquum eſt, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem* – ff. *de condictione indebiti* L. 14. – *Jure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem* – ff. *de diverſis regulis Juris an-*

tiqui

tiqui L. 206. — *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura* — Regula 48. de Regulis Juris in Sexto. Dicit ultimo Author, quod ſi ſolutum ſit mihi debitum jure naturali, indebitum autem jure civili vel canonico ob defectum probationum, vel alia de cauſa &c., tunc reſtituere ipſe non teneor, niſi poſt ſententiam Judicis. Ratio eſt perſpicua; ſcio enim id mihi eſſe debitum, & reipſa mihi debetur, quamvis in jure id probare nequeam. Latæ tamen ſententiæ obtemperare teneor; id enim poſtulat civilis ſocietas, ne omnia ſus deque vertantur ſolo privatorum hominum judicio.

Quid, ſi quis ſciens ſe nihil debere, nihilominus aliquid ſolvat tamquam debitum: poterit ne ſolutum condicere, ſeu repetere? Minime gentium —. *Si quis indebitum ignorans ſolvit, per hanc actionem condicere poteſt: ſed ſi ſciens ſe non debere ſolvit, ceſſat repetitio* — ff. *de condictione indebiti* L. 1. Et hoc, etiamſi hac intentione daret, quod vellet ſolutum poſtea repetere — *Quod qui ſciens indebitum dedit hac mente, ut poſtea repeteret, repetere non poteſt* — ff. eod. tit. L. 50. Ratio primi eſt: quia tunc cenſetur donaſſe, textu aperto ff. *de diverſis Regulis Juris antiqui* L. 53. — *Cujus per errorem dati repetitio eſt, ejus conſulto dati donatio eſt* —. Excipe caſum, in quo quis ſciens ſolviſſet uſuras indebitas, ut mox dicam. Ratio ſecundi eſt: quia hæc eſſet ſpecies fraudis, & fraus, & dolus nemini ſuffragari debent.

Quid, ſi ſolvat ~~dubitans, an ſolutum~~ ſit debitum nec ne: poterit ne cognita veritate ipſum repetere? Ita ſane, textu aperto C. *de condictione indebiti* L. finali — *Pro dubietate eorum, qui mente titubante indebitam ſolverint pecuniam, certamen legumlatoribus incidit: id ne, quod ancipiti animo perſolverint, poſſint repetere, an non? Quod nos decidentes ſancimus, omnibus, qui incerto animo indebitam dederint pecuniam, vel aliam quandam ſpeciem perſolverint, repetitionem non denegari* —. Ratio traditur ff. *de diverſis Regulis Juris antiqui* L. 41. — *In re obſcura melius eſt favere repetitioni, quam adventitio lucro* —.

Quid interim agam, ſi creditori meo ſolvam pecuniam, quam poſtmodum recordor jam fuiſſe ſolutam? Ad me ſpectat probare, quod fuerit indebita, & quod alias jam fuerit ſoluta. Si creditor id inficietur, & poſtmodum de prima ſolutione convincatur, ad ipſum tunc ſpectabit probare, quod ſecunda ſolutio eidem jure fuerit debita. Ita ſancivit Gregorius IX. Extra *de ſolutionibus* cap. ultimo — *Is, qui conqueritur indebitam pecuniam ſe ſolviſſe, probare tenetur, quod indebite ſit ſoluta: niſi ejus adverſarius ſolutionem inficians exinde convincatur; tunc enim diffitenti onus incumbit probandi, quod debitam recepiſſet* —. Ab hac regula excipiendæ ſunt perſonæ privilegiatæ; iſtæ enim probare non tenentur pecuniam fuiſſe indebitam, ſed illi, qui recepit, onus incumbit probandi eandem fuiſſe debitam, ff. *de probationibus* L. *Cum de indebito* §. 1. — *Sin autem is, qui inde-*

indebitum queritur, vel pupillus, vel minor ſit, vel mulier, vel forte vir quidem perfectæ ætatis, ſed miles, vel agricultor, & forenſium rerum expers, vel alias ſimplicitate gaudens, & deſidiæ deditus: tunc eum, qui accepit pecunias, oſtendere, bene eas accepiſſe, & debitas ei fuiſſe ſolutas, & ſi non oſtenderit, eas redhibere —.

Nonnulli enumerantur caſus, in quibus indebitum ſolutum non repetitur. Eos accipe ab Aſteſano lib. 3. tit. 19. art. 5. — Primo, quando ſolvitur ex cauſa judicati, ut proxime dictum eſt. Secundo, quando debitor creditori detulit juramentum, & ille falſo juravit in tantum eſſe obligatum Inſtitut. *de obligationibus quæ quaſi ex contractu* §. *Item is, cui*, in Gloſſa, & Inſtitut. *de actionibus* §. *Item ſi quis*. Tertio, quando cauſa tranſactionis ſolvitur C. *de condictione indebiti* L. 2. Quarto, quando ſolvitur ex cauſa, quæ creſcit per inficiationem, ut actio legis Aquiliæ, quæ datur in ſimplum contra confitentem, & in duplum contra negantem, ut ſi occidiſti animal vicini tui ff. *ad legem Aquiliam* L. *Inde Neratius* §. *hæc actio*. Quinto, quando ſolvitur ex pietate ff. *de condictione indebiti* L. *Cum is* §. penult. Sexto, quando aliquis ſcienter ſolvit, C. *de condictione indebiti* L. *Indebitum*. Hoc tamen ſecundum Canones fallit in uſura, quæ indebita ſoluta repetitur Extra *de jurejurando* cap. *Debitores* —. Hactenus Aſteſanus. Accipe cap. *Debitores* quod eſt Alex. III. — *Debitores ad ſolvendas uſuras, in quibus ſe obligaverant, cogi non debent. Si vero de ipſarum ſolutione juraverint, cogendi ſunt Domino reddere juramentum. Et cum uſuræ ſolutæ fuerint, creditores ad eas reſtituendas ſunt Eccleſiaſtica ſeveritate, ſi neceſſe fuerit, compellendi* —.

Sextum Dubium. Utrum non valenti ſolvere, & cedenti bonis, omnia bona ſua ſint ipſi auferenda?

Reſpondeo, quod auferri non poſſunt ea, quibus neceſſario ipſe utitur, & ſua familia, ut lectus, & veſtimenta. Patet Exodi 22. & qui contrarium facit, tenetur reſtituere, ff. *de ceſſione bonorum* L. *Is qui bonis* 1. & ff. *de Regulis Juris* L. *In condemnatione*. Nota, quod talis reſtitutio debet fieri in manibus creditorum, ſi ſunt certi, per ſe, vel per nuncium, vel per ſcripturam ff. *de ceſſione bonorum* L. finali: & quod pro ceſsione ſufficit ſola voluntatis profeſsio C. *Qui bonis cedere poſſunt* L. *In omni*. Si vero creditores ſunt incerti, debet fieri in manibus Epiſcopi. Nota etiam, quod tales non debent incarcerari, nec vitu-

Digitized by Google

peria pati, ut dixi Dubio 2. tit. 5. Nota pariter, quod iſte reſpectus, *ne egeant*, non habetur uſurariis, nec aliis, qui violenter aliquid acceperunt; ſed ſolum debitoribus ex contractu, vel quaſi. Dari tamen poteſt caſus, in quo generaliter de omnibus poſsit intelligi: puta quando ille, cui debetur, abundat; & ideo in conſcientia credo relinquendum arbitrio boni Confeſſoris: ut ipſe judicet juxta ea, quæ dicam Conſideratione 2. art. 2.

(186) De his, qui bonis cedunt, jam multa dixi annotatione 82., quam potes conſulere. Dubio procul non ſunt hi ſpoliandi neceſſariis, puta veſtimentis, lecto &c., non ſolum quia ſancitum eſt L. 173. ff. *de diverſis regulis juris antiqui — In condemnatione perſonarum, quæ in id, quæ facere poſſunt damnantur, non totum, quod habent, extorquendum eſt, ſed & ipſarum ratio habenda eſt, ne egeant —*: Sed præſertim quia id Deus ipſe præcepit Exodi 22. v. 26. & ſeq. — *Si pignus a proximo tuo acceperis veſtimentum, ante ſolis occaſum reddes ei. Ipſum enim eſt ſolum, quo operitur indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat. Si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum —*. Melioris conditionis ipſi fiunt, ſi facta ceſſione bonorum aliquid poſtmodum adquirant, pro hiſce enim caſibus ſancitum lego L. 4. ff. *de ceſſione bonorum — Is, qui bonis ceſſit, ſi quid poſtea adquiſierit, in quantum facere poteſt convenitur —*: & ff. eod. tit. L. 6. — *Qui bonis ſuis ceſſit, ſi modicum aliquid poſt bona ſua vendita adquiſivit, iterum bona ejus non veneunt. Unde ergo modum hunc æſtimabimus? Utrum ex quantitate ejus, quod adquiſitum eſt, an vero ex qualitate? Et putem ex quantitate id æſtimandum eſſe ejus, quod quæſiit: dummodo illud ſciamus, ſi quid miſericordiæ cauſa ei fuerit relictum, puta menſtruum, vel annuum, alimentorum nomine, non oportere propter hoc bona ejus iteraeo venundari: nec enim fraudandus eſt alimentis quotidianis. Idem & ſi uſusfructus ei ſit conceſſus, vel legatus, ex quo tantum percipitur, quantum ei alimentorum nomine ſatis eſt —*. Hæc juris diſpoſitio etiam valet in foro conſcientiæ, uti adnotat Gabriel Antoine de juſtitia & jure part. 2. cap. 6. q. 2., quum ſit privilegium jure conceſſum, & contractus juxta leges celebrentur. Subdit Author hoc privilegio non gaudere uſurarios, neque alios, qui violenter uſurparunt alienum. Et reipſa id docuit Gloſſa in cap. *Cum tu* Extra *de uſuris*, & Sigillatim in ver. *IN FACULTATIBUS, ſcribens de uſurariis — Si nihil habent, liberantur ex toto, ut hic. Si tamen ad pinguiorem fortunam pervenerint, tenentur ut prius, ſupra DE SOLUTIONIBUS cap. ODOARDUS..... & in ſolidum. Nec habetur ratio, ne egeat, licet alias dicat lex, quod qui bonis cedit, non conveni-*

Digitized by Google

venitur poſtea, niſi in quantum facere poteſt ff. DE CESSIONE BONORUM L. IS QUI —. Panormitanus in idem cap. *Cum tu* idem adſeruit inquiens — *Nota ex Gloſſa, quod uſurarius tenetur reſtituere uſuras, etiamſi poſt reſtitutionem integram remaneat pauper, quia non debet vivere de alieno* —. Fateor nihilominus non deeſſe ſecus opinantes, uti monet Roſella ver. *Reſtitutio ſextodecimo* num. 1. ſub initio: & forte id colligunt ex L. *In condemnatione* modo recitata, quæ generice loquitur de omnibus ad reſtituendum condemnatis. Pro foro conſcientiæ mirum in modum arridet judicium Authoris: quod nempe in caſibus particularibus id relinquatur prudenti Confeſſoris arbitrio.

Septimum Dubium. Utrum hæres teneatur ſolvere legata ad pias cauſas infra annum?

Reſpondeo, quod ſic, ſi hæreditas ſufficit, cap. *Nos quidem*, & cap. *Si hæredes* Extra *de teſtamentis*, & C. *de Fideicommiſſis* Authent. *Hoc amplius*. Aliter Epiſcopus poterit ſe intromittere, ut adimpleantur, etiamſi a defuncto ſit hoc ei interdictum, textu aperto cap. *Tua nobis* Extra de teſtamentis.

(187) Legatum eſt ultima voluntatis diſpoſitio, qua teſtator particulare donum ab hæreditate ſelectum alicui relinquit. Brevius definiri poteſt — *Donatio quædam a defuncto relicta, ab hærede præſtanda* — Inſtitut. *de legatis* §. 1. Legatum, ad præſens quod ſpectat, aliud eſt profanum, aliud pium, ſeu ad pias cauſas. Profanum dicitur, ſi ad uſus profanos, pium vero, ſi ad pios uſus, & ad ſuffragium animæ relictum ſit. De legato ad pias cauſas fuſe Author in Angelica ver. *Legatum ſecundo* in principio, concludens — Et ideo dic, quod proprie dicitur relictum ad pias cauſas, quando relinquitur pro honore Dei, vel Sanctorum, vel pro ſalute animæ, ſive id relinquatur Eccleſiis, ſive pauperibus, ſive locis publicis: quia pium eſt, quod fit propter cultum divinum. Secus ſi fieret pro honore mundi, vel pro perpetua fama: quia non dicitur pium. Verumtamen in dubio præſumitur, quicquid relictum fuerit ſupradictis, fuiſſe relictum pro Deo, & pro animæ ſalute, & ſic legatum ad piam cauſam —. Hæc ille. Præcipuum hujuſmodi legatorum privilegium eſt, quod ubique locorum vim habeant ſuam, tametſi teſtamentum ex defectu ſolemnitatum, vel alia de cauſa jure civili non ſit validum. Jure quapropter Gabriel Antoine de Contractibus part. 1. cap. 12. q. 5. num. 6. -- Quamvis teſtamentum ad cauſam piam defectu ſolemnitatis eſſet invalidum in utroque foro: tamen legata pia in illo contenta valida ſunt, & ea ſtatim ſol-

ſolvere tenetur hæres ab inteſtato, ſi conſtet quoad illa de voluntate defuncti, ex cap. II. *de teſtamentis*. Tum quia ipſa pia legata ſunt remedia vulgo ad teſtatoris ſalutem neceſſaria, & ſemper utilia, immo ſæpe reſtitutiones ex juſtitia debitæ, & a Confeſſario præſcriptæ —. Hæc ille. Dixi ubique locorum. Scio enim etiam legata profana relicta ſine ſolemnitate ſolvi debere, ſimul atque conſtat de voluntate defuncti, ut perſpicue Gregorius IX. Extra *de teſtamentis* cap. 4. — *Cognovimus R. referente, quod moriens uxor Redempti concham argenteam nudis verbis juſſit venundari, & ſuis dari libertis, & ſcutellam argenteam cuidam Monaſterio reliquiſſe. In quibus voluntatem ejus per omnia volumus adimpleri* —: & C. *de Fideicommiſſis* L. ultima. Sed notum omnibus eſt hanc Juriſprudentiam quoad legata profana ubique locorum non eſſe receptam: quum Antoine ibidem ſubdat — In Gallia vero jure conſuetudinario ſecundum communem Doctorum Gallorum ſententiam hæres tenetur in conſcientia ſolvere legata ad pias cauſas, quamvis in iis, vel in teſtamento præſcriptæ ſolemnitates omiſſæ fuerint: ſecus, ſi ſint ad cauſas profanas. Hinc quando hæredi conſtat voluntatem teſtatoris eſſe, ut aliquid in cauſam piam diſtribuatur, licet id in foro externo probari nequeat, tenetur in conſcientia ſolvere. Tunc enim probatione opus non eſt, dum de veritate conſtat —. Hæc ille.

Caſum Authoris quod reſpicit, perſpicuus is eſt in cap. *Nos quidem* ab Authore citato, quod eſt Gregorii IX. — *Pervenit ad nos S. de hac luce migrante ſupremæ voluntatis elogio, Monaſterium præcepiſſe fundari: cujus deſiderium a T. religioſa fœmina ejus hærede protrahitur. Quamobrem te hortamur, ut eam commoneas, quatenus intra annum Monaſterium, quod juſſum eſt, debeat ordinare, & cuncta ſecundum voluntatem defuncti ſine altercatione conſtruere. Quod ſi intra prædictum tempus ſive in loco, quo conſtitutum fuerat, ſeu, ſi ibi non poteſt, & alibi placet ordinari, tecum implere neglexerit: tunc per te ædificetur, & omnia per te loco ipſi ſine diminutione qualibet aſſignentur. Sic enim ſecundum piiſſimas leges dilatas defunctorum pias voluntates Epiſcopali decens eſt ſtudio adimpleri* — Dilatio ſatisfactionis legatorum piorum poſt annum ſine gravi, juſtaque cauſa caſus eſt reſervatus pene in unaquaque Diœceſi. In hac Taurinenſi Diœceſi, in qua ſcribo, & quam ſingulari prudentia & pietate moderatur Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Dominus Franciſcus Lucerna — Rorengus de Rord, caſus eſt ſextus in ordine ita conceptus — *Qui ſolutionem ex Legato pio debitam poſt annum ſine gravi cauſa diſtulerint: & Notarii hujuſmodi legata poſt tres menſes a notitia obitus defuncti non manifeſtantes* —. In Diœceſi Aſtenſi, cui merito, & non ſine bonorum omnium commendatione præeſt Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Dominus Paulus Mauritius Caiſſotti de Cluſano, inter caſus primæ claſſis eſt numero quartus ſic expoſitus — *Negligentia Notariorum in notificandis legatis piis ultra ſex menſes iis, quibus debent: nec non dilatio ſatisfactionis eorumdem Legatorum ſine juſta*

cauſa

cauſa ultra annum a die termini —. Summopere enim intereſt quod piæ defunctorum voluntates non fraudentur, & quamcitiſſime in ipſorum ſuffragium adimpleantur: quum hæc legata pia ea ſola ſint, ea paucula ſint, quæ ex omnibus ipſorum bonis Fideles ſibi ipſis reſervant ex hac vita migrantes. Quod poſtmodum Epiſcopus de hac ſolutione poſſit cognoſcere etiamſi teſtator id inconſulto vetaſſet, & hoc jure optimo fuit ſancitum ab cod. Greg. IX. cap. *Tua nobis*, quod hic Author appellat — *Tua nobis fraternitas intimavit, quod nonnulli tam Religioſi, quam Clerici ſeculares, & Laici, pecuniam, & alia bona, quæ per manus eorum ex teſtamentis decedentium debent in uſus pios expendi, non dubitant aliis uſibus applicare. Cum igitur in omnibus piis voluntatibus ſit per locorum Epiſcopos providendum, ut ſecundum defuncti voluntatem univerſa procedant, licet etiam a teſtatoribus id contingeret interdici: mandamus, quatenus executores teſtamentorum hujuſmodi, ut bona ipſa fideliter, & plenarie in uſus prædictos expendant, monitione prævia compellas* —.

Aliena manu.

Nota Regulam ſecundum Panormitanum de pignoribus in cap. *Significante*, quod periculum interitus rei pertinet ſemper ad Dominum. Et ideo ſi creditor mitteret certum nuncium ad recipiendam pecuniam mutuatam, periculum pertineret ad ipſum creditorem, & eſſemus extra caſum hujus Capituli: quia ſtatim atque pecuniam tradidi nuncio tuo ad hoc deſtinato, dominium pecuniæ pertinet ad te. Arguitur L. *Qui mihi donatum* ff. *de donationibus*: & de hoc nuncio vide Gloſſam in cap. Præsbyteri 95: diſt. Plenius autem Bartolus in L. *Eum qui* ff. *Commodati*.

(188) Leges apertas jam protuli Annotatione 163. Eas tamen iterum proferre juvat — *Sed & ſi, dum refertur, periit: ſi quidem ego mandaveram, per quem remitteret, periculum meum erit* — ff. Commodati L. *Eum qui* in fine — *Commodatam rem miſſus, qui repeteret, cum recepiſſet aufugit. Si Dominus ei dari juſſerat, Domino perit* — ff. eod. tit. L. *Si mei cauſa* §. 1. In re cuique perſpicua diutius immorari ſupervacaneum eſt. Ex abundanti nihilominus do verba Gloſſæ, de qua hic mentio — *Nota quod ex quo res datur certo nuntio, ejus eſt jam periculo, cujus eſt nuntius, ſi nuntio rem dari voluit. Secus, ſi miſit nuntium, ut eum admoneret, quod ei res mitteretur. Et hæc colliguntur ff. COMMODATI L. EUM QUI REM §. SI REM, & legibus duabus ſequentibus* —.

Vice-

Viceſimus Titulus, qui eſt de Obligationibus, continet tredecim quæſtiones, ſeu tredecim Dubia.

Primum Dubium, Utrum ex nudo pacto, ſive ex nuda promiſſione quis obligetur in foro conſcientiæ ex neceſſitate?

Reſpondeo, quod non, niſi intendat ſe obligare. Facit ad hoc cap. *Literaturam* Extra *de voto & voti redemptione*, ubi ille, qui diceret, non diu hic morabor, proponens Religionem intrare, declaratur quod non ſit obligatus, ſi plus in voto non proceſſit. Et Gloſſa ibidem dicit, quod hoc non ait animo ſe obligandi: & nemo ſe obligat, niſi qui habet animum ſe obligandi ff. *de obligationibus & actionibus L. Obligationum*. Nec obſtat, quod jure naturæ quiſque tenetur ſervare quod promiſit: quia hoc eſt congruitatis, non neceſsitatis. Nam ſicut in aliis juribus non omnia ſunt neceſsitatis, ita etiam in jure naturali. Et hoc videtur rationabile: quia multi ex deliberatione dicunt aliqua bona ſe facturos, quod non dicerent, ſi crederent ſe exinde eſſe ex neceſſitate obligatos. Et hæc opinio conſonat Ricardo in 4. diſt. 38. Nec item obſtat dictum Innocentii in cap. *Quia plerique* Extra *de immunitate Eccleſiarum*, qui vult per textum hunc, & per cap. *Plerique* Extra *de pactis*, & Gloſſam ibidem, quod teneatur: tametſi hoc ſit juri civili contrarium L. *Juris gentium* §. *Sed cum nulla* ff. *de pactis*, & C. eodem titulo L. *Legem*: quia in conſcientia credo, quod hoc habeat locum, quando nude promittens id facit ex cauſa, vel ex debito, vel quando hoc facit in deceptionem proximi; quia proximus alias ſibi providiſſet, niſi ipſe

ſe ei promiſiſſet, & hujuſmodi: nam tunc Deus inter ſimplicem loquelam & juramentum non facit differentiam cap. *Juramenti* 25. q. 5. Et quum jura ſemper ſic præſumant, iccirco Doctores communiter concordant cum Innocentio. Sed in conſcientia credo, quod ſit procedendum ſecundum aliam opinionem, ſalvo tamen meliori judicio. Nota, quod ſi quod promiſit eſt illicitum, non tenetur. Item nota, quod, ut teneatur, requiritur, quod non ſint mutatæ conditiones locorum, negotiorum, & perſonarum; alias certe non teneretur.

(189) Sciendum, quod pactum eſt conſenſus duorum, vel plurium in idem alteri ab altero paciſcentium dandum, vel faciendum. Si enim paciſcar tecum invito Titio, quod ipſe det Petro aliquid, pactum nullum erit. Si vero paciſcar tecum, quod des Titio, pactum erit, quandoque tamen utile, quandoque inutile ad agendum ff. *de verborum obligationibus* L. *Stipulatio iſta*. Lex tamen talem conventionem pactum vocat C. *de pactis* L. *Debitorum*, & Extra eod. cap. ultimo. Dicitur autem pactum a pactione. Pactio vero dicitur a *pace*, & actione, quaſi pacis actio. Nam qui paciſcuntur, ex diverſis & contrariis motibus animorum poſt multa varia certamina in unam conſonam ſententiam deducuntur. Eſt autem nomen pacti generale ad omnia, quæ inter partes aguntur cauſa contrahendæ, vel tollendæ obligationis. Poteſt autem hic notari ad majorem evidentiam differentia inter pactum, pollicitationem, conventionem, ſtipulationem, & promiſſionem: quia pactum eſt duorum, vel plurium conſenſus ad aliquid dandum, vel faciendum verbis expreſſus: ita quod verba præmittantur a promittente, & ſubſequenter a recipiente: ut dabo tibi decem, ut tu vendas mihi librum, & tu reſpondes, placet. Sed ſi recipientis verba præmitterentur, tunc eſſet ſtipulatio, ut Inſtitut. *de verborum obligationibus* in principio. Pollicitatio vero eſt ſolius offerentis promiſſio. Oportet autem, quod ibi ſit perſona præſens, cui fiat pollicitatio, ff. *de pactis* L. 1. Nomen autem conventionis eſt generaliſſimum. Nam & Scholares in Schola, & Clerici in Capitulo, & populus in foro convenire dicuntur, ut ibidem §. *Conventionis*. Promiſſio vero referri poteſt vel ad pollicitationem, vel ad nudum pactum, & ſtipulationem ff. *de ædilitio edicto* L. *Sciendum* §. 2. — Hactenus Aſteſanus lib. 3. tit. 6. art. 1.

Pactum, ad præſens quod ſpectat, aliud dicitur veſtitum, & aliud nudum. Veſtitum habetur, quoties concurrit aliquis ex ſex hiſce modis, res nempe, verba, literæ, conſenſus, cohærentia contractus, & rei in-

terven-

terventus. Re veſtitum eſt in mutuo, debito, commodato, depoſito, & pignore. Veſtitum verbis, ut in ſtipulatione, quæ fit per interrogationem præcedentem, & reſponſionem illico conſequentem: quæ iccirco nec muto, nec ſurdo, nec infanti, nec abſenti convenire poteſt. Veſtitum literis, ut ſi quis ſcripto confiteatur ſe mutuas accepiſſe decem libras, ſub ſpe futuræ numerationis. Veſtitum conſenſu, ut in ſocietate, mandato, emptione, venditione, & locatione. Veſtitum cohærentia contractus, ut ſi venderem tibi domum, & in ipſa venditione interveniret pactum, quod ego deberem immorari in ea domo uſque ad annum. Veſtitum denique rei interventu, puta ſi promitterem tibi dare aliquid, ut tu aliud mihi dares, vel promitteres. Pactum poſtea nudum illud dicitur, quod non fit ob aliquam cauſam, neque veſtitum eſt aliquo prædictorum modorum, ſed mera conventio eſt, ſimplex gratuita promiſſio acceptata: puta promitto tibi dare centum ſine aliqua interrogatione præcedenti, chirographo, & hujuſmodi, & tu conſentis; ſi enim non conſentires, non eſſet pactum, ſed pollicitatio in ſola offerentis promiſſione conſiſtens.

Certum interim eſt primo, nudum pactum, & ſimplicem promiſſionem in jure civili obligationem non parere, textu aperto ff. *de pactis* L. *Juris gentium* §. *Sed cum nulla* — *Sed cum nulla ſubeſt cauſa propter conventionem, hic conſtat non poſſe conſtitui obligationem. Igitur nuda pactio obligationem non parit, ſed exceptionem* —: & C. *de pactis* L. 10. — *Legem, quam dixiſti, cum dotem pro alumno dares, ſervari oportet. Nec obeſſe tibi poterit, quod dici ſolet, ex pacto actionem non naſci. Tunc enim hoc jure utimur, cum pactum nudum eſt; alioquin cum pecunia datur, & aliquid de reddenda ea convenit, utilis eſt condictio* — Fallit hoc in nonnullis caſibus, quos enumerat Gloſſa in L. hic primo citatam, & inter quos principem locum tenet promiſſio dotis, de qua L. 6. C. *de dotis promiſſione* — *Ad exactionem dotis, quam ſemel præſtari placuit, qualiacumque ſufficere verba cenſemus, ſive ſcripta fuerint, ſive non, etiamſi ſtipulatio in pollicitatione rerum dotalium minime fuerit ſubſecuta* — . Sed hi caſus perpauci ſunt, & ſingulares, atque, ut loquitur Gloſſa ibidem, veſtiti dicuntur legis auxilio.

Certum eſt ſecundo, neminem ex ſimplici promiſſione obligari, niſi habeat animum ſe obligandi, textu aperto ff. *de obligationibus & actionibus* L. 3. §. 2. — *Verborum quoque obligatio conſtat, ſi inter contrahentes id agatur: nec enim ſi per jocum puta, vel demonſtrandi intellectus cauſa ego tibi dixero, ſpondes? & tu reſponderis, ſpondeo, naſcetur obligatio* —. Hac certe de cauſa conſultus Alexander III. cap. *Litteraturam* Extra *de voto, & voti redemptione* reſpondit — *Cum ex quadam minutione nimio fuiſſes mortis pavore perterritus, hæc verba protuliſti: non diu hic morabor: proponens in animo, quod Religionis habitum eſſes aliquando ſuſcepturus. Tibi igitur reſpondemus, quod ſi plus non eſt in voto proceſſum, tranſgreſſor judicari*

dicari non poterit, ſi non impleas quod dixiſti—. Egregia ſunt, quæ ſuper hoc cap. annotavit Gloſſa— Hoc caput continet notabilem, & ſingularem deciſionem, & poteſt ſic ſummari. Simpliciter proponens Religionem ingredi, licet non ingrediatur, non eſt reus voti..... Caſus. Magiſter H. fecit ſibi minui in brachio: brachium ejus intumuit ex illa minutione, ita quod perterritus fuit ad mortem. Dum eſſet in tali ſtatu, protulit hæc verba: Non diu hic morabor: proponens in animo Religionem intrare. Dubitavit, an ex tali facto teneretur Religionem intrare. Reſpondet ei Papa, quod ſi plus non eſt in voto proceſſum, non debet dici tranſgreſſor, ſi non adimpleat, quod dixit. Nota, quod per ſimplicia verba non obligatur quis, niſi habeat animum adimplendi votum. Item nota hic argumentum, quod ex nuda promiſſione non oritur obligatio..... quia non dixit hoc animo ſe obligandi; unde non fuit mendacium 22. q. 2. cap. *Quod autem ait*, & nemo ſe obligat, niſi qui animum habet ſe obligandi ff. *de actionibus & obligationibus* L. *Obligationum*—. Hactenus Gloſſa.

Caſum Authoris quod reſpicit, de eo fuſe agit S. Antoninus part. 2. cap. 1. §. 4. Placet integra ipſius recitare verba, etſi ſolito prolixiora— De promiſſione ſimplici, ſcilicet abſque juramento, vel voto; ubi ſciendum, quod cum quis promittit ſimpliciter aliquid illicitum, utique peccat, & illud ſervare non debet: quia peccatum peccato adderet. Unde Iſidorus 22. q. 4. *in malis*, & ponitur pro regula Juris in Sexto— *In malis promiſſis reſcinde fidem*, ſcilicet non ſervando. Si autem licitum eſt, & poſſibile, quod promittit, ſed ſervare non intendit, utique peccat: quia mendacium dicit. Si autem ſervare intendit, non ſervando, cum poteſt, utique peccat: quia omne promiſſum debitum jure naturali ſervandum eſt, adeo quod ſecundum Auguſtinum fides etiam, quando hoſti promittitur, ſervanda eſt 23. q. 1. *Noli*: & hoc niſi ſubſit, vel ſuperveniat cauſa rationabilis non implendi, puta novus caſus inpræmeditatus. Unde dicit B. Thomas 2. 2. q. 110. art. 3., quod poteſt talis, non ſervans quod promiſit, excuſari, ſi ſint mutatæ conditiones perſonarum, & negotiorum. Ut enim dicit Seneca in lib. de beneficiis, ad hoc, quod homo teneatur facere, quod promiſit, requiritur, quod omnia immutata permaneant; alioquin non fuit mendax in promittendo quod promiſit: quia habebat in mente ſub intellectis debitis conditionibus. Nec etiam eſt infidelis in non ſervando quod promiſit. Unde Apoſtolus non eſt mentitus, non eundo Corinthum, quo ire promiſit, propter impedimenta ſupervenientia. Hinc & Gelaſius Papa ait: Beatus Paulus Apoſtolus non ideo, quod abſit, fefelliſſe credendus eſt, aut ſibi extitiſſe contrarius, quando, cum ad Hiſpanias ſe promiſiſſet iturum, diſpoſitione divina majoribus occupatus ex cauſis, quod promiſit implere non potuit; quantum enim ipſius voluntatis interfuit, hoc pronuntiavit, quod revera efficere voluiſſet: quantum ad divini ſecreta conſilii, quum ut homo omnia non potuit, licet Spiritu Dei plenus agnoſceret

Digitized by Google

ſuperna, prætermiſit, ſcilicet acceſſum ad Hiſpaniam divina diſpoſitione præventus. Nec quia Beatus Petrus pro affectu divinæ reverentiæ ipſi Domino reſpondit, non lavabis mihi pedes in æternum, fefelliſſe, quod abſit, aut in ſua putabitur minime conſtitiſſe ſententia, quod mox divinæ ceſſerit voluntati 22. q. 2. *Beatus*. Quod promiſſa ſimpliciter incaute facta, vel propoſita, ſeu determinationes, cum occurrat aliquid melius faciendum, ſint mutanda, ſeu poſſint immutari laudabiliter, patet ex hoc quod habetur 22. q. 4.; ubi dicitur ex Concilio Libertano — *Diſſinitio*, ideſt promiſſio, *incauta laudabiliter ſolvenda eſt*, ideſt frangenda ſecundum Gloſſam. *Nec eſt prævaricatio, ſed temeritatis emendatio* --. Item quæſtione eadem -- *Non ſemper promiſſa omnia ſolvenda ſunt. Denique ipſe Dominus mutat ſententiam, ſicut Scriptura indicat* --: ſicut patet in Ninive & Ezechia. Item in cap. *Incommutabilis*. Angeli etiam apparentes Loth, invitati ab eo, ut intrarent domum ſuam, reſponderunt nequaquam, ſed in platea manebimus Geneſeos 19., qui tamen coacti precibus poſtea intraverunt. Nec in hoc mentiti ſunt, quia non intendebant intrare niſi rogati, ut in hoc commendaretur hoſpitalitas in Loth, & aliis ipſius daretur exemplum mutandi aliquando propoſitum, ut dicitur in Collat. Abbatis Joſeph. Et hoc diffuſe declarat Joannes Caſſianus in Collat. Joſeph de diffinitionibus. Hoc tamen eſt verum, niſi talis promiſſionis mutatio fieret in prejudicium alterius, vel promiſſio facta eſſet de neceſſariis ad ſalutem: quia tunc dicit Regula — *Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt* -- Extra de Regulis Juris lib. 6. *Quod ſemel*. Et nemo poteſt mutare conſilium in alterius detrimentum, de regulis Juris lib. Sexto cum concordantiis. Sed quæritur, utrum aliquis teneatur de neceſſitate ſalutis implere, quod ſimpliciter promiſit licite, nec ſupervenit novus caſus impediens adimpletionem? Et videtur, quod ſic: quia dicit Chryſoſtomus 22. q. 5. *Juramenti*, quod Dominus non facit differentiam inter ſimplicem loquelam, ſcilicet promiſſoriam, & juramentum, ſcilicet promiſſorium. Sed frangens quis quod licite ſub juramento promiſit, cum poteſt implere, peccat mortaliter ſecundum Doctores. Ergo & frangens ſimplicem promiſſionem. Reſpondeo ſecundum Ricardum in 4. diſt. 38. Circa hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod ſi talis non intendit ſe obligare, in foro conſcientiæ non tenetur ad implendum tale promiſſum de neceſſitate ſalutis, ſed ex congruitate. Et pro eis eſt argumentum Extra *de voto* cap. *Litterarum tuam*. Quamvis enim ex jure naturæ obligetur promittens ad implendum, quod promiſit; illa tamen obligatio non eſt neceſſitatis, ſed congruitatis, niſi ſe ſic obligare intenderit. Et ideo contraveniens non peccat mortaliter, ſed venialiter. Nec mirandum: quia ſicut in lege ſcripta aliqua comprehenduntur ut neceſſaria ad ſalutem, aliqua alia ut expedientia, & non neceſſaria: ſic in lege naturæ aliqua comprehenduntur ut de neceſſitate obligantia, aliqua de honeſtate: & hoc rationabiliter videtur. Alii dicunt, quod nuda promiſſio ex deli-

Digitized by Google

deliberatione facta promittentem obligat ad implendum de neceſſitate ſalutis, Argumentum pro eis eſt 12. q. 2. *Quicumque* 2., ibi enim dicitur — Quodcumque commodum ex remuneratione, ſcilicet pro obſequio impenſo, promiſit, promiſſi ſolutione ſolvere oportebit: & q. 5. *quia Joannes*. Huic ultimæ opinioni aſſentit Guillelmus dicens, quod ex nudo pacto, vel promiſſione, oritur actio, & quod mortaliter peccat recedens a pacto, Extra *de pactis* cap. 1. Antonius de Butrio dicit idem, probans hoc ibi tali ratione. Excommunicatio non debet ferri niſi pro mortali vero, vel præſumpto II. q. 3. *Nemo Epiſcoporum*. Sed pactum non ſervans poteſt excommunicari, ut aperte dicit cap. *Antigonus* Extra *de pactis*. Ergo &c. Et videtur hoc intelligendum de promiſſionibus alicujus importantiæ, unde ſequatur damnum alicui ex fractione promiſſi, quod patet ex illis capitibus, quæ inducuntur: nam in levibus videtur eſſe veniale. Non eſt etiam dubium, quod poſſint partes ſibi invicem pactum relaxare, & quilibet obligationem ſibi factam remittere. Sed in alternativis promiſſionibus electio eſt debitoris, & ſufficit alterum adimpleri, Extra de Regulis Juris Lib. Sexto. Argumentum autem tactum eſt pro ſecunda opinione; non tamen eſt utrumque ejuſdem gravitatis peccatum. Unde dicit ibi Joannes Andreæ, quod comparatio fit ibi in genere, non in quantitate, cum dicitur, quod Deus non facit differentiam inter ſimplicem loquelam, & juramentum: quia videlicet uterque, ſcilicet frangens ſimplicem promiſſionem, & promiſſionem juramento firmatam, peccat mortaliter. Sed frangens juramentum gravius peccat. Confirmat idem Abbas Siculus, quando ſcilicet promiſſioni ſimplici, & juramento datur validitas, cum ſcilicet promittitur juſtum & licitum, mortale eſt contravenire, etſi non ita grave primum ſicut ſecundum. Secus, ubi promiſſio eſt nulla propter turpitudinem rei promiſſæ, vel recipientis promiſſionem, ut puta quia coegit, & hujuſmodi. Turpium enim nulla eſt obligatio —. Hactenus S. Antoninus.

Quid interim erit conſtituendum in hac opinionum varietate? Alicujus certe videtur ponderis, quod ſcribit Author in Angelica ver. *Pactum* num. 4. — *Si ſit nudum, ſic quod nulla cauſa eſt adjecta, non obligat etiam in conſcientia. Ratio, quia præſumitur per errorem promiſiſſe. Et non poteſt allegari obligatio naturalis, cum nihil ſit tam contrarium conſenſui, quam error* —. Nihilotamen ſecius doctrina S. Antonini videtur præferenda: videlicet quod in jure canonico, & in conſcientia, ſimul atque quis non ex joco, non ex levitate, aut inconſtantia, ſed ex animo aliquid poſſibile, licitum, honeſtumve promiſit, & promiſſio fuit acceptata, teneatur ipſam adimplere: dummodo immutatæ non fuerint circumſtantiæ locorum, negotiorum, & perſonarum: ut appoſitæ S. Gregorius Extra *de pactis* cap. 3. *Studioſe agendum eſt, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur* —. Non audeo tamen generatim adſerere, quod frangens ſimplicem promiſſionem mortaliter peccet; non enim hoc eſt negotium, quod materiæ levitatem

 exclu-

excludat; immo negotium eſt, in quo major quantitas requiritur ad mortale peccatum, quam in cæteris: ſicuti egregie Gabriel Antoine de contractibus part. 2. cap. 1. q. 3. — *Juxta multos major quantitas ad mortale requiritur in violatione promiſſionis gratuitæ, quam onerosæ, vel in furtis: quia minus invitus cenſetur promiſſarius, quod res gratis promiſſa recuſetur, quam ſi res propria æqualis valoris auferatur* —. Memineris interim doctrinæ ab eodem Sancto probatæ, & confirmatæ: nempe quod promiſſa incaute facta mutari laudabiliter poſſunt, immo debent, quum enim homo naturaliter infirmus perfecta ſemper cogitare, loqui, & agere vix poſſit, quoniam ſepties in die cadit juſtus Proverb. 24. v. 16., durum eſſet, ſi quod ſemel protulit, ſemper deberet executioni mandari.

SECUNDUM DUBIUM. Utrum obligatus duntaxat jure civili, teneatur ad ſolutionem in conſcientia? Exemplum: facit quis inſtrumentum, in quo ſub ſpe futuræ numerationis confitetur ſe aliquid recepiſſe, quod non recepit, & hujuſmodi.

Reſpondet Innocentius, ubi ſupra, quod non; immo ille, cui ſolvitur, tenetur reſtituere ſolutum. Item in foro animæ non tenetur condemnatus ex injuſta ſententia: licet, ſi cogatur, teneatur obtemperare ſententiæ.

(190) Nullum dubium, quod hic in conſcientia, de qua in caſu, ad nil tenetur. Nil reipſa recepit. Reipſa nil habuit de alieno. Ad nil ergo obligari poteſt, quum ſolutio onerosa debitum ſupponat, & alienum, ex quo concurrit obligatio reſtitutionis. Immo nec jure civili teneretur aliquid ſolvere, ſi legitime probare poſſet, ſe nil recepiſſe, & fraude fuiſſe inductum ad conficiendum inſtrumentum; ea enim pacta in jure civili duntaxat obligant, in quibus omnis fraus abeſt, omniſque dolus, & contra leges non fuerunt edita: ut appoſite ff. *de pactis* L. *Juris gentium* §. *Ait Prætor — Pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adverſus leges, plebeſcita, Senatus conſulta, Edicta Principum, neque quo fraus, cui eorum fiat, facta erunt, ſervabo* —. Sententiam injuſtam quod reſpicit, certe privati hominis non eſt judicare de ipſius juſtitia, vel injuſtitia: & præſertim ſi quis ſit in propria cauſa. Nihilo tamen minus ſi ipſius injuſtitia adeo eſſet manifeſta, ut de ea nemo prudens dubitare poſſet: dubio procul quis in conſcientia non teneretur vi ipſius aliquid ſolvere. Dico vi ipſius: nam ſi ad ſolvendum cogeretur, tunc deberet ſolvere ad evitandum ſcandalum, & ne civilem perturbaret ſocietatem: retento tamen ſibi jure repetendi in foro conſcientiæ quod coacte, & per ſummam ſolvit injuriam.

TER-

Digitized by Google

Tertium Dubium. Utrum obligatus jure naturali, & civili teneatur?

Reſpondeo, quod ſic. & ſi id omittit, tenetur ad intereſſe: ſive ad hoc obligetur ex conventione ſolemni ff. *de re judicata* L. *Si quis ab alio* §. finali: ſive obligetur ex contractu reali, puta emptione, venditione, locatione, conductione, commodato, mandato, ſocietate &c. ff. *de actionibus empti & venditi* L. 1. in principio.

(191) *Obligatio eſt juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ, ſecundum noſtræ Civitatis jura* – Inſtitut. *de obligationibus* in principio. Si civili huic obligationi adjiciatur vinculum conſcientiæ, quod ſecum fert obligatio juris naturalis, vinculum vinculo adjicitur, & quiſque vir mentis compos ſtatim ſe obligatum debet agnoſcere, & profiteri. Si ſecus agat, tenetur is, dicit Author, ad id, quod intereſt. Textus ſuper hac re habemus apertiſſimos – *Si res vendita non tradatur, in id, quod intereſt, agitur: hoc eſt, quod rem habere intereſt emptoris* – ff. *de actionibus empti & venditi* L. 1. in principio –: *Idem ait, non tradentem, quanti interſit, condemnari: ſatis autem non dantem, quanti plurimum auctorem periclitari oportet* – ff. eod. tit. L. 11. §. 9. – *Cum venderet aliquis, promiſit emptori fidejuſſores præſtari, & rem venditam liberari: quæ ut liberetur, nunc deſiderat emptor. In mora eſt is, qui ea ſtipulatione id futurum promiſit. Quæro quid juris ſit? Proculus reſpondit: tanti litem æſtimari oportet, quanti actoris intereſt* – ff. *de verborum obligationibus* L. 113. §. 1. – *Si fundum certo die præſtari ſtipuler, & per promiſſorem ſteterit, quominus ea die præſtetur: conſecuturum me, quanti mea interſit, moram facti non eſſe* – ff. eod. tit. L. 114. Ratio in conſcientia eſt: quia eo in caſu culpa ſua damnum alteri infertur.

Quartum Dubium. Utrum tranſactio facta propter obligationem indebitam ſaltem jure naturali, excuſet eum, qui aliquid recipit, ut eam obligationem remittat?

Reſpondeo, quod non, ſed reſtituere tenetur acceptum C. *de tranſactionibus* L. *Præſes Provinciæ*, & ff. *de dolo malo* L. finali, & Gloſſa in cap. *Super eo* Extra *de tranſactionibus*, quæ dicit, quod, ſi evidens eſt calumnia, non tenet tranſactio ff. *de condictione indebiti* L. *In ſumma* §. 1.

(192) Tra-

(192) Tranſactio alia dicitur impropria, propria altera. Prima eſt omnis actus, quo partes ab obligatione recedunt, & quaſi tranſeunt, vi cujus negotium aliquod inter ipſas componitur, ſive id fiat litis componendæ cauſa, ſive non: & in hoc ſenſu quodlibet pactum dici poteſt tranſactio; hucque confert quod ſcriptum eſt ff. *de verborum ſignificatione* L. 229. – *Tranſacta, finitave intelligere debemus, non ſolum quibus controverſia fuit, ſed etiam quæ ſine controverſia ſint poſſeſſa* –. Secunda, ſcilicet propria, definiri ſolet: *de re dubia & controverſa, ſive lite incerta, & necdum finita, non gratuita, ſed onerоſa inter partes conventio, ſeu pactio, vel compoſitio* –. Brevius definitur a Polmanno apud Joannem Pontaſium ver. *Tranſactio* – *Tranſactio eſt conventio oneroſa, qua res dubia, & incerta componitur inter partes* – Definitiones hujuſmodi eruuntur ex L. 1. ff. *de tranſactionibus*, quæ eſt hujuſmodi – *Qui tranſigit, quaſi de re dubia, & lite incerta, neque finita tranſigit* –. Ad veram icci rco, juſtam, propriamque tranſactionem tres conditiones requiruntur. Prima eſt, quod res, ſuper qua tranſigitur, dubia ſit ex judicio ſaltem probabili utriuſque partis. Secus enim fieret injuria parti habenti pro ſe jus clarum, & perſpicuum; quia hæc non componere tranſigendo, ſed vexationem injuſtam redimere diceretur. Secunda eſt, quod conventio fiat cum aliquo onere utriuſque partis; aliter non eſſet tranſactio, ſed donatio. Jure icci rco docet Alex. III. Extra *de tranſactionibus* cap. 7., quod tranſactio ſine aliquo dato, vel retento, ſeu promiſſo non procedit, ~~textu pariter~~ aperto in jure civili C. *de tranſactionibus* L. 38. – *Tranſactio nullo dato, vel retento, ſeu promiſſo minime procedit* –. Tertia eſt, quod per eam lis componatur, aut dirimatur; ad hoc enim inducta tranſactio fuit. Jure igitur ſancitur in re judicata non eſſe locum tranſactioni, ff. *de condictione indebiti* L. 23. §. 1. – *Si poſt rem judicatam quis tranſegerit, & ſolverit, repetere poterit: idcirco, quia placuit tranſactionem nullius eſſe momenti. Hoc enim Imperator Antoninus cum D. Patre ſuo reſcripſit. Retineri tamen, atque compenſari in cauſam judicati, quod ob talem tranſactionem ſolutum eſt, poteſt* –. Ratio eſt perſpicua: quia res judicata in jure non cenſetur amplius incerta, ſed pro veritate accipitur, ff. *de diverſis regulis juris antiqui* L. 207. – *Res judicata pro veritate accipitur* –; & ff. *de ſtatu hominum* L. 25. – *Ingenuum accipere debemus etiam eum, de quo ſententia lata eſt, quamvis fuerit libertinus. Quia res judicata pro veritate accipitur* –. Secus tamen conſtituendum eſt, ſi judicatum negetur, aut ignoretur, ff. *de tranſactionibus* L. 11. – *Poſt rem judicatam, etiamſi provocatio non eſt interpoſita, tamen ſi negetur judicatum eſſe, vel ignorari poteſt, an judicatum ſit, quia adhuc lis ſubeſſe poſſit, tranſactio fieri poteſt* –. Idem dicas, ſi adhuc appellatio poſſit interponi, ibidem L. 7. in principio – *Et poſt rem judicatam tranſactio valet, ſi vel appellatio interceſſerit. vel appellare potueris* –. Tranſactio non componit diſſidium illud, de quo non cogitarunt contrahentes, ff. *de tranſactionibus* L.

9. in

Digitized by Google

9. in fine — *Iniquum eſt perimi pacto id, de quo cogitatum non dicetur* —: ſed illud ſolum, de quo verbis perſpicuis convenit inter partes, aut ejus conſequens neceſſarium. Quando lis eſt cum duobus, licitum eſt de ea re cum uno tranſigere; ſed pactum cum hoc initum alteri non prodeſt, C. eod. tit. L. 1. *Neque pactio, neque tranſactio cum quibuſdam ex curatoribus, ſive tutoribus facta auxilio cæteris eſt in his, quæ ſeparatim, communiterve geſſerint, vel gerere debuerunt. Cum igitur tres curatores habueris, & cum duobus ex his tranſegeris, tertium convenire non prohiberis* —. Tranſactio gerit vices judicii, & habet rationem rei judicatæ C. eod. tit. L. 20. — *Non minorem auctoritatem tranſactionum, quam rerum judicatarum eſſe, recta ratione placuit: ſiquidem nihil ita fidei congruit humanæ, quam ea, quæ placuerant, cuſtodiri* —. Ea igitur ſecuta, non licet amplius ab eadem recedere C. eod. tit. L. 39. — *Quamvis eum, qui pactus eſt, ſtatim pœniteat, tranſactio tamen reſcindi, & lis inſtaurari non poteſt: & qui ſibi ſuaſit, intra certum tempus licere a tranſactione recedere, falſum adſeveravit* —: & hoc ne quidem ſub læſionis prætextu; hujuſmodi enim læſio, ſi quæ eſt, compenſatur utilitate, quæ enaſcitur ex compoſitione litis. Excipe, niſi intervenerit dolus: quia tunc liceret a tranſactione reſilire, textu aperto C. *de tranſactionibus* L. 19. — *Sub prætextu inſtrumenti poſt reperti, tranſactionem bona fide finitam reſcindi, jura non patiuntur. Sane ſi per ſe, vel per alium ſubtractis inſtrumentis, quibus veritas argui potuit, deciſionem litis extorſiſſe probetur; ſi quidem actio ſupereſt, replicationis auxilio doli mali pacti exceptio removetur* —. Excipe pariter cauſam publicam, cauſam Eccleſiæ, & cauſam pupilli, ut probat Gloſſa ſuper L. hic poſtremo citata. Diſputari ſolet, utrum reſcindi poſſit tranſactio bona fide peracta, ſi poſtmodum conſtet de læſione ultra dimidium. Sed deſideratur concordia Juris Conſultorum, & Canoniſtarum: & leges in utramque partem proferuntur. Vide Lucium ferraris ver. *Tranſactio* num. 29. & ſeq., nec non Anacletum lib. 1. Decretal. tit. 36. §. 4. num. 52. & ſeq., qui ambo contendunt probabilius eſſe, quod ſit reſcindenda. Hiſce præhabitis, venio ad caſum Authoris, quem definitum eſſe cenſeo L. *Præſes Provinciæ* ab Authore citata, quæ eſt hujuſmodi — *Præſes Provinciæ examinabit, utrum de dubia lite tranſactio inter te, & Civitatis tuæ adminiſtratores facta ſit: an ambitioſe id, quod indubitate deberi poſſet, remiſſum ſit. Nam priore caſu ratam manere tranſactionem jubebit: poſteriore vero caſu, nocere Civitati gratiam non ſinet* —. Caſus ponit actorem ſcire obligationem, ſuper qua tranſigitur, ipſi non eſſe debitam. Deficit ergo in hoc caſu prima conditio, de qua ſupra, ad juſtam, propriamque tranſactionem requiſita. Confert iccirco ſummopere, quod ſcripſit Anacletus in lib. 1. Decretalium tit. 36. num. 4. — Dicitur de re dubia. Nam ſi manifeſte apparet de calumnia (ideſt ſi conſtet, litem tantummodo eſſe calumnioſam, & ſine ulla juſta cauſa litigandi ſuſceptam) aut ſi pars tranſigens certo ſciat, nullum ſibi jus in re competere, non

valet

valet tranſactio inde ſecuta: & ſi quid eo nomine datum; ac receptum fuit, repetitur datum, eſtque reſtituendum non ſolum in foro conſcientiæ (quod ex ſe eſſe notiſſimum, inquit Molina tract. 2. de juſtitia & jure diſput. 556. num. 1., eo quod taliter tranſigens, ac datum recipiens, nullum juſtum titulum retinendi habeat) ſed etiam pro foro externo L. *In ſumma* ff. *de condictione indebiti*, ac tenet Gloſſa in cap. *Super eo* ver. *Dato*, & Abbas ibi num. 3. hoc titulo, Pirhing. eodem num. 3., Molina cit. num. 1., qui omnes iſtud intelligunt ex parte actoris. Si enim actor tranſigat, ſciens rem ad alterum pertinere, tranſactio etiam in foro externo ipſo jure eſt nulla juxta citatam L. *In ſumma* --. Hactenus ille.

Sed quid, ſi tempore tranſactionis ignorabat talem obligationem ſibi eſſe indebitam, quia revera tunc temporis res hæc incerta erat, & dubia, & duntaxat poſt aliquod tempus, reperiens publicum inſtrumentum, in cognitionem devenit, quod ſibi erat indebita? Res clamat ad Dominum. Nemo poteſt cum alterius injuria locupletari. Dolus non intervenit ex propoſito, ſed intervenit reipſa. Dubio ergo procul, habita tali notitia, fit injuſtus detentor, & reſtituere tenetur quidquid accepit. Excipe, niſi completa fuerit præſcriptio: cum enim hic ponatur poſſeſſor bonæ fidei ex titulo tranſactionis, præſcriptio certe locum habet, & præſcriptionis beneficio juvari is poteſt.

Quintum Dubium. Utrum Pater obligetur ex contractu filii?

Reſpondet Dominus Joannes de Platea Inſtitut. *Quod cum eo qui in aliena poteſtate eſt* §. *Præterea* ver. *In rem*, quod aut verſum eſt in utilitatem Patris, puta quia filius mutuam accepit pecuniam, ut ſe veſtiret ſecundum convenientiam ſuam, & hujuſmodi: & tunc tenetur L. 3. §. *Idem Labeo* ff. *de in rem verſo*, & dicto §. *Præterea* ... *In rem*. Si vero non eſt verſum in utilitatem Patris, ſed potius accepit mutuo, ut faceret pompas, luderet, & hujuſmodi: tunc nec Pater obligatur pro filio, nec Dominus pro ſervo L. *Quod ſi ſervus* §. *Sed ſi ſic accepit* ff. *de in rem verſo*, niſi ejus juſſu feciſſet ff. *quod juſſu* L. 1. Si adhuc habet pompas emptas, eas tradet creditori L. 3. §. finali ff. *de in rem verſo*. Quod ſi filius habet peculium, tenetur pater reſtituere quantum ſe extendit dictum peculium: deducto tamen prius eo, quod pater debet habere ex

eodem

eodem L. *Sed ſi damnum* §. *Peculium* ff. *de peculio*. Item ſi pater ſcit damnum, quod filius alteri facit, & non prohibet, aut non emancipat eum, tenetur ſecundum Monaldum tit. *Reſtitutio quinto*.

(193) De hac re jam multa dixi Annotatione 161; & annotatione 184. Recole igitur quæ iis in locis producta ſunt. Unice hic recitabo leges, quas Author adpellat —. *Idem Labeo ait, ſi ſervus mutuatus nummos a me, alii eos crediderit, de in rem verſo Dominum teneri, quod nomen ei adquiſitum eſt: quam ſententiam Pomponius ita probat, ſi non peculiare nomen fecit, ſed quaſi Dominicæ rationis: ex qua cauſa hactenus erit Dominus obligatus, ut ſi non putat ſibi expedire nomen debitoris habere, cedat creditori actionibus, procuratoremque eum faciat* — ff. *de in rem verſo* L. 3. §. 5. Idem firmatur §. ſequenti — *Nec non illud quoque in rem Domini verſum, Labeo ait, quod mutuatus ſervus Domino emit volenti ad luxuriæ materiam, unguenta forte, vel ſi quid ad delicias, vel ſi quid ad turpes ſumptus ſubminiſtravit. Neque enim ſpectamus, an bono Domini ceſſerit, quod conſumptum eſt, ſed an in negotium Domini* —. Nota verba illa — *Domino emit volenti*. Quod poſtmodum Dominus non teneatur, quando in ipſius utilitatem verſum non eſt, docemur eadem L. §. 9. — *Sed ſi ſic accepit, quaſi in rem Domini verteret, nec vertit, & decepit creditorem, non videbitur verſum, nec tenetur Dominus: ne credulitas creditoris Domino obeſſet, vel calliditas ſervi noceret. Quid tamen, ſi is fuit ſervus, qui ſolitus erat accipiens vertere? Adhuc non puto nocere Domino, ſi alia mente ſervus accepit: aut ſi, cum hac mente accepiſſet, poſtea alio vertit. Curioſus igitur debet eſſe creditor, quo vertatur* —. Excipit Author, quando hoc factum eſt juſſu Domini, textu aperto ff. *Quod juſſu* L. 1. in principio — *Merito ex juſſu Domini in ſolidum adverſus eum judicium datur: nam quodammodo cum eo contrahitur, qui jubet* —. Si enim ſcienti, & conſentienti non fit injuria, multo minus volenti, & jubenti. Verum quidem eſt, quod hujuſmodi leges expreſſe loquuntur de ſervo, non autem de filio familias. Sed rem præſentem quod reſpicit in eadem navi ſunt ſervus & filius, quum ambo proprietate careant, & ſub aliena poteſtate vivant. Nihilotamen minus ſi leges exoptas loquentes expreſſe de pupillo, & filio familias, eas jam habes Annotatione 161. & 184., de quibus ſupra. Ex abundanti attamen unam accipe, vel alteram — *Proinde ſi acceperit pecuniam, & in rem patris vertit, ceſſat Senatuſconſultum; patri enim, non ſibi accepit* — ff. *de Senatuſconſulto Macedoniano* L. 7. §. 12. — *Filius familias ſi in id acceperit mutuam pecuniam, ut eam pro ſorore ſua in dotem daret, pater ejus de in rem verſo actione tenebitur* — ff. eod. tit. L. 17. Si filius mutuam accipiat pecuniam inſcio patre, & pater id ſciens incipiat eam ſolvere ex parte,

cenſetur probare , & tenetur ad reliquum , textu aperto ff. eod. tit. L. 7. §. 15. — *Hæc amplius ceſſabit Senatuſconſultum , ſi pater ſolvere cœpit , quod filius familias mutuum ſumpſerit , quaſi ratum habuerit* —.

Peculium dictum eſt quaſi puſilla pecunia , ſive patrimonium puſillum — ff. *de peculio* L. *Depoſiti* §. 3. — *Peculium autem Tubero quidem ſic definit , ut Celſus lib. 6. Digeſtorum refert , quod ſervus Domini permiſſu ſeparatim a rationibus Dominicis habet , deducto inde , ſi quod Domino debetur* — ff. ibidem §. 4. Peculium habere poteſt non ſolum ſervus , ſed etiam filius , ut ff. eod. tit. L. *Quam Tuberonis* §. 3. — *Pupillum autem tam filium , quam ſervum peculium habere poſſe , Pedius lib. 15. ſcribit , cum in hoc inquit , totum ex Domini conſtitutione pendeat* —. De filio peculium habente hic loquitur Author , & conſtituit , quod in hoc caſu tenetur pater ſolvere ex peculio filii , & quidem jure optimo : quia ſtatim atque pater puſillam hanc ſubſtantiam filio ceſſit , facta ipſa eſt quaſi propria filii . Per ſummam igitur æquitatem impendenda eſt in ſolutione eorum , quæ filius ſciens & volens alteri debet , & non inſumpſit in utilitatem patris , aut familiæ . Dicit Author , quod deduci debent ea , ſi quæ forte filius debet patri , textu aperto ff. eod. tit. L. *Sed ſi damnum* §. 2. — *Peculium autem , deducto quod Domino debetur , computandum eſſe : quia prævenisse Dominus , & cum ſervo ſuo egiſſe creditur* —. Immo & ea , ſi quæ deberet aliis exiſtentibus ſub poteſtate Domini , ut perſpicue ibidem §. ſeq. — *Huic definitioni Servius adjecit , & ſi quid his debeatur , qui ſunt in ejus poteſtate , quoniam hoc quoque Domino deberi nemo ambigit* —. Immo & ea , ſi quæ deberet aliis viventibus ſub tutela , vel cura patris , aut Domini , ut expreſſe ibidem §. item ſeq. — *Præterea id etiam deducetur , quod his perſonis debetur , quæ ſunt in tutela , vel cura Domini , vel patris , vel quorum negotia adminiſtrant* —. Ratio affertur ibi poſt paucula — *Nam , ut eleganter Pedius ait , ideo hoc minus in peculio eſt , quod Domino , vel patri debetur : quoniam non eſt veriſimile , Dominum id concedere ſervo in peculium habere , quod ſibi debetur* —. De peculio filiifamilias caſtrenſi , vel quaſi caſtrenſi , adventitio , & profectitio , erit alibi ſermo .

Concludit Author , quod pater videns filium alteri damnum inferentem , & non prohibens , tenetur ad reſtitutionem . Concinit Regula 43. Juris in Sexto — *Qui tacet , conſentire videtur* — : & præſertim quum ex officio , & paterna auctoritate pater teneatur ad corripiendum filium — *Qui parcit virgæ , odit filium ſuum* — Proverb. 13. v. 24. : & 1. Regum v. 12. & ſeq. — *In die illa ſuſcitabo adverſum Eli omnia , quæ locutus ſum ſuper domum ejus : Incipiam , & complebo . Prædixi enim ei , quod judicaturus eſſem domum ejus in æternum propter iniquitatem : eo quod noverat indigne agere filios ſuos , & non corripuerit eos* — . Id intellige , cum poteſt impedire ; in hoc enim ſenſu ſancivit Joannes VIII. diſt. 86. cap. 3. — *Facientis culpam procul dubio habet , qui quod poteſt corrigere , negligit emendare : ſcriptum*

quip-

zed by Google

quippe eſt : non ſolum qui faciunt , ſed etiam qui conſentiunt facientibus , participes judicantur — . Egregie quapropter Joannes Andreæ in Regulam 44. Juris in Sexto — *Iſtud tacere , quod eſt medium , ſumit effectum quandoque unius extremorum , quandoque alterius : nam ſi contradicendo poterat impedire , ſimilatur conſenſui ..... , ſi non poterat impedire , aſſimilatur contradictioni* — .

SEXTUM DUBIUM . Utrum mercatores , qui Apothecis ſuis inſtitores præponunt , teneantur de ipſorum contractibus ?

Reſpondet idem , qui ſupra §. *Inſtitoria* , quod ſic , ſi contractus nomine principalium eſt factus , & præſertim quando in ipſorum vertitur utilitatem L. *Cuicumque* §. 1. & 2. , & L. 7. ff. *de inſtitoria actione* : quia videtur contrahere cum præponente qui contrahit cum præpoſito L. *ſi inſtitorem* ff. *Si certum petatur* . Idem dicas de exercitore navis L. 1. in principio ff. *de exercitoria actione* .

(194) Inſtitor ille eſt , quem quis alicui rei ſuæ agendæ præponit . Quod pro inſtitoribus principales teneantur , totus eſt titulus *de Inſtitoria actione* in Digeſtis ; Lege enim prima in principio ita ſancitur — *Æquum Prætori viſum eſt , ſicut commoda ſentimus ex actu inſtitorum , ita etiam obligari nos ex contractibus ipſorum , & conveniri* — : & L. 5. §. 1. — *Nam & Servius libro primo ad Brutum ait , ſi quid cum inſulario geſtum ſit , vel eo , quem quis ædificio præpoſuit , vel frumento cœmendo , in ſolidum eum teneri* — : & ibidem §. 2. *Labeo quoque ſcripſit , ſi quis pecuniis fœnerandis , agris colendis , mercaturis , redempturiſque faciendis præpoſuerit , in ſolidum eum teneri* — . Confert quoque quod ſcriptum eſt ff. *de rebus creditis* L. 29. — *Si inſtitorem ſervum Dominus habuerit , poſſe dici , Julianus ait , etiam condici ei poſſe : quaſi juſſu ejus contrahatur , a quo præpoſitus ſit* — . Ratio eſt : quia ut habet Regula 72. Juris in Sexto — *Qui facit per alium , eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum* — . Id tamen intellige , ſi inſtitor non egrediatur limites inſtitutionis ſuæ ; jure enim conſtitutum eſt ff. *de inſtitoria actione* L. 5. §. 11. & ſeq. — *Non tamen omne , quod cum inſtitore geritur , obligat eum , qui præpoſuit : ſed ita ſi ejus gratia , cui præpoſitus fuerit , contractum eſt , id eſt duntaxat ad id , ad quod eum præpoſuit . Proinde ſi ad mercium diſtractionem , tenebor nomine ejus ex empto actione . Item ſi forte ad emendum eum præpoſuero , tenebor duntaxat ex vendito . Sed neque ſi ad emendum , & ille vendiderit : neque ſi ad vendendum , & ille emerit , de-*

Digitized by Google

bebit teneri. Idque Caſſius probat —. Ratio eſt manifeſta: quia in ceteris non agit nomine principalis, & per Regulam 9. Juris in Sexto — *Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum* —.

Author vult idem eſſe dicendum de exercitore navis, ſeu de navis magiſtro, quem ſic deſcriptum lego ff. *de exercitoria actione* L. 1. §. 1. — *Magiſtrum navis accipere debemus, cui totius navis cura mandata eſt* —. Ita eſt reipſa: & quidem potiori jure, ut probatur hac eadem L. in principio — *Utilitatem hujus Edicti patere, nemo eſt qui ignoret. Nam cum interdum ignari, cujus ſint conditionis, vel quales, cum Magiſtris propter navigandi neceſſitatem contrahamus, æquum fuit eum, qui magiſtrum navi impoſuit, teneri: ut tenetur, qui inſtitorem tabernæ, vel negotio præpoſuit, cum ſit major neceſſitas contrahendi cum magiſtro, quam inſtitore: quippe res patitur, ut de conditione quis inſtitoris diſpiciat, & ſic contrahat: in navis magiſtro non ita: nam interdum locus, tempus non patitur plenius deliberandi conſilium* —. Idem tamen de nautis adſerendum non eſt, ut appoſite ibidem §. 2. — *Sed ſi cum quolibet nautarum ſit contractum, non datur actio in exercitorem: quamquam ex delicto cujuſvis eorum, qui navis navigandæ cauſa in nave ſunt, detur actio in exercitorem: alia enim eſt contrahendi cauſa, alia delinquendi: ſi quidem qui magiſtrum præponit, contrahi cum eo permittit: qui nautas adhibet, non contrahi cum eis permittit, ſed culpa & dolo carere eos curare debet* —.

SEPTIMUM DUBIUM. Utrum famulus, qui pecuniam mutuo accepit pro Domino, ſed Domino inſcio, & ex ea lucrum fecit, teneatur reſtituere hoc lucrum?

Reſpondet Scotus in quodam tractatu, quod aut talis famulus eſt pauper: & tunc tenetur, quia ſi perdita fuiſſet dicta pecunia, Domino fuiſſet perdita, & iccirco etiam Domini debet eſſe lucrum ex ea perceptum. Aut talis famulus eſt dives, & ſub nomine Domini duntaxat mutuum accepit, quia nomine ſuo non inveniſſet, ſed tamen intendebat periculum dictæ pecuniæ ad ſe pertinere: & tunc non tenetur.

(195) Hic caſus affinis eſt illi, quem propoſuit S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 5., §. 5; & de quo dixi Annotatione 168, quæres tertio. Si hic famulus animo ſincero intendit, & proponit, quod periculum pecuniæ mutuo acceptæ ad ſe pertineat, & non ad Dominum; & aliunde dives ipſe eſt, vel ſaltem habet de proprio quantum ſufficit, ut Dominus in quocum-

cumque caſu ſervetur indemnis: non video, cur Domino reſtituere teneatur lucrum inde perceptum. Lucrum hoc eſt fructus induſtriæ famuli. Domino igitur ſervato indemni, lucrum erit famuli, non autem Domini. Si autem famulus tanta inopia laborat, quod in caſu amiſſionis pecuniæ Dominus ſervari non poſſit indemnis: abutitur is ſuo munere in damnum Domini ſui, & periculum pecuniæ pertinet ad Dominum. Ad Dominum igitur pertinere etiam debet lucrum inde perceptum: quia, ut egregie C. *de furtis & ſervo corrupto* L. *Manifeſtiſſimi* §. 3. — *Ubi enim periculum, ibi & lucrum collocetur* —. Hactenus juxta doctrinam Authoris: quam probat, & obſignat Roſella ver. *Reſtitutio nono* num. 9. Adderem ego, quod aut hic famulus egreſſus non eſt fines, & terminos ſui famulatus, & muneris: aut eos egreſſus eſt, faciens id, ad quod munus famuli non ſe extendebat. Si primum, optima eſt doctrina Authoris, & diſtinctio ab eodem expoſita, cui nihil addendum, nihil eſt detrahendum. Si vero ſecundum, quum in hoc caſu periculum pecuniæ, ſi amittatur, non pertineat ad Dominum, ut nunc dixi de inſtitoribus, nec ad ipſum debebit pertinere lucrum. Quid interim fiet? En quod ſentio; ſalvo meliori judicio. Si amittitur pecunia, non Domino amittitur, ſed mutuatori, qui antequam pecuniam traderet, perquirere debebat, an ad hoc ſe extenderet munus, & auctoritas famuli, nec ne — *Quippe res patitur, ut de conditione quis inſtitoris diſpiciat, & ſic contrahat* — ſcriptum eſt ff. *de exercitoria actione* L. 1. in principio. Si autem pecunia ſervatur, immo & lucrum ex ea percipitur: lucrum hoc non erit mutuatoris, quia mutuam tradendo pecuniam dominium in alterum tranſtulit: non erit item Domini, quia in acceptione hujus mutui ſervus non eſt famulatus Domino, ſed abuſus eſt nomine Domini in eo, in quo nec debebat, nec poterat. Lucrum ergo in hoc caſu erit famuli, & fructus ſuæ induſtriæ.

Octavum Dubium. Utrum agens negotia alterius teneatur ei ad intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis?

Reſpondeo, quod ſic, ſi hoc contigit culpa ſua. Puta tutor, vel curator amittit culpa ſua juſtam cauſam pupilli, vel minoris: aut non acquiſivit quod potuit debite acquirere: aut fuit negligens in exigendo nomina debitorum, & hi facti ſunt non ſolvendo. Tenetur autem ipſe non ſolum de dolo, & de lata culpa, ſed etiam de levi L. *Quicquid* C. *Arbitrium tutelæ*, & L. 1. C. *de teſtamentaria tutela*, & cap. *Cum in officiis* Extra *de teſtamentis*, & L. *Non eſt*

eſt ignotum, & L. *Si bonam* C. *de adminiſtratione tutorum*, & L. 9. §. *Sicut* ff. eodem titulo, & Inſtitut. *de obligationibus quæ quaſi ex contractu naſcuntur* in principio. Multi volunt, quod etiam teneatur de culpa leviſſima; ſed credo veriorem opinionem, quod de hac non teneatur, niſi in caſu, in quo erat in promptu alius diligentiſſimus, ſi iſte non ſe obtuliſſet ff. *de negotiis geſtis* L. *Si pupilli* §. *Sed & ſi quis*. Gloſſa ſuper Inſtitut., ubi ſupra, ſcribit, quod tenetur etiam de caſu fortuito in ſex caſibus, quos videre poteris apud eandem.

(196) Leges ſuper hac re & multiplices ſunt, & omnes perſpicuæ. Nonnullas proferam — *Quem dicis tibi tutorem in teſtamento patronæ datum, ſi adminiſtrationi ſe non immiſcuit, nulla actione tibi tenetur: neque enim jure datus tutor fuit. Quod ſi adminiſtraverit ſponte res tuas, experiri adverſus eum actione negotiorum geſtorum potes* — C. de teſtamentaria tutela L. 1. — *Non eſt ignotum tutores, vel curatores adoleſcentum, ſi nomine pupillorum, vel adultorum ſcientes calumnioſas inſtituant actiones, eo nomine condemnari oportere: ne ſub prætextu nominis eorum propter ſuas ſimultates ſecure lites ſuas exercere poſſe exiſtiment* — C. de adminiſtratione tutorum L. 6. — *Si bonam cauſam ea, cujus tutor es, habuit, & adverſus latam ſententiam non appellaſti, ſeu poſt appellationem provocationis ſolemnia implere ceſſaveris: tutelæ judicio indemnitatem pupillæ præſtare debes* — C. eod. tit. L. 11. — *Pupillorum, ſeu Minorum defenſores, ſi per eos donationum conditio neglecta eſt, rei amiſſæ periculum præſtent* — C. eod. titulo L. 21. — *Quidquid tutoris dolo vel lata culpa, aut levi, ſeu curatoris, minores amiſerint, vel cum poſſent, non adquiſierint: hoc in tutelæ, ſeu negotiorum geſtorum utile judicium venire, non eſt incerti juris* — C. *Arbitrium tutelæ* L. 7. — *Si commiſſa eſt ſtipulatio ratam rem Dominum habiturum: in tantum competit, in quantum mea interfuit: ideſt quantum mihi abeſt, quantumque lucrari potui* — ff. *Ratam rem haberi* L. 13. — *Si poſt depoſitionem pecuniæ comparare prædia tutores neglexerunt, incipient in uſuris conveniri. Quamquam enim a Prætore cogi eos oportet ad comparandum, tamen ſi ceſſent, etiam uſuris plectendi ſunt tarditatis gratia, niſi ſi per eos factum non eſt, quo minus compararent* ff. de adminiſtratione & periculo tutorum L. 7. §. 3. Ratio eſt in promptu Inſtitut. *de obligationibus, quæ quaſi ex contractu naſcuntur* §. 1. — *Sicut autem is, qui utiliter geſſit negotia, Dominum habet obligatum negotiorum geſtorum: ita & contra iſte quoque tenetur, ut adminiſtrationis reddat rationem* —. Ex hac ratione ſponte fluit, quod tutor (idem dicas de

Digitized by Google

de curatore, aliove gerente negotia alterius) teneatur de dolo, de culpa lata & de levi, non autem de leviſſima: quia eſt contractus, vel quaſi contractus, ut cum lege loquar Inſtitut. ibidem §. 2., cedens in utilitatem utriuſque. Excipit Author caſum, in quo quis ſe obtuliſſet, & ſe offerendo alium diligentiorem privaſſet, & excluſiſſet. Et hoc apertum eſt in lege Inſtitut. ibidem §. 1. — *Quo caſu ad exactiſſimam quiſque diligentiam compellitur reddere rationem: nec ſufficit talem diligentiam adhibere, qualem ſuis rebus adhibere ſolet: ſi modo alius diligentior eo commodius adminiſtraturus eſſet negotia* —.

NONUM DUBIUM. Utrum ille, pro quo quis agit negotia utiliter, obligetur eidem?

Reſpondeo, quod ſic. Arguitur L. *Cum pecuniam* ff. *de negotiis geſtis*. Exemplum: Curator ſolvit debita minoris, uxor redimit maritum, aut aliam rem neceſſariam L. *Sed & ſi ideo* ff. *ſoluto matrimonio*, & hujuſmodi.

(197) Id jam conſtat ex ſupradictis; mutua enim eſt actio inter eum, qui agit negotia alterius, & eum pro quo negotia geruntur. Legem *Cum pecuniam* jam integram dedi Annotatione 183., quam potes recolere. Aperta eſt L. 21. ff. *ſoluto matrimonio* — *Sed etſi ideo maritus ex dote expendit, ut a latronibus redimeret neceſſarias mulieri perſonas, vel ut mulier vinculis vindicet de neceſſariis ſuis aliquem: reputatur ei id, quod expenſum eſt; ſive pars dotis ſit, pro ea parte; ſive tota dos ſit, actio dotis evaneſcit* —. Omnium tamen apertiſſima, ut puto, eſt L. 45. in principio ff. *de negotiis geſtis* — *Quæ utiliter in negotia alicujus erogantur, in quibus eſt etiam ſumptus honeſte ad honores per gradus pertinentes factus, actione negotiorum geſtorum peti poſſunt* —.

Sed quid, ſi alterius negotia gerens aliquid dedi ſimoniace pro ipſo, eodem mandante, vel ratum habente? Pro hiſce expenſis actio mihi non competit adverſus eundem — *Rei turpis nullum mandatum eſt: & ideo hac actione non agetur* — ff. *Mandati* L. 6. §. 3. — *Si adoleſcens luxurioſus mandet tibi, ut pro meretrice fidejubeas, idque tu ſciens mandatum ſuſceperis, non habebis mandati actionem: quia ſimile eſt quaſi perdituro pecuniam ſciens credideris. Sed etſi ulterius directo mandaverit tibi, ut meretrici pecuniam credas, non obligabitur mandati, quaſi adverſus bonam fidem mandatum ſit* — ff. eod. tit. L. 12. §. 11. — *Qui ædem ſacram ſpoliandam, hominem vulnerandum, occidendum mandatum ſuſcipiat, nihil mandati judicio conſequi poteſt propter turpidinem mandati* — ff. eod. tit. L. 22. §. 6.

Dices. Etſi id non poſſim repetere actione mandati propter leges hic reci-

recitatas merito prohibentes repetitionem: poſſem tamen ipſum repetere actione *de in rem verſo*, quia videlicet verſum fuit in utilitatem, aut in negotium Domini, textu pariter aperto ff. *de in rem verſo*, L. 3. §. 6. — *Nec non illud quoque in rem Domini verſum, Labeo ait, quod mutuatus ſervus Domino emit volenti ad luxuriæ materiam, unguenta forte, vel ſi quid ad delicias, vel ſi quid ad turpes ſumptus ſubminiſtravit. Neque enim ſpectamus an bono Domini ceſſerit, quod conſumptum eſt, ſed an in negotium Domini* —.

℞. Ingenue fateor in hoc caſu agi poſſe actione *de in rem verſo*, quæ non diſtinguit, utrum res verſa fuerit in bonum mandantis nec ne. Sed ſic agens protinus excluditur per actionem mandati, quæ merito ſtatuit, quod propter turpitudinem mandati nihil omnino quis conſequatur, eo quia utiliter non gerit negotium mandantis. *Nihil enim intereſt, qua actione conveniatur*, ait L. 8. §. 13. ff. *ad Senatuſconſultum Vellejanum*. Satis quippe eſt, quod aliquo titulo agentis actio excludatur, & nihil reipſa debeat conſequi.

Decimum Dubium. Utrum promittens aliquid alicui ob cauſam: puta ut eat ad Sanctum Jacobum, ut manumittat ſuum, ut oret Deum pro ſe, & hujuſmodi: teneatur cauſa non ſecuta?

Reſpondeo, quod aut ſtetit per eum, cui promiſſio facta eſt, quod cauſa non ſequeretur, cum tamen poſſet: & tunc promittens non tenetur; immo ſi alter aliquid accepit, debet ipſum reſtituere. Si autem non ſtetit per eum, cui promiſſio facta eſt, quia legitimo fuit ipſe impedimento detentus, puta infirmitate, aut ille, qui promiſit, prohibuit: tunc etiam promittens non tenetur; & ſi aliquid alter accepit, reſtitui hoc debet, niſi damnum aliquod ipſe pateretur propter præparationem jam factam. In hoc enim caſu ſi ſtetit per promittentem, quia hic noluit, ut iret, ut manumitteret &c., promittens tenetur alteri de lucro ceſſante, ſi lucrum aliquod amiſit, & inſuper de damno emergente, ſi expenſæ aliquæ jam ab eo factæ ſunt L. *Si pecuniam* ff. *de condictione cauſa data*. Si autem ſtetit per illum, cui promiſſio facta eſt, puta propter ejuſdem infirmitatem, promittens tunc unice tenetur eidem de expenſis factis, præparando ſe &c. Et hoc nota pro Regula. Nota

etiam

etiam , quod datum pro cauſa , cauſa non ſecuta , reſtituendum eſt in conſcientia , etiamſi cauſa fuiſſet in corde. Si datum eſt pro Deo , ſicuti facit hypocrita , reſtitutio non eſt facienda ei , qui dedit , ſed pauperibus ſecundum Innocentium dict. cap. *Quia plerique* : quia hypocrita jam recepit mercedem ſuam , In aliis autem caſibus illi , qui dedit , debet reſtitui.

(198) Uterque ſervari debet indemnis , & promittens , & ille , cui promiſſio facta eſt. Promittens quidem , cauſa non ſecuta repetendo quod in hunc finem largitus eſt. Ille item , cui facta fuit promiſſio , ſi in hunc eundem finem jam fecerat expenſas , vel lucrum aliquod amiſit . Omnia perbelle exprimuntur L. *Si pecuniam* ab Authore indicata — *Si pecuniam ideo acceperis , ut Capuam eas , deinde parato tibi ad proficiſcendum conditio temporis , vel valetudinis impedimento fuerit , quo minus proficiſcereris : an condici poſſit , videndum ? Et , cum per te non ſteterit , poteſt dici repetitionem ceſſare ; ſed cum liceat pœnitere ei , qui dedit , procul dubio repetetur id , quod datum eſt : niſi forte tua interſit non accepiſſe te ob hanc cauſam pecuniam : nam ſi ita res ſe habeat , ut licet nondum profectus ſis , ita tamen rem compoſueris , ut neceſſe habeas proficiſci : vel ſumptus , qui neceſſarii fuerunt ad profectionem , jam feciſti , ut manifeſtum ſit , te plus forte quam accepiſti , erogaſſe , condictio ceſſabit : ſed , ſi minus erogatum ſit condictio locum habebit ; ita tamen , ut indemnitas tibi præſtetur ejus , quod expendiſti* — .

Undecimum Dubium . Utrum hæres teneatur ex delicto defuncti ?

Reſpondet Bartolus in L. 1. ff. *de privatis delictis* , quod quædam eſt actio pœnalis ex utraque parte , puta quando pro delicto in pœnam petitur pecunia applicanda parti : & tunc hæres non tenetur , præſertim in foro conſcientiæ . Facit Gloſſa in cap. *Fraternitas* 12. q. 2. Alia vero eſt actio pœnalis duntaxat ex parte Rei , quia actor rem ſuam perſequitur , puta quando hic agit pro ſatisfactione damni paſſi : & in hoc caſu , licet hæres non teneatur de jure civili , vi cujus duntaxat tenetur in contractu , tenetur tamen de jure Canonico , & in conſcientia , ſi hæreditas ſufficiat :

quamvis Panormitanus aliter ſentiat in cap. final. *de ſepulturis*.

(199) De obligatione hæredis poſt mortem teſtatoris jam multa dixi Annotatione 56., exponens caſum, in quo quærebatur: utrum hæres uſurarii teneatur reſtituere omnes uſuras illius, cujus eſt hæres. Ea igitur recole. Præſentem caſum quod reſpicit, in quo inquiritur: an hæres teneatur ex delicto defuncti? non invenio qui eundem fuſius, & clarius exponat, quam Author ipſe in Angelica ver. *Hæres* num. 4. Liceat ergo mihi integrum ipſius reſponſum hic exſcribere.

℞. ut colligo ex Bartolo in L. 1. ff. *de privatis delictis*, quod aut actio eſt pœnalis ex utraque parte, ut puta quando petitur pœna, quæ eſt applicanda parti. Nam tam ex parte Rei, quam actoris eſt pœnalis. Et ſic non tenetur aliquo jure. Si vero actio eſt pœnalis ex parte Rei, & proſecutoria rei ex parte actoris, ut puta quia ago pro ſatisfactione damni mei: & ſic de jure civili, ſi delictum fuit commiſſum circa contractum, qui quidem contractus tenuit, ſic tenetur hæres, quia non fundatur intentio actoris immediate ex delicto, ſed ex contractu, puta quia agitur actione commodati, vel depoſiti, & hujuſmodi, & non ex dolo, vel delicto. Caſus eſt in L. *Ex depoſiti* ff. *de actionibus & obligationibus*, & L. *Ex contractibus* ibidem, & bonus textus in L. *Si hominem* §. *Datur actio* ff. *Depoſiti*. Si vero fuit commiſſum delictum circa contractum, qui non tenuit, ut puta quia dolus dedit cauſam contractui: quia non non tenet, ut in cap. *Cum dilecti* Extra *de emptione & venditione*, ſic non tenetur: quia cum agere non poſſit ex contractu, cum non ſit, oporteret agere ex delicto contra hæredem, & crimina morte extinguuntur 23. diſt. cap. *Quorundam*, & nullus poſt mortem poteſt accuſari 24. q. 2. cap. 1., ff. *de bonis eorum, qui ante ſententiam mortem ſibi conſciverunt* L. ultima, 23. q. 2. cap. *Admonere*: niſi in caſibus hæreſis 24. q. 2. cap. *Sane*; vel ſi hæreticus inſtituit hæredes Extra *de hæreticis* cap. *Si quis Epiſcopus*; vel ſi in crimine notorio deceſſit, ut notat Gloſſa dict. cap. *Quorundam*, & 24. q. 2. in Summa (Gloſſa ſcilicet in principio hujus quæſtionis ſecundæ). Vel dic generaliter quandocumque commiſit defunctus crimen propter quod ipſo facto pœna ſit inflicta a lege, ſicuti in hæreſi, & crimine læſæ majeſtatis: quia tunc accuſatur, & agitur contra hæredem, non ut puniatur ex illo delicto, ſed ut bona auferantur ab eo, quæ in commiſſum ceciderunt; Facit L. *Commiſſa* ff. *de publicanis*, & textus bonus in cap. 2. *de præſcriptionibus* lib. 6. Alias non tenetur hæres pro quocumque delicto commiſſo a defuncto ſive in contractu nullo, ſive extra omnem contractum, niſi in duobus caſibus. Primus, ſi lis fuit conteſtata cum defuncto, ut L. unica C. *Ex delictis defunctorum*. Ratio, quia in judicio quaſi contrahimus, ut in L. 3. §. *Idem ſcri-*

Digitized by Google

ſcribit ff. *de peculio*. Secundus, ſi aliquid pervenit ad hæredem ex delicto defuncti: quia in tantum tenetur, & non plus, ut in dict. L. unica. Fallit in condictione furtiva: quia in L. *Si pro fure* ff. *de condictione furtiva* dicit textus — *Furti actio pœnam petit legitimam : condictio rem ipſam* —, & ſequitur — *Condictio rei furtivæ, quia rei habet perſecutionem, hæredem quoque furis obligat: nec tamen ſi vivat ſervus furtivus, ſed etiam ſi deceſſerit* —, ſcilicet vivo fure, vel mortuo. De jure autem Canonico tenet Bartolus indiſtincte teneri, quando quis agit pro ſatisfactione damni contra hæredem: & hoc ſequuntur communiter Doctores. & ſic intelligendæ ſunt Gloſſæ *de pignoribus* in cap. *Ex præſentium*, *de ſolutionibus* cap. 1. *de raptoribus* cap. *In litteris*, *de uſuris* cap. *Tua nos*. Intellige in quantum hæreditas ſe extendit. Et placet in conſcientia: licet Panormitanus in cap. final. *de ſepulturis* ſolum admittat verum, quando defunctum pœnituit: quia jura Canonica loquuntur, quod tenetur, quando defunctum pœnituit, ut notat Gloſſa ſingularis in cap. *A nobis* 2. *de ſententia excommunicationis*, quia tunc agitur ex quaſi contractu, non ex delicto. Si vero non pœnituit, non tenetur ſecundum eundem Panormitanum in ult. not., & Gloſſam dict. cap. *A nobis* in ver. Mortuo: niſi quatenus de jure civili tenetur —. Hactenus Author. Brevibus rem omnem complector. In jure Canonico, & in conſcientia, quotieſcumque agitur pro ſatisfactione damni illati a teſtatore, hæres tenetur ex delicto defuncti in quantum ſe extendit iſtius hæreditas. Si autem pro hac ſatisfactione non agatur, hæres unice tenetur in caſibus ſpeciatim ſupra enumeratis.

Quæres. An hæres teneatur ad vota defuncti?

℞. Rem hanc plene more ſuo enodavit S. Antoninus part. 2. tit. 11. cap. 2. §. 5. En ipſius verba — Nota ſecundum Petrum de Palude in 4., quod ſi eſt votum tantum reale, ut fundandi Monaſterium, vel dandi tantum pro Deo, aut oblationem mittendi, aut tot armatos ultra mare: tunc hæres tenetur ſicut in aliis debitis. Si autem eſt tantum perſonale, ut jejunare, continere votum Crucis, vel ire ultra mare: hæres non tenetur niſi ſponte obligaverit ſe, ſive ſit filius, ſive ſit extraneus, Extra eo. (nempe *de voto*) cap. *Licet*. Si autem eſt ſimul reale, perſonale, & expreſſum utrumque: tunc tenetur ad reale: ut ſi vovit ire ad S. Jacobum, & ibi offerre unum equum, hæres non tenetur ire, ſed mittere unum equum. Similiter ſi vovit fundare Monaſterium, & intrare, tenetur hæres fundare Monaſterium, ſed non intrare. Si autem eſt perſonale & reale, ſed perſonale eſt principaliter expreſſum, reale tacitum, & acceſſorium, ut ire ad S. Jacobum; non tenetur hæres expenſas, quas feciſſet ille eundo, ſtando, offerendo, & redeundo dare, ſicut nec tenetur ire. Et ſi vovit intrare Religionem, non tenetur bona tradere hæres: quia ſublato principali tollitur acceſſorium. Similiter ſi ſuſceperat crucem defunctus, non tenetur hæres mittere expenſas, quas feciſſet, niſi hoc ordinaſſet. Si vero vovit mittere

certas perſonas ultra mare, hoc reputatur reale, & ad illud tenetur hæres: Hæc Petrus. Item ſi fecit votum ire, vel mittere in ſubſidium terræ ſanctæ ſuperveniente impedimento eundi, tenetur mittere loco ſui, vel ſaltem expenſas, quas facturus eſſet: & ſi hoc moriens non diſponeret, tenerentur hæredes nihilominus facere, ſi hæreditas eſſet ſufficiens ad hoc. Si autem fecerat votum cauſa devotionis eundi, superveniente impedimento non tenetur ire, vel mittere, niſi forte fuerit in mora, & ſic in culpa, quia cum potuit noluit. Cautius tamen eſt in utroque caſu, quando ſcilicet non poteſt ire, quod diſpenſationem, vel commutationem petat. Si autem moriens de hoc non diſponit, non tenetur hæres implere, niſi ſe obligaſſet —. Hactenus Sanctus Archiepiſcopus. Super hac re vide, ſi placet, Aſteſanum lib. 1. tit. 20. art. 7. *circa decimum*, Concinam lib. 4. in Decal. Diſſert. 2. cap. 2. q. 9. & ſeq., alioſque tum veteres tum Recentiores.

DUODECIMUM DUBIUM. Utrum hæres obligatus ſit ad omne id, ad quod erat obligatus ille, cujus eſt hæres, ex contractu, vel quaſi?

Reſpondeo. Concordant Doctores, quod hæres tenetur indiſtincte in foro conſcientiæ, dummodo hæreditas ſufficiat. Et hoc ſive fecerit inventarium, ſive non. Nota tamen ſecundum Monaldum *Reſtitutio octavo*, quod hæres poteſt ante omnia deducere expenſas, quas neceſſario fecit cauſa hæreditatis, puta pro inventario, pro confectione teſtamenti, & ratione funeris, ut L. *Scimus* §. *Etſi præfatam* cum quinque §. ſequentibus C. *de jure deliberandi*.

(200) Res iſthæc jam fuſe declarata fuit Annotatione 56., de qua nuper. Unice igitur repetam duas leges Canonicam unam, Civilem alteram — *Sicut filius debita patris ſolvere tenetur, ita Prælatus ſui Prædeceſſoris pro Eccleſiæ neceſſitate contracta* — Alex. III. Extra *de ſolutionibus* cap. 1. — *Veteris juris altercationes decidentes, generaliter ſancimus, omnem ſtipulationem ſive in dando, ſive in faciendo, ſive mixta ex dando, & faciendo inveniatur, & ad hæredes, & contra hæredes tranſmitti, ſive ſpecialis hæredum fiat mentio, ſive non. Cur enim, quod in principalibus perſonis juſtum eſt, non ad hæredes, & adverſus eos tranſmittatur?* — C. *de contrahenda, & committenda ſtipulatione* L. *Veteris*.

Tertiumdecimum Dubium. Utrum plus petens ab obligato teneatur?

Reſpondeo, quod ſic: & quidem de omni damno, quod dedit ex plus petitione, Extra *de plus petitionibus* cap. unico in textu, & in Gloſſa, & Inſtitut. *de exceptionibus* §. *Appellantur*. Dicitur autem quis plus petere vel ex cauſa, ut cum aliquid debetur in genere, & petitur in ſpecie, aut præciſe. Vel ex re, ut cum petit viginti, dum duntaxat debentur ei decem. Vel ex loco, ut cum promiſſum in uno loco petitur in alio. Vel ex tempore, ut cum debetur poſt annum, & petitur intra annum. Excipe uxorem, quæ poteſt petere dotem dum maritus bona dilapidat. Excipe, dum debitor fugit, ff. *Quæ in fraudem creditorum* L. *Ait Prætor* 2. §. *Si debitorem*. Excipe demum, dum eſt ſuſpectus; tunc enim poteſt cogi ad dandam cautionem ff. *Qui ſatiſdare cogantur* L. *Si fidejuſſor*. §. ultimo.

(201) Hæc pene omnia complectitur caput unicum ab Authore indicatum Extra *de plus petitionibus*, quod eſt Gregorii IX. -- *Conſilium providentiæ dici non poteſt, quod pecuniam tibi debitam ante terminum ab adverſario repetiſti. Punitur enim importunitas plus petentium, ſi ſuper petitione ſua duxerint in judicio perſiſtendum: ita quod qui repetunt amplius ſine cauſa, in expenſis adverſario condemnantur. Qui autem plus loco ad intereſſe tenentur: pro eo quod utilitas adimitur debitoribus, quam haberent, ſi ſtatuto loco ſolviſſent. Ei vero a quo amplius tempore petitur, induciæ duplicantur: nec litem excipiet, niſi ei ſolvantur expenſæ. Te quoque dubitare non credimus, quod cauſa plus petitur, quum aliquid in genere, vel ſub alternatione debetur, & rem in ſpecie, vel unum præciſe peti contingit. Re autem, ſi decem ſint debita, & viginti repetantur. Loco vero, cum quis non ubi convenit ſolvere, ſed alibi convenitur. Tempore quoque, quum ante diem, vel conditionem petitur quod debetur* --.

Hi quatuor modi plus petendi comprehenduntur hoc verſu -- *Plus petitur cauſa, vel tempore, reque, locoque* -- Gregorius IX. in hoc capite nedum quatuor hoſce modos enumerat, ſed pœnam etiam indicat, cui ſic petentes redduntur obnoxii. Gloſſa ſuper hoc eodem capite leges civiles alle-

allegat, ex quibus hujuſmodi pœna deducitur, & quas ipſe hic non protero, quum pertineant potius ad forum contentioſum, quam ad forum conſcientiæ, in quo unice ſancitur, quod plus petens teneatur ad omne damnum, quod ex tali plus petitione proximus patitur, ſicuti probari poteſt ex celeberrimo cap. ultimo Extra *de injuriis & damno dato*. Animadvertendum interim eſt cum eadem Gloſſa, quod plus petentes — *Si velunt deſiſtere a petitione, licitum eſt, nec puniuntur: & hoc poſſunt facere uſque ad litis conteſtationem, poſtea vero non poſſunt deſiſtere ſine pœna* —. In primo tamen caſu per Hoſtienſem *de plus petitionibus* num. 3. plus petens adhuc tenetur ad expenſas, ſi quas proximus ex tali plus petitione ſuſtinere debuit. Super hac re egregia eſt L. 2. C. *de plus petitionibus* — *Zenonis divæ memoriæ veſtigiis inſiſtentes, præſenti lege decernimus: ut quicumque ante tempus debitum exegerit, tanto tempore ultra conſtitutum tempus manifeſta plus petitione ſine uſurarum acceptione expectet: nec tunc agere ante poteſt, quam omnia damna parti adverſæ reſtituat. Tutores, vel Curatores talia perpetrantes, ipſi damnabuntur: exceptis his, qui res hæreditarias petunt, aut rationes tutelæ, vel curæ, ſive negotiorum geſtorum agunt contra minores, ſeu majores, vel qui depoſitum repetunt, quaſi ex ſucceſſione. Qui autem minus petit in judicio, in nullo læditur. Si quis vero majorem, quam ſibi debetur, quantitatem in libello conventionis inſeruerit, in triplum parti adverſæ reſtituere compellatur, quidquid ex hac cauſa ſportularum nomine executoribus amplius dedit* —. Excipit lex eos, qui agunt quaſi ex ſucceſſione; hi enim juſtam habent ignorantiæ cauſam, textu aperto ff. *de diverſis regulis juris antiqui* L. 42. — *Qui in alterius locum ſuccedunt, juſtam habent cauſam ignorantiæ, an id, quod peteretur, deberetur. Fidejuſſores quoque non minus, quam hæredes, juſtam ignorantiam poſſunt allegare* —: & Regula 14. *de Regulis Juris* in Sexto — *Cum quis in jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere* —.

Quid, ſi relinquam Sejo centum ſolvendos poſt decem annos a tempore mortis meæ, & hæres tempus ſolutionis præveniat? Reſponſio eſt in promptu. Si tempus adſignatum fuit in commodum hæredis, poteſt hæres ſolutionem prævenire. Si autem adſignatum fuit in commodum legatarii, quia forte erat pupillus, & res ſuas tunc non poterat adminiſtrare, ſolutio præveniri nequit. En legem ſuper hoc apertam, apertiſſimam ff. *de annuis legatis* L. 15. — *Tavolenus eum, qui rogatus poſt decem annos reſtituere pecuniam, ante diem reſtituerat, reſpondit: ſi propter capientis perſonam, quod rem familiarem tueri non poſſet, in diem fideicommiſſum relictum probetur, & perdituro ei id hæres ante diem reſtituiſſet, nullo modo liberatum eſſe. Quod ſi tempus hæredis cauſa prorogatum eſt, ut commodum medii temporis ipſe ſentiret, liberatum eum intelligi: nam & plus eum præſtitiſſe, quam debuiſſet* —.

Quid,

Quid, ſi quis per fraudem induxit me, ut cum deberem ſibi decem tantum, viginti caverim in Inſtrumento me ei debere, & poſtea illud plus etiam a me petierit, & litem conteſtatus fuerit? A toto debito cadit, ſalvis tranſactionibus ſuper hoc factis, & ſecundis cautionibus, ſeu confeſſionibus. Ita Hoſtienſis loco proxime laudato num. 2. in fine. Id intellige in foro fori, nam in foro conſcientiæ tenetur unice ad omne damnum mihi per ſummam injuriam illatum.

Vice-

VIceſimusprimus Titulus, qui eſt de Donationibus, continet quatuor quæſtiones, ſeu quatuor Dubia.

Primum Dubium. Utrum accipiens aliquid ex dono ab eo, qui non poteſt donare, teneatur?

Reſpondeo, quod ſic Inſtitut. *Quibus alienare licet, vel non* §. *Nunc admonendi*, & concordat Scotus in 4. Et qui ſunt, qui donare non poſſunt, oſtendit Petrus Caſuel tit. *de donationibus*.

(202) *Donatio dicta eſt a dono, quaſi dono datum* – ff. *de mortis cauſa donationibus* L. *Senatus* §. 1. Definitur ab Hoſtienſi *de donationibus* num. 1. – *Donatio eſt rei licitæ nullo jure cogente mere liberaliter facta collatio* –. Recte iccirco Regula 82. ff. *de diverſis regulis Juris antiqui* – *Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur* –, & ff. *de donationibus* L. 1. in principio – *Dat aliquis ea mente, ut ſtatim velit accipientis fieri, nec ullo caſu ad ſe reverti; & propter nullam cauſam facit, quam ut liberalitatem & munificentiam exerceat: hæc proprie donatio appellatur* –. Ex hoc infer cum Hoſtienſi ibidem, quod Prælati improprie dicuntur donare, & conferre beneficia, quum ad hoc ipſi teneantur, & niſi intra ſex menſes id ab iiſdem fiat, poteſtas devolvatur ad Superiorem, ſicuti ſancitum fuit a Concilio Lateranenſi Extra *de conceſſione Præbendæ* cap. 2. Ad veram donationem requiritur voluntas, & animus donandi ex parte donantis, & acceptatio donationis ex parte donatarii: nam, ut ſcriptum eſt C. *de donationibus* L. 10. – *Nec ignorans, nec invitus quiſquam donat*, & ff. item *de donationibus* L. 10. – *Si neſcit rem, quæ apud ſe eſt, ſibi eſſe donatam, vel miſſam ſibi non acceperit, donatæ rei Dominus non fit* –. Donatio poſtmodum dividitur primo in verbalem, & realem: ſecundo in gratuitam, ſeu liberalem, & in remuneratoriam: tertio in abſolutam & conditionatam: quarto in donationem inter vivos, & donationem cauſa mortis. Donatio verbalis eſt nuda promiſſio, ſeu conventio de dando, qua res alteri quidem per verba de præſenti actu donatur, ſed eidem actu non traditur, vel quia res ipſa præſens tunc non eſt, vel quia ad tempus adhuc eſt neceſſaria donanti. Dicitur iccirco donatio imperfecta, quia ei non competit tota donationis definitio, quæ rei donatæ collationem expoſtulat. Donatio realis perfe-

Digitized by Google

perfecta donatio eſt; fit enim ipſa cum reali traditione doni, cujus dominium ſtatim tranſit in donatarium. Donatio gratuita illa eſt, quæ ex mera liberalitate fit, abſque ulla juſtitiæ, vel gratitudinis obligatione: & hæc propria donatio eſt ſupra definita. Donatio remuneratoria, ſeu antidoralis impropria donatio eſt; ſupponit enim quandam obligationem gratitudinis ex parte donantis: qui iccirco donat, ut ſic remuneretur aliquod beneficium a donatario gratis acceptum. Donatio abſoluta fit abſque ulla conditione tum ex parte donantis, tum ex parte donatarii. Non item donatio conditionata: quoniam hæc alicui eſt conditioni alligata: & de hac ſcriptum invenio ff. *de donationibus* L. 1. in principio -- *Dat aliquis, ut tunc demum accipientis fiat, cum aliquid ſecutum fuerit; non proprie donatio appellabitur, ſed totum hoc donatio ſub conditione eſt. Item cum quis ea mente dat, ut ſtatim quidem faciat accipientis; ſi tamen aliquid factum fuerit, aut non fuerit, velit ad ſe reverti: non proprie donatio dicitur, ſed totum hoc donatio eſt, quæ ſub conditione ſolvatur* --. Principalior donationis diviſio eſt poſtrema, in donationem nempe inter vivos, & in donationem cauſa mortis. Prima ea eſt, cum quis hac intentione donat, ut res ſe vivo fit donatarii: ſcilicet ut legitur ff. *de donationibus* L. 1. in principio -- *Ea mente, ut ſtatim velit accipientis fieri, nec ullo caſu ad ſe reverti* --. Secunda eſt illa, qua quis ſic donat, ut nolit rem eſſe donatarii, niſi poſt mortem ſuam: ſcilicet uti ſcribitur ff. *de mortis cauſa donationibus* L. 2. -- *Si quis periculo motus non ſic det, ut ſtatim faciat accipientis, ſed tunc demum, cum mors fuerit inſecuta* -- Donatio cauſa mortis definitur etiam ſic ff. eod. tit. L. 1. -- *Mortis donatio eſt, cum quis habere ſe mavult, quam eum, cui donat, magiſque eum, cui donat, quam hæredem ſuum* --. Optima quidem definitio; ſed prima clarior. Ut ſit donatio cauſa mortis, debet fieri mortis expreſſa mentio vel cogitatæ, vel imminentis, vel de qua quis habet metum -- *Mortis cauſa donatio eſt, quæ propter mortis ſit ſuſpicionem* -- Inſtitut. *de donationibus* §. 1. Hac mentione mortis deficiente donatio ſtatim præſumitur, & cenſetur facta inter vivos, etiamſi donator intimo animi ſenſu eam faceret intuitu mortis, vel in ſummo mortis diſcrimine conſtitutus, ut Doctores communiter ex Lucio Ferraris ver. *Donatio primo* num. 11. Donatio cauſa mortis quatuor modis revocatur. Primo, cum ceſſat mortis periculum, cujus intuitu facta eſt, Inſtitut. *de donationibus* §. 1. -- *Sin autem ſupervixiſſet is, qui donavit, reciperet* --. Secundo, cum donatarius moritur ante donatorem Inſtitut. ibidem -- *Aut prior deceſſerit is, cui donatum ſit* --. Tertio, cum factæ donationis pœnitet donatorem, Inſtitut. ibidem -- *Vel ſi eum donationis pœnituiſſet* --. Quarto, cum donator pœna capitis afficitur, ff. *de mortis cauſa donationibus* L. 7. -- *Si aliquis mortis cauſa donaverit, & pœna capitis fuerit affectus, removetur donatio ut imperfecta, quamvis cæteræ donationes ſine ſuſpicione pœnæ factæ valeant* --. Id intellige cum Gloſſa ibidem,

Digitized by Google

quando donatio ſit timore pœnæ a Judice inferendæ. Hæc donatio, nempe cauſa mortis, in tribus potiſſimum differt a donatione inter vivos. Primo, quod donatio inter vivos ſemel facta, rebuſque immutatis, irrevocabilis eſt — *Generaliter ſancimus omnes donationes lege confectas, firmas, illibataſque manere* — C. *de revocandis donationibus* L. ult. in principio. Non item donatio cauſa mortis, quæ morte confirmari debet — *In mortis cauſa donationibus non tempus donationis, ſed mortis intuendum eſt, an quis capere poſſit* — ff. *de mortis cauſa donationibus* L. 22. — *Non videtur perfecta donatio mortis cauſa facta, antequam mors inſequatur* — ff. ibidem L. 32. Secundo, quod donatio cauſa mortis moriente donatario ante donatorem ita ceſſat, quod non tranſeat ad hæredes: non ceſſat autem in hoc caſu donatio inter vivos; immo ad hæredes tranſit, quia donatarius plenum habebat, perfectumque dominium, ut ſupra monui. Tertio, quod donatio inter vivos excedere non poteſt quingentos ſolidos, quin inſinuetur apud Judicem, Inſtitut. *de donationibus* §. 2. — *Et cum retro Principum diſpoſitiones inſinuari eas actis intervenientibus volebant, ſi majores fuerant ducentorum ſolidorum: Conſtitutio noſtra eam quantitatem uſque ad quingentos ſolidos ampliavit, quam ſtare etiam ſine inſinuatione ſtatuit* — . (De hoc fuſius infra). Id autem non poſtulat donatio cauſa mortis, quantacumque illa ſit, C. *de donationibus cauſa mortis* L. ult. — *Sancimus omnes mortis cauſa donationes, ſive juxta mortem facientis fuerint celebratæ, ſive longiore cogitatione mortis ſubſecutæ ſunt, actis minime indigere, neque expectare publicarum perſonarum præſentiam, & ea, quæ ſuper hujuſmodi monumentis ſolent adhiberi: ſed ita res procedat, ut ſi quinque teſtibus præſentibus, vel inſcriptis, vel ſine litterarum ſuppoſitione aliquis voluerit mortis cauſa donationem facere: & ſine monumentorum acceſſione res geſta maneat firmitate vallata, & nullam in ea calumniam accipiat: neque propter hoc, quod geſta non acceſſerunt, inefficax eſſe, atque inutilis videatur, & omnes effectus ſortiatur, quæ ultimæ habent liberalitates, neque ex quacumque parte abſimilis eis intelligatur* — . Dixi donationem inter vivos ſemel factam rebuſque immutatis eſſe irrevocabilem; quoniam ſi ſtatus rerum mutetur, revocari & ipſa poteſt. Tres principales cauſæ adſignari ſolent, ob quas hujuſmodi donatio poteſt revocari: nempe ob ingratitudinem donatarii, ob prolem poſtea a donatore ſuſceptam, & cum talis donatio eſt alicui inofficioſa. De prima eſt tota lex ultima C. *de revocandis donationibus* — *Generaliter ſancimus omnes donationes lege confectas, firmas, illibataſque manere, ſi non donationis acceptor ingratus circa donatorem inveniatur, ita ut injurias atroces in eum effundat, vel manus impias inferat, vel jacturæ molem ex inſidiis ſuis inferat, quæ non levem ſenſum ſubſtantiæ donatoris imponat, vel vitæ periculum aliquod ei intulerit, vel quaſdam conventiones, ſive in ſcriptis donationi impoſitas, ſive ſine ſcriptis habitas, quas donationis acceptor ſpopondit, minime implere voluerit. Ex his enim tantum-*

modo

Digitized by Google

modo cauſis, ſi fuerint in judicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ, etiam donationes in eos factas everti concedimus: ne ſit cuiquam licentia, & alienas res capere, & frugalitatem irridere donatoris, & ipſum iterum donatorem, ſuaſque res perdere, & præfatis malis ab ingrato donationis acceptore affici. Hoc tamen uſque ad primas perſonas tantummodo ſtare cenſemus; nulla licentia concedenda donatoris ſucceſſoribus hujuſmodi querimoniarum primordium inſtituere. Etenim ſi ipſe, qui hoc paſſus eſt, tacuerit, ſilentium ejus maneat ſemper, & non a poſteritate ejus ſuſcitari concedatur, vel adverſus eum, qui ingratus eſſe dicitur, vel adverſus ejus ſucceſſores –. De ſecunda eſt lex 8. C. eodem tit. – *Si unquam libertis patronus filios non habens bona omnia, vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, & poſtea ſuſceperit liberos: totum quidquid largitus fuerat, revertatur in ejuſdem donatoris arbitrio, ac ditione manſurum* –. De tertia, quando ſcilicet donatio alicui eſt inofficioſa, quod contingeret, ſi pater aut mater uni vel pluribus filiis, aut etiam extraneis in tanta quantitate donaret, ut cæteris filiis portio legitima non remaneret: quod contigeret etiam ſi filii peculium habentes, liberis deſtituti, & nepotibus, tam large donarent, ut non remaneret amplius portio legitima parentibus, & aſcendentibus, tunc de jure debita. De hac, inquam, totus eſt titulus C. *de inofficioſis donationibus*. Unice hic dabo legem primam brevitatis ergo – *Si, ut a legatis, mater veſtra ad eludendam inofficioſi querelam pene univerſas facultates ſuas, dum ageret in rebus humanis, factis donationibus ſive in quoſdam liberos, ſive in extraneos exhauſit, ac poſtea vos ex duabus unciis fecit hæredes, euſque legatis, & fideicommiſſis exinanire geſtivit: non injuria juxta formam de inofficioſo teſtamento conſtitutam ſubveniri vobis, utpote quartam partem non habentibus, deſideratis* –. Addunt nonnulli quartam principalem cauſam: quando videlicet donatio facta eſt ob cauſam, & cauſa non fuit ſecuta. Sed hæc, ſi non comprehendatur in prima, & ſecunda jam declarata, potius afficit donationem conditionatam, quam abſolutam, de qua ſola actum eſt in præſenti.

Venio nunc ad doctrinam Authoris, quod nempe accipiens ab eo, qui non poteſt donare, teneatur ad reſtitutionem illius, quod accepit. Ratio eſt manifeſta: quia ſic donans transferre non potuit dominium in accipientem, ſicuti ſcriptum eſt lege ab Authore indicata, videlicet Inſtitut. *Quibus alienare licet, vel non* §. 2. – *Nunc admonendi ſumus neque pupillum, neque pupillam, rem ullam ſine tutoris auctoritate alienare poſſe. Ideoque ſi mutuam pecuniam ſine tutoris auctoritate alicui dederit, non contrahit obligationem, quia pecuniam non facit accipientis; ideoque vindicari nummi poſſunt, ſicubi extant* –. Huc confert quod ſancivit Alex. III. Extra *de jure patronatus* cap. 5. – *Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non poteſt de jure donare.*

Digitized by Google

Primo, furioſus, & qui non eſt compos ſuæ mentis 15. q. 1. cap. *Merito*, & *de homicidio* cap. *Si furioſus* in Clementinis, & L. *Modeſtinus* in fine ff. *de donationibus*.

(203) Furioſus in eo, quod agit, non peccat — *Si furioſus, aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit* — cap. *Si furioſus* ab Authore laudato. Potiori igitur jure donare non poterit — *Modeſtinus reſpondit, mente captum donare non poſſe* — L. *Modeſtinus*, cujus itidem Author meminit: quia minus voluntarium requiritur ad peccandum, quam ad donandum· & in furioſo, de quo ſermo, nihil penitus voluntarii eſt. Opportune Gloſſa ſuper hanc legem — *Conſentire enim non poteſt, & ideo nil alienat* —.

Secundo, Prodigus L. *Julianus* ff. *de Curatoribus furioſo, & aliis extra Minores dandis*.

(204) Lege prima ff. *de Curatoribus furioſo, & aliis extra Minores dandis* ſcriptum eſt in principio — *Lege duodecim tabularum prodigo interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio, quod moribus quidem ab initio introductum eſt* —. Hujuſmodi interdictione ſecuta prodigus certe donare nequit, textu aperto L. *Julianus* ab Authore citata — *Julianus ſcribit eos, quibus per Prætorem bonis interdictum eſt, nihil transferre poſſe ad aliquem, quia in bonis non habeant, cum eis deminutio ſit interdicta* —. Dixi interdictione ſecuta: quoniam eſſe in jure prodigum pendet a declaratione Judicis, vel per ſententiam ſuper hoc latam, vel eidem adſignando curatorem; & iccirco ſi ante ipſam donet, donatio ſubſiſtit, textu pariter aperto Inſtitut. *Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum* §. 2. — *Item prodigus, cui bonorum ſuorum adminiſtratio interdicta eſt, teſtamentum facere non poteſt; ſed id, quod ante fecerit, quam interdictio bonorum ſuorum ei fiat, ratum eſt* — Olim vetitum erat furioſis & prodigis curatorem dare filium proprium; ſed poſtmodum ſecus fuit ſancitum, lege prima proxime citata in fine — *Curatio autem ejus, cui bonis interdicitur, filio negabatur permittenda. Sed extat D. Pii reſcriptum, filio potius curationem permittendam in patre furioſo, ſi tam probus ſit*.

Tertio, Minor vigintiquinque annorum C. *Si major factus ratum habuerit* L. ultima: quod verum eſt, niſi interveniat auctoritas tutoris, vel Curatoris L. *Pupillus* ff. *de adquirendo rerum dominio*.

(205) Id

(205) Id pene totum conſtat ex textu Inſtitut. *Quibus alienare licet vel non* §. 2. jam producto in fine Annotationis 202. — *Nunc admonendi ſumus, neque pupillum, neque pupillam, rem ullam ſine tutoris auctoritate alienare poſſe* —. Do nihilominus leges hic ab Authore indicatas — *Qui poſt vigeſimum quintum annum ætatis ea, quæ in minore ætate geſta ſunt, rata habuerint: fruſtra eorum reſciſſionem poſtulant* — L. ult. C. *Si major*. — *Pupillus quantum ad adquirendum non indiget tutoris auctoritate: alienare vero nullam rem poteſt, niſi præſente tutore auctore* — L. *Pupillus* ff. *de adquirendo*. Memineris Annotationis alias factæ, pupillos nempe ſecundum jus commune eſſe, & dici minores ab anno quartodecimo uſque ad annum viceſimum quintum completum, non autem ſecundum jus patrium hujus vel alterius nationis. De Minoribus egregie Victorius Amedeus Rex Sardiniæ ſuis in Conſtitutionibus lib. 5. tit. 10. num. 10. — *Neſſuno potrà fare preſtiti ai figliuoli di famiglia Minori, che non eſercitino la mercatura, e nemmeno dare loro merci a credenza, ſotto pena della nullità del contratto, e della perdita del danaro, o del prezzo* —: & ibidem tit. 13. num. 7. — *I Minori non potranno far donazione tra vivi, eziandio giudizialmente, a riſerva di quelle, che accadeſſero nell' occaſione de' loro matrimonj, ſecondo le conſuetudini d'ogni Paeſe, le quali non ſaranno ſottopoſte a veruna ſolennità, ſi per eſſi, che per gli altri* —.

Quarto, Servus, & filius familias, niſi ſit filius Comitis, vel Marchionis, vel Senatoris. Aliter non, quantumcumque magnus, vel diſcretus ſit, ff. *de donationibus* L. *Filiusfamilias*. Vel niſi habeat peculium caſtrenſe, vel quaſi C. *de Senatuſconſulto Macedoniano* L. 1. §. final., & L. 2. C. *Qui inſtrumenta facere poſſint* L. ultima: quia tunc paterfamilias eſt quoad hoc.

(206) Bona filiorum familias alia dicuntur caſtrenſia, alia quaſi caſtrenſia, alia adventitia, & alia profectitia. Caſtrenſia ea ſunt, quæ filius adquirit in militia, & occaſione militiæ. De his L. 11. ff. *de caſtrenſi peculio* — *Caſtrenſe peculium eſt, quod a parentibus, vel cognatis in militia agenti donatum eſt: vel quod ipſe filiusfamilias in militia adquiſiit, quod, niſi militaret, adquiſiturus non fuiſſet: nam quod erat & ſine militia adquiſiturus, id peculium ejus caſtrenſe non eſt* —. Quaſi caſtrenſia ea cenſentur, quæ gaudent privilegio caſtrenſium, & ſunt illa omnia, quæ filius adquirit ex profeſſione artium liberalium, ex officio, & munere publico, Judicis puta, Advocati, Tabellionis &c., ex liberalitate Principis, & ex officio Clericali, vel beneficio Eccleſiaſtico. Hæc reſpicit L. 7. C. *de bonis, quæ liberis*

beris

Digitized by Google

berit in poteſtate patris &c. — Cum multa privilegia Imperialibus donationibus jam præſtita ſunt, dignum incrementum & his conferre noſtra dignata eſt clementia. Si quis igitur a Sereniſſimo Principe, vel a piiſſima Auguſta ſive maſculus, ſive fœmina, donationes ſit conſecutus, vel conſecuta, ſive mobilium, ſive immobilium, ſive ſe moventium rerum, filiusfamilias tamen conſtitutus, vel conſtituta, habeat hujuſmodi res omni acquiſitione abſolutas & nemini eas acquirat, neque earum uſumfructum pater, vel avus, vel proavus ſibi vindicet, ſed ad ſimilitudinem caſtrenſis peculii omnem facultatem in eas filii, vel filiæfamilias habeant —. Adventitia ea habentur, quæ neque caſtrenſia ſunt, neque quaſi caſtrenſia, nec a patre proveniunt, nec hujus intuitu, aut cauſa principaliter data ſunt; ſed quæ filius adquirit arte mechanica, induſtria, caſu, fortuna, inventione, legato, donatione, vel ſucceſſione in bona materna. De hiſce bonis loquitur L. 6. C. eod. tit. — *Si quis itaque filiusfamilias, vel patris ſui, vel avi, vel proavi in poteſtate conſtitutus, aliquid ſibi adquiſierit, non ex ejus ſubſtantia, cujus in poteſtate ſit, ſed ab aliis quibuſcumque cauſis, quæ ex liberalitate fortunæ, vel laboribus ſuis ad eum perveniant: eas ſuis parentibus non in plenum, ſicut antea fuerat ſancitum, ſed uſque ad uſumfructum ſolum acquirat; & eorum uſusfructus quidem apud patrem, vel Avum, vel proavum, quorum in ſacris ſit conſtitutus, permaneat: dominium autem filiisfamilias inhæreat, ad exemplum tam maternarum, quam ex nuptialibus cauſis filiisfamilias adquiſitarum rerum —*. Profectitia demum ea intellige, quæ filius negotiando adquirit ex ſubſtantia patris, vel quæ intuitu, & gratia patris principaliter filio data ſunt: de quibus Inſtitut. *Per quas perſonas cuique acquiritur* §. 1. — *Sancitum enim a nobis eſt, ut ſi quid ex re patris ei obveniat, hoc ſecundum antiquam obſervationem totum parenti adquiratur. Quæ enim invidia eſt quod ex patris occaſione profectum eſt, hoc ad eum reverti? Quod autem ex alia cauſa ſibi filiusfamilias adquiſivit, hujus uſumfructum patri quidem adquirat, dominium autem apud eum remaneat: ne quod ei ſuis laboribus, vel proſpera fortuna acceſſerit, hoc in alium perveniens, luctuoſum ei procedat —*. Ex legibus uſque nunc recitatis perſpicua facta eſt communis Juriſconſultorum, & Theologorum doctrina: quod videlicet filiusfamilias quoad caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, dominium habet, uſumfructum, & liberam adminiſtrationem; quoad vero adventitia, dominium duntaxat, non autem adminiſtrationem, & uſumfructum, quæ patri ſolum competunt, vel illi, ſub cujus poteſtate vivit: quoad profectitia demum filius nec dominium habet, nec uſumfructum, ſed hæc omnia pertinent ad patrem.

Hiſce præhabitis, en integram Authoris doctrinam L. 7. ff. *de donationibus — Filiusfamilias donare non poteſt, neque ſi liberam peculii adminiſtrationem habeat: non enim ad hoc ei conceditur libera peculii adminiſtratio, ut perdat. Quid ergo, ſi juſta ratione motus donet? Numquid poſſit dici, locum eſſe donationi? Quod magis probabitur. Item videamus, ſi quis filio-*

ſiliofamilias liberam peculii adminiſtrationem conceſſerit , ut nominatim adjiceret , ſic ſe ei concedere , ut donare quoque poſſit : an locum habeat donatio ? Et non dubito , donare quoque eum poſſe . Nonnumquam etiam ex perſona poterit hoc colligi ; pone enim , ſilium eſſe Senatoriæ , vel cujus alterius dignitatis : quare non dicas videri patrem , niſi ei ſpecialiter donandi facultatem ademit , hoc quoque conceſſiſſe , dum liberam dat peculii adminiſtrationem ? Pari autem ratione , qua donare ſiliusfamilias prohibetur , etiam mortis cauſa donare prohibetur : quamvis enim ex patris voluntate mortis quoque cauſa donare poſſit : attamen , ubi ceſſat voluntas , inhibebitur hæc quoque donatio . Sed etiam meminiſſe oportebit , ſi cui donare quoque permiſſum eſt , niſi ſpecialiter etiam mortis cauſa donare fuerit permiſſum , non poſſe mortis cauſa donare . Hæc omnia locum habebunt in paganis . Cæterum qui habent caſtrenſe peculium , vel quaſi caſtrenſe in ea conditione ſunt , ut donare & mortis cauſa , & non mortis cauſa poſſint , cum teſtamenti factionem habeant – . Quod lex ait – *in paganis* – intellige cum Gloſſa ibidem – in paganis bonis , in paganis filiisfamilias .

Quinto , Clauſtralis vel Religioſus , niſi habeat adminiſtrationem : quia tunc quod ſupereſt debet ipſum diſtribuere pauperibus 12. q. 1. cap. *Quia tua* , & 16. q. 1. cap. *Quoniam* , & 86. diſt. cap. *Non ſatis* . Si tamen Monachus vadat ad ſcholas de licentia Abbatis , vel peregrinetur , poteſt facere , & donare omnia , quæ honeſti Scholares , & peregrini facere ſolent . Arguitur ff. *de Procuratoribus* L. *Ad rem* , 12. diſt. cap. *Illa* , 41. diſt. cap. primo .

(207) Religioſus , ſeu Monachus , nihil habere poteſt proprii Extra *de ſtatu Monachorum* cap. 7. – *Prohibemus quoque diſtricte in virtute obedientiæ , ſub obteſtatione divini judicii , ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat : ſed ſi quis aliquid habeat proprii , totum incontinenti reſignet* – . Nihil ergo ſine Superioris facultate donare poteſt , quum donatio ſupponat proprium , & dominium transferat in donatarium – *Cum hujus noſtræ Congregationis fratres non ſolum facultatibus , ſed voluntatibus propriis in ipſa ordinationis ſuſceptione renuntiaverint , & ſe per promiſſam obedientiam penitus aliorum poteſtati , & imperiis in Chriſto , & pro Chriſto ſubdiderint : certum eſt eos nihil habere , poſſidere , dare vel accipere debere ſine Superioris licentia* – 12. q. 1. cap. *Non dicatis* . Jure iccirco S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 8. ad primum – *Dicendum , quod Monachus , ſi habet diſpenſationem a Prælato commiſſam , poteſt eleemoſynas facere de rebus Monaſterii ſecundum quod ſibi eſt commiſſum . Si vero non habet diſpenſationem ,*

quia

quia nihil proprium habet, tunc non poteſt facere eleemoſynam ſine licentia Abbatis, vel expreſſe habita, vel probabiliter præſumpta: niſi forte in articulo extremæ neceſſitatis, in quo licitum eſſet ei furari, ut eleemoſynam daret. Nec propter hoc efficitur pejoris conditionis: quia ſicut dicitur in Libro de Eccleſiaſticis Dogmatibus (cap. 71. inter opera D. Auguſtini.) *bonum eſt facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare; ſed melius eſt pro intentione ſequendi Dominum inſimul omnia donare, & abſolutum ſollicitudine egere cum Chriſto* — Ex hac S. Thomæ doctrina probatum remanet ſecundum, quod docet Author, Monachum ſcilicet, cui commiſſa rerum adminiſtratio eſt, eleemoſynam poſſe facere nomine Monaſterii. Immo debet eam erogare, ſi Monaſterii facultates ſuppetunt, ut perſpicue 12. q. 1. cap. *Quia tua* — *Communiter autem viventibus jam de faciendis portionibus, vel exhibenda hoſpitalitate, & adimplenda miſericordia nobis quid erit loquendum, cum omne quod ſupereſt, in cauſis piis, ac religioſis erogandum eſt* —.

Olim Monachi pergebant ad ſtudia extra Monaſteria in Seminariis, & publicis Athæneis. Hos reſpicit Bonifacius VIII. *ne Clerici vel Monachi* cap. *Ut periculoſa* in Sexto, ubi unice præcipit, quod tunc non debeant habitum Religionis dimittere, nec ad talia ſtudia poſſint pergere, niſi prius obtenta a Superioribus facultate — *Ut periculoſa Religioſis evagandi materia ſubtrahatur, diſtrictius inhibemus, ne de cetero aliquis quamcumque Religionem tacite, vel expreſſe profeſſus, in ſcholis, vel alibi temere habitum Religionis ſuæ dimittat: nec accedat ad quævis ſtudia litterarum, niſi a ſuo Prælato cum conſilio ſui Conventus, vel majoris partis ejuſdem, ſibi eundi ad ſtudium, licentia primitus ſit conceſſa* — De his ait Author, ſicut & de Religioſis iter habentibus, quod honeſte donare poſſint, nam & iſtis aliqua pecuniæ adminiſtratio commiſſa eſt. Id tamen intellige de honeſtis donationibus, honeſtiſque eleemoſynis: & dummodo juſta aliqua de cauſa id non fuerit eis a Superioribus interdictum. Caveant nihilominus hi Religioſi, ne excedant facultatem a Superioribus obtentam: ſemper memores, quod ipſi nihil habent proprii, & quod largiuntut, non proprio, ſed nomine Monaſterii largiuntur.

Sexto, Abbas, quia nihil habet 54. diſt. cap. *Abbati*, & Extra *de ſtatu Monachorum* cap. *Cum ad Monaſterium*: niſi conſuetudo loci habeat, quod poſſit donare, quia conſuetudo dat juriſdictionem, vel liberam adminiſtrationem ff. *Quod vi aut Clam* L. *Probibère* §. *Non tantum*, & Extra *de his, quæ fiunt a Prælato ſine conſenſu Capituli* cap. *Ea noſcitur*; ita tamen, ut Eccleſia graviter non lædatur, Extra *de donationibus* cap. 2..

(208) De

(208) De hac re egregie Aſteſanus lib. 3. tit. 20. art. 3. – Sciendum quod donare non poteſt Monachus, vel Converſus diſt. 54. cap. *Abbati*, nec Abbas ſervum Eccleſiæ, niſi dentur Eccleſiæ duo ſervi ejuſdem meriti, & peculii 12. q. 2. cap. *Epiſcopus qui mancipium*. Alias vero res cum conſenſu Capituli, vel ſolus donare poteſt; ſed cum ſolus donat, quantitas dati, & conſuetudo terræ diligentius debet attendi, & ſecundum hoc donatum eſt ratum, vel irritum judicandum, Extra eo. (nempe *de donationibus*) cap. *Cæterum*. Dicit autem ibi Bernardus, quod ſecundum Alanum Abbas poteſt facere donationem, loquendo de pauperum erogatione, quam poteſt facere quilibet Prælatus Eccleſiæ: ita tamen quod non prorogetur ad nimiam quantitatem, ut innuit dict. cap. *Cæterum*, & arguitur diſt. 86. cap. *Non ſatis*, conſiderata conſuetudine, & facultate Eccleſiæ, Extra *de cenſibus* cap. *Cum Apoſtolus* in fine. Vel poteſt etiam dici, quod Abbas poteſt facere donationem veram, quam poteſt facere Prælatus, ſi hoc habet loci conſuetudo, quæ dat juriſdictionem, & liberiorem aditum, Extra *de his, quæ fiunt a Prælato ſine conſenſu Capituli* cap. *Ea noſcitur*, ita tamen quod Eccleſia enormiter non gravetur, Extra eodem (nempe *de donationibus*) cap. *Fraternitatem* – Hæc ille. Accipe cap. *Fraternitatem*, & cap. *Cæterum*, quæ ambo Alex. III. ſunt, & in hac materia præ oculis haberi debent – *Fraternitatem tuam credimus non latere, quod cum Epiſcopus, & quilibet Prælatus Eccleſiaſticarum rerum ſit procurator, & non Dominus: conditionem Eccleſiæ meliorare poteſt, facere vero deteriorem non debet. Accepimus autem, quod Prædeceſſor tuus graves donationes in rebus Epiſcopatus fecit in detrimentum Eccleſiæ, ſuis Canonicis inconſultis. Unde quoniam donationes hujuſmodi de jure non tenent, indulgemus tibi, ut liceat donationes hujuſmodi tam a Clericis, quam a Laicis legitime revocare* –. *Cæterum ſi Abbatem donationem cum Priore, & quibuſdam de Conventu, vel ſolum Abbatem facere contigerit, & poſtea Conventus pars reclamaverit: datæ rei quantitas, & illius terræ conſuetudo (quæ tamen ſacris Canonibus non obviet) eſt diligentius attendenda: & ſecundum hoc eſt donum ratum, vel irritum judicandum* –.

Septimo, uxor ſi non habet ultra dotem, non poteſt donare niſi eleemoſynam ſecundum conſuetudinem approbatam, & debet credere, virum ſuum id eſſe permiſſurum, tametſi aliquando clamet; arbitrari enim debet, quod ideo clamet, ut in dando ſit moderata.

(209) Bona uxoris alia ſunt dotalia, alia paraphernalia, alia antiphernalia, alia propria, alia communia. Dotalia ſunt ea, quæ uxor habuit in dotem, & tradita fuere marito ad ſuſtinenda onera matrimonii. Horum proprietas pertinet ad uxorem, ſed uſusfructus ex integro ſpectat ad maritum, ff. *de jure dotium* L. 7. in principio – *Dotis fructum ad maritum per-*

tinere debere, æquitas ſuggerit: cum enim ipſe onera matrimonii ſubeat, æquum eſt, eum etiam fructus percipere —. Paraphernalia ita nuncupata a græco vocabulo *Para*, ideſt Extra, & *Pherna*, ideſt dotem, ea ſunt, quæ uxor habet extra dotem, nec ea ſibi in dotem conſtituit. De his uxor ipſa nedum proprietatem, ſed uſumfructum etiam habet, & adminiſtrationem, & maritus ſe in eiſdem immiſcere nequit, textu aperto C. *de pactis conventis* L. 8. — *Hac lege decernimus, ut vir in his rebus, quas extra dotem mulier habet, quas Græci parapherna dicunt, nullam uxore prohibente habeat communionem, nec aliquam ei neceſſitatem imponat. Quamvis enim bonum erat, mulierem, quæ ſeipſam marito committit, res etiam ejuſdem pari arbitrio gubernari: attamen quoniam conditores legum æquitatis convenit eſſe fautores, nullo modo, ut dictum eſt, muliere prohibente, virum in paraphernis ſe volumus immiſcere* —. Hujus generis ea etiam eſſe puto, quæ uxor poſt initum matrimonium adquirit ex donatione, legato, ſucceſſione &c., nam & hæc omnia ſunt extra dotem, eique non obveniunt nec intuitu mariti, nec gratia matrimonii. Antiphernalia, ſeu contradotalia ea dicuntur, quæ maritus ipſe uxori aſſignat occaſione matrimonii in reciprocam dotis compenſationem juxta morem patriæ, vel mariti liberalitatem — *Illud vero te nolumus ignorare, quod uxor dare dicitur viro dotem: vir autem uxori donationem facere propter nuptias, ſecundum legitimas ſanctiones* — Inno. III. Extra *de donationibus inter virum & uxorem* cap. *Nuper* in fine. Et quoad hæc dominium eſt uxoris, adminiſtratio autem, & uſusfructus pertinent ad ſolum maritum. Olim hæ donationes fieri duntaxat poterant ante nuptias, & iccirco antipherna, ſeu bona antiphernalia vocabantur. Sed nunc fieri etiam poſſunt poſt nuptias, & proprie dicuntur propter nuptias, habentque rationem dotis. De his pene totus Titulus in C. *de donationibus* ante nuptias, & ſpeciatim L. *Cum multæ*, ſcilicet 20. Egregia ſunt, quæ leguntur Iuſtitut. *de donationibus* §. 3. — *Eſt & aliud genus inter vivos donationis, quod veteribus quidem prudentibus penitus erat incognitum, poſtea autem a junioribus Divis Principibus introductum eſt, quod ante nuptias vocabatur, & tacitam in ſe conditionem habebat, ut tunc ratum eſſet, cum matrimonium eſſet inſequutum. Ideoque ante nuptias appellabatur, quod ante matrimonium efficiebatur, & numquam poſt nuptias celebratas talis donatio procedebat. Sed primus quidem Divus Juſtinus pater noſter, cum augeri dotes, & poſt nuptias fuerat permiſſum, ſi quid tale eveniret, & ante nuptias augeri donationes, & conſtante matrimonio, ſua Conſtitutione permiſit. Sed tamen nomen inconveniens remanebat, cum ante nuptias quidem vocabatur, poſt nuptias autem tale accipiebat incrementum. Sed nos pleniſſimo fini tradere ſanctiones cupientes, & conſequentia nomina rebus eſſe ſtudentes, conſtituimus, ut tales donationes non augeantur tantum, ſed etiam conſtante matrimonio initium accipiant: & non ante nuptias, ſed propter nuptias vocentur: & dotibus in hoc exæquentur, ut quemadmodum dotes conſtante matrimonio non*

ſolum

Digitized by Google

ſolum augentur, ſed etiam fiunt: ita & iſtæ donationes, quæ propter nuptias introductæ ſunt, non ſolum antecedant matrimonium, ſed eo etiam contracto augeantur, & conſtituantur —. Bona uxoris propria quoad ſolum dominium ſunt bona dotalia, & contradotalia, ſeu antiphernalia: quoad dominium autem, & uſumfructum ſunt ſola bona paraphernalia, ſicuti jam oſtendi. Bona tandem communia, quæ etiam dicuntur ſuperlucrata, ea ſunt, quæ durante matrimonio accedunt communibus bonis, ſive ipſa fiant communi conjugum induſtria, ſive proprio alterius conjugis labore. Communia poſtmodum dicuntur, quia in jure communi medietas dominii pertinet ad maritum, & medietas ad uxorem, quamvis uſuſfructus ſolius mariti ſit: ut oſtendit Ferraris ver. *Bona* art. 4. num. 14. & ſeq. Dixi in jure communi; in praxi enim ſpectandæ ſunt leges patriæ, & uniuſcujuſque regionis conſuetudines.

Author loquitur de uxore, quæ nihil habeat ultra dotem. Si enim ipſa bona haberet paraphernalia, nullum dubium, quod de iiſdem donare poſſet pro libito, & ex iiſdem eleemoſynas pro arbitratu facere: quum bonorum paraphernalium ipſa ſit plene domina, & in illorum adminiſtratione, & uſufructu, muliere prohibente, maritus nequeat ſe immiſcere. Uxor igitur, cui nihil eſt extra dotem, donare in jure nequit, quia ipſa nullius eſt plene Domina. Poteſt nihilominus, ait Author, ſecundum conſuetudinem approbatam, & vires facultatum, facere eleemoſynas: quia non eſt viri mancipium, ſed ſocia; non eſt ancilla, ſed materfamilias. Ipſi iccirco maritus prohibere nequit eleemoſynas, & donationes moderatas ſecundum conſuetudinem mulierum ejuſdem conditionis: quia & hoc pertinet ad laudabilem & catholicam familiæ adminiſtrationem. Et præſertim ſi maritus alio diſtentus eas non eroget: vel lucri nimium avidus eas erogare nolit. Dixi moderatas; merito enim corripitur illa uxor, quæ motivo licet pietatis in hoc excedit: ſicuti hac de cauſa S. Auguſtinus corripuit Ecdiciam Epiſtola alias 199., nunc vero 262. num. 4. inquiens — *Nihil ergo de tua veſte, nihil de tuo auro, vel argento, vel quacumque pecunia, aut rebus ullis terrenis tuis ſine arbitrio ejus facere debuiſti, ne ſcandalizares hominem &c.* Iſthæc Matrona, indiſcreta quadam pietate mota, pene omnia donaverat duobus Monachis. Id ægre tulit maritus, propter hoc averſatus eſt uxorem ſuam, &, quod pejus eſt, votum continentiæ, quod una ſimul cum uxore emiſerat, confregit, atque in adulterium fuit prolapſus — *Factum eſt*, ſcribit Auguſtinus num. ſequenti, *ut vinculum continentiæ, quo ſe dilectius ille innexuerat, contemtus abrumperet, & iratus ſibi non parceret ſibi. Sicut enim mihi retulit perlator Epiſtolæ tuæ, cum cognoviſſet, quod omnia, vel pene omnia, quæ habebas, neſcio quibus duobus tranſeuntibus Monachis tamquam pauperibus eroganda donaveris: tunc ille deteſtans eos tecum, & non Dei ſervos, ſed domus alienæ penetratores, & tuos captivatores & deprædatores putans, tam ſanctam ſarcinam, quam tecum ſub-*

ſerat, indignatus abjecit –. Merito igitur erat corripienda. Hujus Epiſtolæ particulam habes 33. q. 5. cap. *Quod Deo pari conſenſu*.

Octavo, Interdictus a jure, ne donet, ut qui commiſit crimen læſæ majeſtatis, cap. *Vergentis*, & cap. *Ad abolendam* Extra *de hæreticis*, & 6. q. 1. cap. *Omnes vero*, & C. *Ad legem Juliam Majeſtatis* L. ultima, & C. *de hæreticis* L. *Manichæos*. In aliis autem criminibus poteſt ante ſententiam condemnationis ff. *de donationibus* L. *Poſt contractum*; & L. *Donationes* 2. §. finali.

(210) Bona illius, qui reus læſæ majeſtatis eſt, devolvuntur ad fiſcum -- *Quiſquis cum militibus, vel privatis, vel barbaris ſceleſtam inierit factionem ..... ipſe quidem, utpote majeſtatis reus, gladio feriatur, bonis ejus omnibus fiſco noſtro addictis* – C. *ad legem Juliam majeſtatis* L. ultima in principio -- *Manichæos, ſeu Manichæus, vel Donatiſtas meritiſſima ſeveritate perſequimur. Huic itaque hominum generi nihil ex moribus nihil ex legibus commune ſit cum cæteris. Ac primum quidem volumus eſſe publicum crimen: quia quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam: quos bonorum etiam omnium publicatione perſequimur* -- C. *de hæreticis* L. 4. in principio -- *In terris vero temporali noſtræ juriſdictioni ſubjectis bona hæreticorum ſtatuimus publicari: & in aliis idem præcipimus fieri per Poteſtates, & Principes ſeculares* -- Inno. III. Extra *de hæreticis* cap. 10. in principio. Nihil igitur ſic reus donare amplius poteſt: quia in jure nihil amplius habet proprii, ſed omnia ſua pertinent ad fiſcum: quum in commiſſum ipſe ſit a die criminis commiſſi. Idem dicas de quocumque alio crimine, propter quod ipſo facto bona delinquentis fiſco remanent addicta -- *Ratæ donationes eſſe non poſſunt poſt crimen perduellionis* (ideſt majeſtatis, ait Gloſſa) *contractum, cum hæredem quoque teneat* (ut bona paterna ei auferantur, ait Gloſſa), *& ſi nondum poſtulatus* (ideſt accuſatus) *vita deceſſerit* -- ff. *de donationibus* L. *Donationes in concubinam* §. ultimo: & Inſtitut. *de hæreditatibus, quæ ab inteſtato* §. 5. – *Per contrarium autem hoc evenit, ut licet quis in familia defuncti ſit mortis tempore, tamen ſuus hæres non fiat: veluti ſi poſt mortem ſuam pater judicatus fuerit perduellionis reus, ac per hoc memoria ejus damnata fuerit: ſuum enim hæredem habere non poteſt, cum fiſcus ei ſuccedat: ſed poteſt dici ipſo quidem jure ſuum hæredem eſſe, ſed deſinere* --. Secus autem dicendum eſt de aliis criminibus, quibus ipſo facto annexum non eſt commiſſum, ſeu annexa non eſt publicatio bonorum: nam ſic delinquens donare poteſt ante ſententiam, non autem poſtquam ſententia lata eſt – *Poſt contractum capitale crimen donationes*

Digitized by Google

tiones factæ non valent, ex Conſtitutione Divorum Severi, & Antonini, niſi condemnatio ſecuta ſit — ff. de donationibus L. 15. — *Alii legunt ſi condemnatio*: Ita Gloſſa in margine. Et reipſa ita legendum puto, quum Gloſſa caſum exponens ſcribat — *Caſus. Si feciſti delictum, & poſtea donaſti de bonis tuis alicui, valet donatio. Sed poſtquam eſſes condemnatus, donare non poſſes* —. Ratio poſtmodum eſt manifeſta: quia delinquens ante ſententiam adhuc eſt ſui juris, quum ſententia multipliciter poſſit impediri, vel in partem trahi benigniorem; ſui juris autem amplius non eſt ſententia lata, quum eidem protinus obligetur.

NONO, Miles meritrici vel concubinæ donare non poteſt L. *Si ancillam* C. *de donationibus inter virum & uxorem*. Ergo multo minus Clerici, Doctores, & Advocati: quia milites dicuntur hi tres, & æquiparantur, 23. q. 1. cap. *Militare*, & Extra *de ſervis non ordinandis* cap. *Eo libentius*. Similiter nec vir uxori conſtante matrimonio, ex quo alter ditior dici poſſit, alter pauperior: niſi uſque ad mortem in ea voluntate duret cap. *Donatio* Extra *de donationibus inter virum & uxorem*.

(211) De milite donante concubinæ textus eſt apertus L. ab Authore citata — *Si ancillam nummis tuis comparatam eſſe Præſidi Provinciæ probaveris, donationiſque cauſa focariæ tuæ nomine inſtrumentum emptionis eſſe conſcriptum: eam tibi reſtitui jubebit. Nam licet ceſſante jure matrimonii donatio perfici potuerit, milites tamen meos a focariis ſuis hac ratione fictiſque adulationibus ſpoliari nolo* —. Si poſtules abs me, quid ſignificet *focaria*; concubinam, reſpondebo cum Gloſſa: & cum Vocabulario — *Concubina, che ſta a loco, e a foco con qualcheduno* —. Huc etiam confert L. *Miles ita hæredem* §. 1. ff. *de teſtamento militis* — *Mulier, in qua turpis ſuſpicio cadere poteſt, nec ex teſtamento militis aliquid capere poteſt: ut Divus Hadrianus reſcripſit* —: & ff. *de his, quæ ut indignis auferuntur* L. 14. — *Mulierem, quæ ſtupro cognita in contubernio militis fuit, etſi ſacramento miles ſolutus intra annum mortem obierit, non admitti ad teſtamentum jure militiæ factum, & id, quod relictum eſt, ad fiſcum pertinere, proxime tibi reſpondi* —. Singulare hoc eſt in militibus: quoniam donationes a cæteris factæ concubinis, & meretricibus in jure non ſunt irritæ, textu aperto L. 5. ff. *de donationibus* — *Affectionis gratia neque honeſtæ, neque inhoneſtæ donationes ſunt prohibitæ: honeſtæ erga benemerentes amicos, vel neceſſarios: inhoneſtæ circa meretrices* — Et ff. eod. tit. L. 31. in principio — *Donationes in concubinam collatas non poſſe revocari convenit, nec ſi matrimonium inter*

eoſdem

eoſdem poſtea fueris contractum, ad irritum recidere, quod ante jure valuit --.

Subdit Author non valere donationem, ſi vir uxori donet conſtante matrimonio, dum ex donatione alter fit ditior, alter pauperior. Idem dicas volo e converſo, ſi videlicet uxor donet viro: & hoc tum canonico, tum civili jure firmatur. Canonico; quoniam id ſancivit Gregorius IX. Extra *de donationibus inter virum & uxorem* cap. 8. inquiens -- *Donatio, quæ conſtante matrimonio inter conjuges dicitur eſſe facta, ex quo alter locupletior, & pauperior alter efficitur, firmitatem non habet, niſi donatoris obitu confirmetur: quæ tamen penitus evaneſcit, ſi revocetur ab eo tacite, vel expreſſe, vel qui donatum accepit, prius debitum naturæ perſolvat* --. Civili; id enim firmatur ff. *de donationibus inter virum & uxorem* L. 1. 2. & 3. -- *Moribus apud nos receptum eſt, ne inter virum & uxorem donationes valerent. Hoc autem receptum eſt, ne mutuato amore invicem ſpoliarentur, donationibus non temperantes, ſed profuſa erga ſe facilitate* --. Ita L. 1. -- *Nec eſſet eis ſtudium liberos potius educandi. Sextus Cæcilius & illam cauſam adjiciebat, quia ſæpe futurum eſſet, ut diſcuterentur matrimonia, ſi non donaret is, qui poſſet; atque ea ratione eventurum, ut venalicia eſſent matrimonia* -- Ita L. 2. -- *Hæc ratio ex oratione Imperatoris noſtri Antonini Auguſti electa eſt: nam ita ait: Majores noſtri inter virum & uxorem donationes prohibuerunt, amorem honeſtum ſolis animis æſtimantes, famæ etiam conjunctorum conſulentes, ne concordia pretio conciliari videretur, neve melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret* -- Ita L. 3. in principio. Non deſunt tamen caſus, in quibus valet hujuſmodi donatio. Præcipui ſunt. Primo, valet donatio, ſi gratuita donatio non ſit, ſed remuneratoria -- *Si vir & uxor quin a invicem ſibi donaverint, & maritus ſervaverit, uxor conſumſerit, recte placuit compenſationem fieri donationum; & hoc Divus Hadrianus conſtituit* -- ff. *de donationibus inter virum & uxorem* L. 7. §. 2. ſecundo, ſi donans ex tali donatione non fiat pauperior, puta ſi maritus hæreditatem vel legatum repudiet, ut obveniat uxori ſibi ſubſtitutæ, vel ſuccedenti ab inteſtato -- *Si maritus hæres inſtitutus repudiet hæreditatem donationis cauſa, Julianus ſcripſit lib. 17. Digeſtorum, donationem valere: neque enim pauperior fit, qui non adquirat, ſed qui de patrimonio ſuo depoſuit* -- ff. eod. tit. L. 5. §. 13. Tertio, ſi uxor marito donet occaſione dignitatis adipiſcendæ, vel publici muneris exercendi -- *Quod adipiſcendæ dignitatis gratia ab uxore in maritum collatum eſt, eatenus ratum eſt, quatenus dignitati ſupplendæ opus eſt* -- ff. eod. tit. L. 40. & L. ſeq. -- *Nam & Imperator Antoninus conſtituit, ut ad proceſſus viri uxor ei donare poſſit* --. Proceſſus intellige *in honoribus de gradu ad gradum*, ut adnotat Gloſſa ibidem. Accipe legem item ſeq. quæ eſt 42. -- *Nuper ex indulgentia Principis Antonini recepta eſt alia cauſa donationis, quam dicimus honoris cauſa: ut ecce ſi uxor viro laticlavii petendo cauſa donet, vel ut equeſtris ordinis fiat, vel ludorum gratia* --. Laticlavium nomen erat cujuſdam dignitatis. Ludo-

rum

rum intellige præparandorum ex munere, non ut amittat pecuniam in alea. Ita Gloſſa ſuper hac lege. Quarto, cauſa exilii, vel alterius pœnæ bonorum confiſcationem ſecum trahentis — *Inter virum & uxorem exilii cauſa donatio fieri poteſt* — ff. eod. tit. L. 43. Exilii, notat Gloſſa, futuri, vel imminentis, quo ſecuto firmatur donatio. Quinto, ſi vir uxori ſuæ pauperi, & ſine dote, remunerationis cauſa aliquid in dotem adſignet — *Si quis uxori ea conditione donavit, ut quod donavit in dotem acciplat, defuncto eo donatio convaleſcit* — ff. eod. tit. L. 59.: vel ſi vir uxori ſuæ dotem promiſſam, & non ſolutam, velit remittere: ut ex L. 19. C. *de donationibus ante nuptias* inferunt communiter Canoniſtæ. Sexto, ſi conjuges ſint ſupremi Principes — *Donationes, quas Divus Imperator in piiſſimam Reginam ſuam conjugem, vel illa in Sereniſſimum maritum contulerit, illico valere ſancimus, & pleniſſimam habere firmitatem, utpote Imperialibus contractibus legis vicem obtinentibus, minimeque opitulatione quadam extrinſecus egentibus* — C. *de donationibus inter virum & uxorem* L. penultima. Septimo, ſi donatio non ſit inter vivos, ſed cauſa mortis — *Inter virum & uxorem mortis cauſa donationes receptæ ſunt* — ff. eod. tit. L. 9. §. 2.

Decimo. Idem tene de patre, qui filio, vel filiæ donare non poteſt, ut dixi de uxore C. *de impuberum & aliis ſubſtitutionibus*. L. ultima: niſi cauſa dotis propter nuptias C. *de jure dotium* L. 1.: vel ſi emancipavit Extra *de in integrum reſtitutione* cap. Conſtitutus: vel niſi ſint arma & equi, quæ donat filio eunti ad caſtra C. *Familiæ erciſcundæ* L. *Si filiusfamilias*: vel niſi ſit uſusfructus, quem pater habebat in peculio adventitio filii. Addit Raynerius alios quatuor, ſurdos videlicet, mutos, cœcos, & eos, qui perpetuo morbo laborant.

(212) *Olim cum volebat pater emancipare filium, vendebat eum, & ille emancipabat, & alapam dabat ei* — Ita Gloſſa in L. ult. C. *de emancipationibus liberorum*. Sed vana hæc obſervatio ſublata fuit ab Imperatore Juſtiniano eadem L. ultima, quæ eſt hujuſmodi — *Quum inſpeximus in emancipationibus vanam obſervationem cuſtodiri, & venditiones in liberas perſonas figuratas, & circumductiones inextricabiles, & injurioſa rhapiſmata, quorum nullus rationabilis invenitur exitus: jubemus hujuſmodi circuitu in poſterum quieſcente, licentiam ei eſſe, qui emancipare vult, vel ex lege Anaſtaſiana hoc facere, vel ſine ſacro Reſcripto intrare competentis Judicis tribunal, vel eos adire Magiſtratus, quibus hoc facere, vel legibus, vel ex longa*

ga conſuetudine permiſſum eſt : & filios ſuos , vel filias , nepotes , vel neptes ; vel deinceps progeniem in poteſtate ſua conſtitutam , a ſua manu dimittere : & legitima jura omni modo habere , etſi non ſpecialiter hoc ſibi ſervaverit : & peculium donare , vel alias res liberalitatis titulo in eos tranſferre : & eas res , quæ acquiri indignantur , per uſumfructum ſecundum noſtræ Conſtitutionis modum detinere , & omnia facere : vana tantummodo , ſecundum quod jam dictum eſt , obſervatione ſublata — . Perſonæ ſic emancipatæ remanent liberæ a patria poteſtate , ut ibidem L. 5. — *Perſonæ , in quas talis liberalitas collata ſit , de aliena poteſtate quaſi a parentibus ex emancipatione manumiſſæ liberentur* — : & in poſterum ſibi ipſis adquirunt , non patri , ut egregie Cardinalis Tuſcus Litt. E. Concluſ. 115. — *Emancipatio filii facta per patrem de jure operatur , ut pater in quærendis per filium poſt emancipationem nullum jus , & nullum uſumfructum habeat ….. , & quod filius emancipatus acquirat ſibi , & non Patri* — .

De filiis emancipatis non loquitur Author in præſenti , ſed unice de illis , qui in omnibus adhuc ſunt ſub poteſtate patris , quibus certe generatim loquendo , donare non poteſt pater , ut ff. *de donationibus* L. 11. — *Cum de bonis tuis partem quidem penes te retinuiſſe , partem vero in eum , quem in poteſtate habes , donationis titulo contuliſſe commemores : non eſt incerti juris in eum , qui in ſacris familiæ tuæ remanet , deſtinationem magis paternæ voluntatis factam , quam perfectam donationem perveniſſe* — : & ff. eod. tit. L. 17. — *Sane ſi ea , quæ in tua poſitis poteſtate donaveras , poſt emancipationem contra tuam tenuerint voluntatem : horum penes te dominium remanſit : ſiquidem nec tempore , quo voluiſti , propter vinculum poteſtatis ſibi quicquam quærere , nec poſt te invito de rebus tuis potuerunt* — Rationem communiter Doctores adſignant hanc , quia ſcilicet omne , quod filius a patre acquirit , ad peculium filii profectitium ſpectat , cujus peculii quia pater Dominus eſt , non tam filio , quam ſibi dare cenſetur ….. filiis autem emancipatis ….. pater valide donare poteſt cit. L. 17. hoc tit. , juncta L. 2. Codicis eod. : quia in his ceſſat ratio peculii profectitii — . Ita Anacletus lib. 3. Decretalium tit. 24. §. 1. num. 25. Excipiuntur caſus ab Authore producti , pro quibus leges habemus apertas . His addi poteſt , ſi pater aliquid filio donet ratione ſtudiorum , vel opificii adiſcendi — *Si paterno affectu privignas tuas aluiſti , ſeu mercedes pro his aliquas magiſtris expendiſti : ejus erogationis tibi nulla repetitio eſt* — C. *de negotiis geſtis* L. 15. Item , ſi pater aliquid filio donet remunerationis gratia , ut communiter Canoniſtæ cum Anacleto ibidem num. 26.

Hactenus de patre reſpectu filiorum . Cave tamen , ne id extendas ad matrem reſpectu eorundem : ſecus enim de matre conſtituendum eſt , quæ filiis ſuis in jure donare poteſt — *Proinde , ſi , dum vult Titio donatum , accepit a me mutuam pecuniam , & eam Titio donavit , ceſſat Senatuſconſultum . Sed & ſi tibi donatura , creditori tuo nummos numeraverit , non interce-*

tercedit. Senatus enim obligatæ mulieri ſuccurrere voluit, non donanti: hoc ideo, quia facilius ſe mulier obligat, quam alicui donat — ff. *ad Senatuſconſultum Vellejanum* L. 4. §. 1. Ratio eſt: quia mater in jure non habet in ſua poteſtate filios ſicuti eos habet pater, quemadmodum ſcriptum eſt Inſtitut. *de adoptionibus* §. 10. *Fœminæ quoque adoptare non poſſunt, quia nec naturales liberos in ſua poteſtate habent. Sed ex indulgentia Principis, ad ſolatium liberorum amiſſorum, adoptare poſſunt* —. Ratio etiam eſt: quia mater defectu adminiſtrationis, ordinarie loquendo, multum donare non poteſt: quia inſuper mater non tam facile donat; de ea enim ſcribit Gloſſa in L. 4. *ad Senatuſconſultum Vellejanum* modo productam — *Eſt enim genus mulierum avariſſimum in donando, ut hic, & C. DE DONATIONIBUS ANTE NUPTIAS L. SI A SPONSO §. QUOD SI SPONSA, & infra DE DONATIONIBUS INTER VIRUM ET UXOREM L. SI STIPULATA in fine* — Doctrinam hanc infirmare videtur L. 3. §. 4. ff. *de donationibus inter virum & uxorem*, in qua ſancitur non valere donationem matris filio factam — *Secundum hæc ſi mater filio, qui in patris poteſtate eſſet, donet, nullius momenti erit donatio, quia patri quæritur. Sed ſi in caſtra eunti filio dedit, videtur valere: quia filio quæritur, & eſt caſtrenſis peculii* —. Ut huic objecto faciam ſatis, ſcias volo, olim nullum fuiſſe diſcrimen inter bona filii adventitia, & profectitia, ſed quidquid filio obveniebat, quod non eſſet caſtrenſe, totum patri quærebatur, & ad patrem pertinebat — *Igitur liberi veſtri utriuſque ſexus, quos in poteſtate habetis, olim quidem quicquid ad eos pervenerat (exceptis videlicet caſtrenſibus peculiis) hoc parentibus ſuis adquirebant ſine ulla diſtinctione* — Inſtitut. *per quas perſonas cuique adquiritur* §. 1. Ita reipſa ubique locorum erat in more poſitum, quum condita fuit lex in medium producta. Prudenter iccirco, ne eluderetur lex principalis prohibens donationes inter virum & uxorem, ſancitum tunc fuit, quod non valerent donationes matris filio factæ, quia patri quærebantur, & ſub pallio filii reipſa erant donationes, quæ ab uxore fiebant patri ſeu viro. Sed quum juriſprudentia illa viſa non fuerit Juſtiniano opportuna, qui iccirco ibidem ſancivit, quod ea ſola bona, quæ filio ex re patris obveniunt patri adquirantur, non autem alia aliter obvenientia — *Quod autem ex alia cauſa ſibi filiusfamilias adquiſivit, hujus uſumfructum patri quidem adquirat, dominium autem apud eum remaneat: ne quod ei ſuis laboribus, vel proſpera fortuna acceſſerit, hoc in alium perveniens, luctuoſum ei procedat* —. Inſtitut. ibidem: nunc donationes matris filio factæ non patri, ſed filio adquiruntur, ſuntque inter bona adventitia filii, non autem profectitia, ut illorum dominium filii ſit, & ad patrem ſolus pertineat uſusfructus. Quum ergo per novam Juſtiniani juriſprudentiam ceſſaverit ratio legis, de qua in objecto, dicamus oportet ceſſaſſe etiam ipſam legem; & iccirco olim invalidas fuiſſe donationes matris filio factas, non autem impræſentiarum. Ita egregie reſpondet Anacletus loco proxime citato num. 27.

Undecimo. Adde etiam eos, qui teſtari non poſſunt, & qui in rem, quam donare volunt, dominium non habent, ut fures, latrones, uſurarii, & hujuſmodi.

(213) *Nemo plus juris ad alium transferre poteſt, quam ipſe haberet* — Regula 54. ff. *de diverſis Regulis juris antiqui* — *Traditio nihil amplius transferre debet, vel poteſt ad eum, qui accipit, quam eſt apud eum, qui tradit. Si igitur quis dominium in fundo habuit, id tradendo transfert: ſi non habuit, ad eum, qui accipit, nihil transfert* — ff. *de adquirendo rerum dominio* L. 20. in principio. Hi, de quibus nunc Author, dominium non habent in rem. Non ergo ipſum transferre poterunt in donatarium, & iccirco in jure donare non poſſunt.

Adde duodecimo, nempe quod nullus donare poteſt ultra quingentos ſolidos ſine inſinuatione patente, & ſcriptura, vel notificatione facta Judici, in qua cauſa exprimatur, & perſona; aliter non tenet donatio C. *de donationibus* L. *Donatio*. Fallit hoc in Imperiali donatione, & in ea, quæ fit in redemptionem captivorum L. penult., & L. *Sancimus* ibidem. Vide etiam Gloſſam ibi.

(214) Jure poſitivo civili ſpecialiter prohibita ſunt duo genera donationum, donatio nempe bonorum omnium, & donatio excedens quingentos ſolidos abſque inſinuatione. De donatione omnium bonorum fuſe agit Cardinalis Tuſcus litt. D. Concluſ. 648. & ſeq., reſpondetque argumentis, quæ a nonnullis proferri ſolent aliter ſentientibus. Num. 2. ſcribit: *quod regulariter non valeat donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum, pro regula ponit Jul. Clar. in §. DONATIO q. 19., ubi plene declarat, & dicit communem, & citat plurimos de communi atteſtantes, & dicit quod ratio eſt, quia tollit facultatem teſtandi* —. Num. 92. ita habet — *Quod donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum non valeat, quia aufert facultatem teſtandi, communem dicit Abb. Conſil. 48. videtur primo per totum, maxime num. 2. lib. 2., ubi reſpondet ad contrarium Angeli, quod non tollat facultatem teſtandi eſt verum verbo, ſed effectu ſecus eſt, quia nullus hæres reperietur ſine bonis a communiter contingentibus* —. Opportune quapropter Conſtitutiones Victorii Amedei Regis Sardiniæ lib. 5. tit. 13. num. 6. — *Le donazioni tra vivi univerſali non ſuſſiſteranno, ſe i donatori non ſi riſerveranno l' uſufrutto, o qualche porzione ragionevole per il ſovvenimento delle loro neceſſità, e per poter teſtare, ancorchè non ſiano comprenſive de'*

Beni

Digitized by Google

Beni futuri --. Id tamen intellige de ſola donatione inter vivos, de qua hic agitur; cauſa enim mortis donatio iſthæc univerſalis fieri jure poteſt, quia non tollit facultatem teſtandi, quum donans, ſi ſupervivat, eam revocare poſſit pro libito. Ad donationem pariter inter vivos ultra quingentos ſolidos quod attinet, ſciendum eſt, quod olim hæc donatio valebat ſine inſinuatione uſque ad ducentos ſolidos, poſtmodum extenſa fuit uſque ad trecentos, & tandem fuit permiſſa uſque ad ſolidos quingentos. De hac L. *Sancimus*, & L. *Si quis pro redemptione* C. *de donationibus*. Sed clarius Inſtitut. *de donationibus* §. 2. -- *Et quum retro Principum diſpoſitiones inſinuari eas actis intervenientibus volebant, ſi majores fuerant ducentorum ſolidorum: Conſtitutio noſtra eam quantitatem uſque ad quingentos ſolidos ampliavit, quam ſtare etiam ſine inſinuatione ſtatuit* --. Solidus in jure pro aureo accipitur, & ſecundum receptam hodie conſuetudinem per ſolidum intelligitur aureus Ungaricus. Inſinuatio nihil aliud eſt, niſi ipſam donationem redigere in actis, ſeu ipſam intimare, vel publicare apud acta Judicis, vel ipſam donationem facere apud acta Judicis præſentis, vel auctorantis..... Vel eſt ſcriptura facta in præſentia publicarum perſonarum, & in actis; & ideo ad hoc, ut donatio dicatur ſolemniter inſinuata, ſufficit quod de ea facta ſit ſcriptura, & apud Judicem competentem publicata..... Et ideo inſinuatio nihil aliud eſt, niſi facere donationem in ſcriptis coram Judice, neque exigitur cauſæ cognitio, ſive decretum, ſed ſatis eſt, quod fiat in præſentia cujuſcumque Magiſtratus --. Ita Cardinalis Tuſcus litt. I. Concluſ. 195. num. 2. & ſeq. Appoſite nihilominus Gennettus Tom. 1. Tract. 7. cap. 1. q. 3. -- *Quantum ad talem inſinuationem obſervandæ ſunt leges, conſuetudines, & ſtatuta cujuslibet Provinciæ, aut etiam Civitatis, & eodem plane modo judicandam in foro conſcientiæ, quo Judex in foro externo judicare in praxi tenetur* --. Si contingat donationem omiſſa inſinuatione fieri ultra quingentos ſolidos, invalida duntaxat erit, quoad exceſſum, textu aperto L. *Sancimus* C. *de donationibus* -- *Si quid autem ſupra legitimam definitionem fuerit donatum: hoc quod ſuperfluum eſt, tantummodo non valere: reliquam vero quantitatem, quæ intra legis terminos conſtituta eſt, in ſuo robore perdurare: quaſi nullo penitus alio adjecto, ſed hoc pro non ſcripto, vel non intellecto eſſe credatur* --. Ab hac lege de donatione ultra quingentos ſolidos excipiuntur ſeptem caſus. Ita Author in Angelica ver. *Donatio primo* num. 20. Primus eſt, ſi magiſter militum res mobiles tam ſuas, quam habitas ex ſpoliis hoſtium donare velit militibus, textu aperto C. eod. tit. L. *Si quis pro redemptione* §. 1. -- *Simili etiam modo a geſtorum abſolvimus ordinatione donationes rerum mobilium, vel ſe ſe moventium, quas viri glorioſiſſimi magiſtri militum fortiſſimis præſtant militibus, tam ex ſua ſubſtantia, quam ex ſpoliis hoſtium, ſive in ipſa bellorum occupatione, ſive in quibuſcumque locis degere neſcuntur* --. Secundus eſt, ſi quis donet pro reparatione domus, quæ damnum paſſa ſit ruina, vel incendio C. ibidem §. 2. --

Eandemque liberalitatem noſtræ legis indulgemus etiam his, quorum domus incendio, vel ruina corruptæ ſunt, quibuſdam forte pecunias cujuſcumque quantitatis præbentibus, vel cautionem conficientibus, ut & ipſi nec repetitionem timeant, verum etiam exactionem pecuniarum confeſſioni inſertarum facere poſſint —. Tertius caſus eſt, ſi quis donet pro redemptione captivorum C. ibidem in principio — *Si quis pro redemptione captivorum pecunias dederit, ſive per cautionem dare promiſerit, cujuſcumque quantitatis: cognoſcat ſe neque repetitionem habere, neque exactionem cautionis poſſe declinare, utpote geſtis (ſicut in donationibus) non ſubſecutis ſuper inſinuatione ejuſdem quantitatis* —. Quartus eſt, ſi agatur de donationibus Imperialibus C. eod. tit. L. *Sancimus* — *Exceptis donationibus tam Imperialibus, quam iis, quæ in cauſas piiſſimas procedunt: quarum Imperiales quidem donationes merito indignari ſub obſervatione monumentorum fieri, tam a retro Principibus, quam a nobis ſancitum eſt, ſed firmam habere propriam majeſtatem* —. Quintus eſt, ſi donatio fiat propter pias cauſas, Eccleſiæ puta, Monaſterio &c., ut perſpicue lex nunc recitata, & colligitur etiam ex cap. 10. Extra *de Conſtitutionibus* — *Nos attendentes, quod Laicis etiam Religioſis ſuper Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas: quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi: a quibus ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam reſpiciat commodum, & favorem, nullius firmitatis exiſtit, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum* —. Sextus eſt, ſi quis donet propter nuptias, C. *de donationibus ante nuptias* L. 17. — *Minoribus ætate fœminis etiam actorum teſtificatione in ante nuptias donatione ad eas facta, omiſſa, ſi patris auxilio deſtitutæ ſint, juſte conſulitur, ut firma donatio ſit* —. Septimus eſt, ſi ſit donatio remuneratoria: quia hæc vera, & perfecta donatio non eſt, ut perſpicue ff. *de donationibus* L. *Aquilius*. Ob hanc eandem cauſam Anacletus lib. 3. Decretalium §. 1. num. 19., & Lucius Ferraris ver. *Donatio* num. 35. excipiunt donationes omnes, quæ fiunt ab aliquam cauſam, puta ob militiam, ſtudia, nuptias &c.: quia quum lex requirens inſinuationem ſit odioſa, quippe quæ reſtringit liberam donandi facultatem, non eſt extendenda, & amplianda ultra donationem propriam, & perfectam: cujus indolis ea duntaxat eſt, quæ fit ob meram liberalitatem — *Dat autem aliquis ea mente, ut ſtatim velit accipientis fieri, nec ullo caſu ad ſe reverti, & propter nullam aliam cauſam facit, quam ut liberalitatem, & munificentiam exerceat: hæc proprie donatio appellatur* —. ff. *de donationibus* L. 1., non vero ea, quæ fit ob aliquam cauſam. Hactenus in jure communi; candide enim fateor, hanc juriſprudentiam non eſſe in more poſitam apud omnes nationes, & forte unamquamque ſuper hac re ſuas habere leges patrias, quibus ſtandum eſt in caſu. In Conſtitutionibus Victorii Amedei Regis Sardiniæ lib. 5. tit. 13. num. 1. ſancitum invenio — *Tutte le donazioni, che ſi faranno fra vivi, tanto condizionali, che altre, ſaranno inſinuate, e regiſtrate avanti il Giudice ordi-*

nario

Digitized by Google

nario del donatore, ſe ſarà togato, ed altrimenti avanti il Prefetto della Provincia, in difetto di che ſaranno nulle —.

SECUNDUM DUBIUM. Utrum accipiens res Eccleſiæ a Prælatis Eccleſiaſticis teneatur?

Reſpondeo, quod res Eccleſiæ ſive mobiles, ſive immobiles alienari non poſſunt, niſi ſervata forma, de qua dictum eſt Titulo tertiodecimo Dubio ſeptimo. Fructus autem, & redditus dari hi poſſunt ab ipſis, & alienari; & ideo ſi bene dant, puta intuitu pietatis, vel pauperibus, quibus eſt ſubveniendum 12. q. 2. cap. *Gloria Epiſcopi*; vel Cithariſtis, & hujuſmodi, quando his utuntur ad honeſtam neceſſariam recreationem, aut ad laudem Dei; vel honeſtis perſonis, quæ pro Eccleſia Dei laboraverunt, & hujuſmodi, quibus dare licet 16. q. 7. cap. *Pervenit*, & 12. q. 2. cap. *Quicumque*: non tenentur recipientes. Si vero dant illis, quibus dare non licet, ut meretricibus, joculatoribus, aliiſque ſimilibus, recipientes tenentur reſtituere 14. q. 6. cap. Primo.

(215) Rerum Eccleſiaſticarum Eccleſiaſticos non eſſe Dominos jam oſtendi Annotatione 159., textu aperto 12. q. 2. cap. *Sine exceptione* §. 1. — *Epiſcopus rebus Eccleſiæ tamquam commendatis, non propriis utatur* —. Earum Dominus eſt Deus ipſe. Earum Dominus eſt Jeſus Chriſtus; & iccirco ſecundum Canones dicuntur patrimonium Jeſu Chriſti. Donatio igitur ipſorum unice extendi debet ad fructus, ex quibus ante omnia ſibi ipſis providere debent in neceſſariis ad honeſtam ſuſtentationem, ut peroptime Inno. III. Extra *de Præbendis* cap. 16. — *Quum ſecundum Apoſtolum, qui altari ſervit, vivere debeat de altari: & qui ad onus eligitur repelli non debeat a mercede: patet a ſimili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jeſu Chriſti, cujus obſequio deputantur, ut ipſa nominis ratio perſuadet. Cum enim a Cleros, quod eſt ſors, vel hæreditas, Clerici appellentur, quia in ſui ordinatione vel aſſumuntur in hæreditatem Domini, vel aſſequuntur hæreditatem in ipſo, ut vere poſſint pſallere cum Propheta dicente: Dominus pars hæreditatis meæ: dignum eſt, ut Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtenentur, in qua & per quam divinis obſequiis adſcribuntur* —. Dixi ad honeſtam ſuſtentationem, non ad pompam, non ad luxum, ut opportune S. Bernardus Epiſt. 2. ad Fulionem Canonicum Lugdunenſem — *Dignum eſt, qui altari*

tari ſervit, de altari etiam vivat. Conceditur ergo tibi, ut, ſi bene deſervis, de altari vivas, non autem ut de altari luxurieris, ut de altari ſuperbias --. Quod ſupereſt, ipſorum non eſt, ſed Chriſti, ſed Eccleſiæ, ſicuti loquitur Concilium Agathenſe 12. q. 1. cap. 19. -- *Epiſcopi de rebus propriis, vel acquiſitis, vel quicquid de proprio habent, hæredibus ſuis, ſi voluerint derelinquant. Quicquid vero de proviſione ſuæ Eccleſiæ fuerit, ſive de agris, ſive de fructibus, ſive de oblationibus, omnia in jure Eccleſiæ reſervare cenſuimus* --. Ad mentem igitur Chriſti, & Eccleſiæ diſpenſandum eſt. Hæc autem mens nemini non innoteſcit, ſimul atque audire velit Canones, Concilia, & Eccleſiæ Patres. *Aurum Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus. Quid opus eſt cuſtodire, quod nihil adjuvat? An ignoramus, quantum auri atque argenti de templo Domini Aſſyrii ſuſtulerunt? Nonne melius conflat Sacerdos propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſint, quam ſi ſacrilegus contaminata aſportet hoſtis? Nonne dicturus eſt Dominus: cur paſſus es tot inopes fame emori? Et certe habebas aurum, unde miniſtraſſes alimoniam* -- S. Ambroſius in Canone, 12. q. 2. cap. *Aurum* -- *Gloria Epiſcopi eſt pauperum inopiæ providere: ignominia Sacerdotis eſt propriis ſtudere divitiis* -- S. Hieronymus in Canone, 12. q. 2. cap. proxime ſequenti --: *Quoniam quicquid habent Clerici, pauperum eſt, & domus illorum omnibus debent eſſe communes ſusceptioni peregrinorum, & hoſpitum invigilare debent: maxime curandum eſt illis, ut de decimis, & oblationibus Cœnobiis, & Xenodochiis, qualem voluerint, & potuerint, ſuſtentationem impendant* --. Idem S. Hieronymus in Canone, 16. q. 1. cap. ultimo --: *Omnino vero eis interdicit, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant: quum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant, eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa: immo quammaxime poteſt, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcumque Beneficia Eccleſiaſtica tam ſæcularia, quam regularia obtinentibus, pro gradus ſui conditione obſervari, ſed & ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit, quorum conſilio apud Sanctiſſimum Romanum Pontificem cum univerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt, non iis etiam virtutum inſignibus, ac vivendi diſciplina eos fulgere, quæ merito omnium in ſe oculos convertant* -- Conc. Tridentinum ſeſſ. 25. in Decreto de reformatione cap. 1. Jure igitur S. Auguſtinus ſerm. 219. de tempore -- *Quidquid excepto victu, & veſtitu rationabili ſuperfuerit, non luxuriæ reſervetur, ſed in theſauro cœleſti per eleemoſynam reponatur: quod ſi non facimus, res alienas invaſimus* --. Hæc quum ita ſint, nemo non videt moderate ſatis loqui Authorem noſtrum, dum conſtituit, quod ſi de

fructi-

fructibus Eccleſiæ Prælati donent iis, quibus dare licet, non tenentur hi ad reſtitutionem, quia non receperunt contra intentionem Domini, Chriſti ſcilicet, & Eccleſiæ, quum iiſdem datum ſupponatur intuitu pietatis, vel honeſtæ moderatæ recreationis, vel remunerationis ergo. Si autem iis donent, quibus dare non licet, tenentur recipientes reſtituere, quia receperunt contra intentionem Domini. Si recipientes fuere meretrices, vel perſonæ ejuſdem furfuris, aptari poteſt quod legimus 16. q. 2. cap. 1. — *Non enim cpem fert, qui ad peccandum adjuvat, ac non potius ſubvertit, atque opprimit* —. Si autem fuerunt milites, famuli, conſanguinei &c., confert quod clamat Gregorius VII. 16. q. 7. cap. 3. — *Pervenit ad nos fama ſiniſtra, quod quidam Epiſcoporum non Sacerdotibus propriæ Diœceſis decimas, atque Chriſtianorum oblationes conferant, ſed potius laicalibus perſonis, militum videlicet, ſive ſervitorum, vel quod gravius eſt etiam conſanguineis. Unde ſi quis amodo Epiſcopus inventus fuerit hujus divini præcepti transgreſſor, inter maximos hæreticos, & Antichriſtos non minimus habeatur. Et ſicut Nicæna Synodus de Simoniacis cenſuit, & qui dat Epiſcopus, & qui recipiunt ab eo Laici, ſive pretio, ſive beneficio, æterni incendii ignibus deputentur* —.

Tertium Dubium. Utrum recipientes ab eo, qui donat per metum teneantur?

Reſpondeo, quod ſic, immo & omnem utilitatem perceptam L. *Metum autem* 2. §. penult. ff. *quod metus cauſa*. Nec in conſcientia diſtinguendum eſt de metu, ſicuti in foro contentioſo diſtinguunt jura, & cum iſtis Gloſſa magna in cap. *Cum dilectus* Extra *de his quæ vi, metuſve cauſa fiunt*, quæ vult, quod actione quæ metus cauſa ſolum quis poſſit agere, quando per metum, qui poteſt cadere in conſtantem virum, alienavit ſua L. *Metum autem* 1. ff. *Quod metus*, & Extra *de Sponſalibus* cap. *Veniens ad nos*. In minori vero metu officio Judicis L. *Non eſt veriſimile* ff. *Quod metus cauſa* ſubveniendum eſt contra omnem poſſeſſorem, 3. q. 1. cap. *Redintegranda*, & aliis concordantiis ibidem notatis. Quoniam in foro conſcientiæ nihil intereſt, qua actione quis agere poſſit, ut ſuum habeat. Nam in conſcientia etiam quod donatum eſt ex metu reverentiali debet reſtitui, ut ſi quis de rebus ſuis donet de mandato Epiſcopi,

vel

vel uxor donet de mandato viri, & hujuſmodi. De hoc Gloſſa notabiliter in L. 1. §. *Quæ onerandæ* ff. *Quarum rerum actio non datur*. Et hoc verum eſt, niſi de non voluntario ſimpliciter donans efficiatur poſtea voluntarius.

(216) Annotatione 100. jam explicui quid ſit metus, & quæ principales ſint ipſius diviſiones. Juvat nihilominus meminiſſe, quod metus eſt — *Inſtantis, vel futuri periculi cauſa mentis trepidatio*, ſive, ut ad rem Hoſtienſis *de his, quæ vi, metuſve cauſa fiunt* num. 1. — *Dicitur metus, quaſi mentem ſcilicet liberam tenens, id eſt retinens, ſeu impediens: nam qui timorem habet, non quod ore ſemper exprimit, mente gerit* —. Metus certe diſtingui debet a vi; vis enim proprie eſt quædam coactio — *Vis enim fiebat mentio propter neceſſitatem impoſitam, contrariam voluntati* — ff. *Quod metus cauſa* L. 1. — *Vis autem eſt majoris rei impetus, qui repelli non poteſt* — ff. eod. tit. L. 2. Non ſic autem metus, qui a violentia eſt, & a coactione liber: tametſi metus cauſa agens id agat, quod non ageret, ſi liber eſſet a metu. Appoſite igitur ſcribit Gloſſa in L. 3. C. *de his quæ vi, metuſve cauſa fiunt*, quod vis & metus differunt inter ſe ſe, quia vis refertur ad corpus, metus autem refertur ad animum.

Scriptum eſt L. 1. ff. *Quod metus cauſa* — *Ait Prætor: quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo* —. Ergo non valet donatio ob metum facta. Ergo quod propter metum donatum eſt, donatori debet reſtitui — *In hac actione non quæritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum fecit: ſufficit enim hoc docere, metum ſibi illatum, vel vim, & ex hac re eum, qui convenitur, etſi crimine caret, lucrum tamen ſenſiſſe: nam cum metus habeat in ſe ignorantiam, merito quis non adſtringitur, ut deſignet, quis ei metum, vel vim adhibuit: & ideo ad hoc tantum actor adſtringitur, ut doceat metum in cauſa fuiſſe, ut alicui acceptam pecuniam faceret, vel rem traderet, vel quid aliud faceret* — ff. eod. tit. L. 14. §. 3. — *Pedius quoque libro 8. ſcribit, arbitrium Judicis in reſtituenda re tale eſſe, ut eum quidem, qui vim admiſit, jubeat reſtituere, etiamſi ad alium res pervenit: eum autem ad quem pervenit, etiamſi alius metum fecit: nam in alterius premium verti alienum metum non oportet* — ff. ibidem §. 5. ver. *Pedius*. Immo nedum res donata, ſed & utilitas omnis, ſi quæ exinde fuiſſet percepta, reſtituenda eſt — *Sed etſi uſusfructus, vel ſervitutes amiſſæ ſunt, reſtituendæ erunt* — ff. eod. tit. L. 9. §. 7.: quia reipſa metus incuſſus fuit cauſa amiſſionis.

Docte adnotat Author in foro contentioſo tum civili, tum canonico id duntaxat obtinere, quando metus incuſſus fuit gravis, & cadens in conſtantem virum: ſcriptum enim eſt ff. eod. tit. L. 5. — *Metum accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, ſed majoris malitatis* —: & L. proxi-

Digitized by Google

proxime ſeq. — *Metum autem non vani hominis, ſed qui merito, & in hominem conſtantiſſimum cadat, ad hoc Edictum pertinere dicemus* —: & L. item proxime ſeq. in principio — *Proinde ſi quis meticuloſus rem nullam fruſtra timuerit, per hoc Edictum non reſtituitur: quoniam neque vi, neque metus cauſa factum eſt* —: & Regula 184. ff. *de diverſis Regulis Juris antiqui* — *Vani timoris juſta excuſatio non eſt* — Ratio eſſe poteſt, quia ſi daretur locus cuicumque metui, lites creſcerent in immenſum, & agi poſſet pene de omnibus contractibus reſcindendis. Ne credas tamen forum fori minores hoſce metus nihili facere, & omnino contemnere. Aliud eſt, quod non ſufficiant ad contractus reſcindendos, quod propter ipſos agi non poſſit actione quod metus cauſa, & aliud ſane, quod omnino contemnantur a Judice. Probentur hi, ſi id fieri liquido poteſt, & metum paſſo ſubveniet officium Judicis. Lege enim *non eſt veriſimile* ab Authore citata permiſſæ ſunt a Judice probationes in caſu, in quo attenta qualitate perſonæ veriſimile non erat quod eidem metus aliquis gravis fuiſſet incuſſus. Subdit Author, quod in foro conſcientiæ qualitas metus ſcrupoloſe attendenda non eſt, ſed metu cognito, atque probato, rem donatam eſſe reſtituendam. Ratio eſt, quia donatio facta aliquo modo fuiſſet contra voluntatem dantis, & iccirco translatum non fuiſſet dominium in accipientem. In donatione omnino gratuita, de qua ſermo, donans omnimoda libertate gaudere debet. Metus quicumque ille ſit, tametſi voluntarium non tollat, minuit profecto, & ita minuit, quod donans ſi metus abeſſet, certe non donaret. Ergo ſic metuens non donavit libere; & iccirco ſimul atque recipiens hoc ſcit, donatum retinere nequit, ſed ipſum debet reſtituere. Hic attende egregiam Aſteſani doctrinam lib. 2. tit. 34. art. 1., ne quod hic dicitur de donatione propter metum quis transferat ad actionem vetitam ob metum factam — *Quod metus damni excuſat in dato, quia repetitur: & in promiſſo, quia non ſolvitur: & in remiſſo, quia petitur; ſed non excuſat in commiſſo, quia ob metum damni non debet mortale committi, quin potius debent mala omnia tolerari* 32. q. 5. *cap. ITA NE*. Accipe caput hic indicatum, quod eſt Auguſtini de Civit. Dei lib. 1. cap. 18. — *Ita ne aliquem polluat aliena libido, metuitur? Non polluit, ſi aliena erit; ſi autem polluet, aliena non erit. Sed cum pudicitia virtus ſit animi, comitemque habeat fortitudinem, qua potius quælibet mala tolerare, quam malo conſentire decernat; nullus autem magnanimus, & pudicus in poteſtate habeat quid de ſua carne fiat, ſed tantum quid annuat mente, vel renuat: quis tandem ſana mente putaverit ſe perdere pudicitiam, ſi forte in apprehenſa, & oppreſſa carne ſua exerceatur, & expleatur libido non ſua* —?

Quod pro foro conſcientiæ dictum eſt de quocumque metu, potiori jure dici id debet de metu reverentiali, qui ut plurimum metus gravis eſt, vel abſolutus, vel reſpectivus cadens in conſtantem virum. Jure igitur Gloſſa ab Authore laudata ſuper ver. *Metu ſolo* — *Aliter accipitur hic metus*,

tus , quam C. DE TRANSACTIONIBUS L. INTERPOSITAS , & notatur ibi . Hic arguitur , quod mulier , quæ rem ſuam vendidit , vel hypothecavit , ſi renuntiavit metu , vel reverentia , quod poſſit revocare : idem de Clerico , qui metu , & reverentia Epiſcopi renuntiavit Præbendæ , licet non interveniat corporis cruciatus — . Ea legem *Interpoſitas* nunc laudatam — *Interpoſitas metus cauſa tranſactiones ratas non haberi Edicto perpetuo continetur . Nec tamen quilibet metus ad reſcindendum ea , quæ conſenſu terminata ſunt , ſufficit : ſed talem metum probari oportet , qui ſalutis periculum , vel corporis cruciatum contineat .*

Reſponſum abſolvit ſuum Author inquiens ſic donatum propter metum eſſe reſtituendum , niſi donans de non ſimpliciter voluntario fiat poſtea voluntarius . Quilibet rei ſuæ eſt Dominus , & dominium in alterum transferre poteſt quandocumque vult ; non enim ad hoc requiritur , quod res adhuc ſit in manu donantis , quum translatio dominii non fiat per materialem rei traditionem ; ſed per veram , ſinceramque voluntatem donandi . Si ergo qui prius donavit ob metum , & non omnino libere , mutata poſtmodum voluntate libere conſentiat , quod recipiens retineat id , quod accepit , donatum ſtatim fiet recipientis , & hic erit a reſtitutione liber .

Quartum Dubium . Utrum accipiens ex dono , vel alio modo , ab eo , qui alienat in fraudem creditorum , teneatur ?

Reſpondeo , quod aut accepit titulo lucrativo , ſcilicet dono , & tunc ſi fraus intervenit in principio , tenetur indiſtincte L. *Quod autem* §. *Simili modo dicimus* ff. *Quæ in fraudem creditorum* . Secus , ſi intervenit poſtea : quia factum legitime retractari non debet cap. *Factum* de regulis Juris lib. Sexto . Niſi forte accepiſſet aliquid acquiſitum ex delicto , vel emptum ex pecunia uſuraria : quia tunc tenetur cap. *Cum tu* , & cap. *Tua nos* Extra *de uſuris* . Aut accepit titulo oneroſo , puta quia illud emit , & tunc non tenetur , niſi ſciverit fraudem L. *Ait Prætor* §. *Quod ait Prætor* ff. *Quæ in fraudem creditorum* . Dicitur autem ſcire , quando creditores ei proteſtati ſunt dicta L. *Ait Prætor* : vel quando debitor eodem modo omnia bona ſua alienavit L. *Omnes* §. *Lucius* ff. eod. titulo .

(217) Quod alienatio , quæ fit in fraudem creditorum revocari debeat , toto docemur titulo ff. *Quæ in fraudem creditorum* . Sed quoniam alie-

alienatio fieri poteſt vel ſimplici donatione, vel venditione, merito Author unum ab altero diſtinguit. Si alienatio donatione fiat, & donans in fraudem hoc agat, ſive donatarius id ſciverit, ſive id ignoraverit, revocatur alienatio, textu aperto ff. eod. tit. L. *Quod autem* §. 11. – *Simili modo dicimus, etſi cui donatum eſt, non eſſe quærendum, an ſciente eo, cui donatum, geſtum ſit: ſed hoc tantum, an fraudentur creditores. Nec videtur injuria affici is, qui ignoravit, cum lucrum extorqueatur, non damnum infligatur. In hos tamen, qui ignorantes ab eo, qui ſolvendo non ſit, liberalitatem acceperunt, hactenus actio erit danda, quatenus locupletiores facti ſunt, ultra non* –. Cenſetur autem donans id facere in fraudem, ſi conſcius æris alieni, quo oneratur, univerſa ſua alteri donet ff. eod. tit. L. *Omnes* §. 1. – *Lucius Titius cum haberet creditores, libertis ſuis, iiſdemque filiis naturalibus univerſas res ſuas tradidit. Reſpondit. Quamvis non proponatur conſilium fraudandi habuiſſe, tamen qui creditores habere ſe ſcit, & univerſa bona ſua alienavit, intelligendus eſt fraudandorum creditorum conſilium habuiſſe; ideoque etſi filii ejus ignoraverunt, hanc mentem patris ſui fuiſſe, hac actione tenentur* –. Ait Author, quod ſi tempore donationis fraus non interfuit, donatio ſubſiſtit, quamvis poſtmodum interfuerit: puta quia donans poſtmodum cognoſcit per talem donationem ſe fieri omnibus non ſolvendo, & gaudet. Huc reipſa confert Regula 73. Juris in Sexto – *Factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, a quo non potuit inchoari* –. Id tamen intellige, ſi donans cognoſcere hoc non poterat, nec debebat: quoniam ſi & poterat, & debebat, præſumitur donaſſe in fraudem. Excipit Author, ſi res donata acquiſita fuerat ex delicto, puta furto, vel habita in ſpecie de uſuris, vel empta ex pecunia uſuraria. Et quidem jure, quia tunc res non fuiſſet donantis; & iccirco dominium ipſius a donante non poterat transferri in donatarium. Vero igitur Domino reſtituenda tunc eſt, tametſi abſque ulla omnino fraude alteri fuiſſet donata, ut ad rem Alex. III. Extra *de uſuris* cap. 9. – *Tua nos duxit fraternitas conſulendos, quid ſit de uſurariorum filiis obſervandum, qui eis in crimine uſurarum defunctis ſuccedunt, aut de extraneis, ad quos bona uſurariorum aſſeris devoluta? Tuæ igitur quæſtioni literis præſentibus reſpondemus, quod filii ad reſtituendas uſuras ea ſunt diſtrictione cogendi, qua parentes ſui, ſi viverent, cogerentur. Id ipſum etiam contra hæredes extraneos credimus exercendum* –. Quod ſi alienatio venditione fiat, & vendens id agat in fraudem creditorum, emens autem id penitus ignoret, venditio non revocatur; rem enim emens titulo lucratur oneroſo, ff. eod. tit. L. *Ait prætor* §. 2. – *Quod ait Prætor, SCIENTE, ſic accipimus, te conſcio, & fraudem participante: non enim ſi ſimpliciter ſcio, illum creditores habere, hoc ſufficit ad contendendum, teneri eum in factum actione, ſed ſi particeps fraudis eſt* –: & ibidem §. 5. – *Ait Prætor SCIENTE, ideſt eo qui convenietur hac actione* –. Si poſtules abs me, quare lege ſancitur,

quod donatarius neſciens fraudulentum donantis conſilium teneatur reſtituere donatum: non teneatur autem emens, & ignorans fraudem in vendente? Reſponſio in promptu eſt, quia per donationem læduntur in totum creditores, non autem per venditionem, quum venditione ſecuta, jus ipſi habeant in pecuniam, quam debitor ex venditione percepit. Forte hic dices: ſi creditores vix aut ne vix quidem læduntur ex venditione, quare, dum emens conſcius eſt fraudis, revocanda venditio eſt? Huic quæſito reſponderi poſſet, quod etiam in venditione creditores aliquo modo læduntur; ſecurius eſt enim agere contra poſſeſſiones debitoris, quam contra pecuniam ex venditis poſſeſſionibus ab eodem perceptam, quum hanc mille modis occultare ipſe poſſit, & diſtrahere. Melius tamen reſpondetur, quod fraus & dolus nemini patrocinari debent, ſicuti jura omnia clamant; & ideo ſi emens particeps fuit fraudis, ſive creditores lædantur, ſive non lædantur, emptio nulla eſt, & revocanda. Cenſetur autem fraudis particeps nedum quando quis ære alieno gravatus, quod omnes norunt, vendit omnia ſua creditoribus inſciis, & abſentibus: ſed præſertim, ſi creditores proteſtentur contra venditionem, ff. eod. tit. L. *Ait Prætor* §. 3. — *Si quis particeps quidem fraudis non fuit, veruntamen vendente debitore, teſtato conventus eſt a creditoribus, ne emeret: an in factum actione teneatur, ſi comparaverit? Et magis eſt, ut teneri debeat: non enim caret fraude, qui conventus teſtato perſeverat* —. Sed quid, ſi creditores præſentes venditioni ſint, nec eam impediant, & taceant? Videntur conſentire. Arguitur C. *de remiſſione pignoris* L. 1. & 2. §. finali. Ita Gloſſa in §. 9. L. 6. ff. eod. tit., qui paragraphus huic caſui aptari commode poteſt — *Præterea illud ſciendum eſt, eum, qui conſentientibus creditoribus aliquid a fraudatore vel emit, vel ſtipulatus eſt, vel quid aliud contraxit: non videri in fraudem creditorum feciſſe; nemo enim videtur fraudare eos, qui ſciunt & conſentiunt.*

Vice-

Digitized by Google

VIceſimus ſecundus Titulus qui eſt de Falſariis, continet tres quæſtiones, ſive tria Dubia.

Primum Dubium. Utrum falſificans Inſtrumenta, vel aliam ſcripturam teneatur?

Reſpondeo, quod ſic, & in ſolidum de omni damno dato propter hoc. Idem dic, ſi hæc falſificatio fiat in libris mercatorum, vel qualitercumque, ff. *de Magiſtratibus conveniendis* L. 1. & ff. *de furtis* L. *Qui tabulas*. Idem etiam dic, ſi quis ſcienter falſis Inſtrumentis utatur, aut ſcripturis.

(218) Falſum recte definitur a Sylveſtro ver. *Falſarius* num. 1. — *Mutatio veritatis cum dolo, & jactura* —. Tria iccirco requiruntur ad crimen falſi, videlicet ut pervertatur veritas, ut dolo malo id fiat, & ut fiat cum alterius jactura, ita ut alteri noceat, vel nocere poſſit. Uno horum deficiente non tenetur quis pœna hujus criminis — *Nec exemplum editionis precum aliter per errorem ſcriptum, cum nonniſi dolo malo falſum committentes crimini ſubjugentur, cognitionem dati Judicis moratur* — C. *ad legem Corneliam de falſis* L. 20. Falſum poſtmodum, ſeu falſitas quatuor modis principaliter committitur, dicto nempe, ſcripto, facto, & uſu, ſeu potius abuſu, quorum omnium declarationem videre potes apud Anacletum lib. 5. Decretal. tit. 20., & apud Lucium Ferraris ver. *Falſum* ſeu Falſarius. Caſus, de quo Author, reſpicit crimen falſi ſcripto patratum, quod perbelle exponitur Inſtitut. *de publicis judiciis* §. 7. — *Item lex Cornelia de falſis, quæ etiam teſtamentaria vocatur, pœnam irrogat ei, qui teſtamentum, vel aliud inſtrumentum falſum ſcripſerit, ſignaverit, recitaverit, ſubjecerit, vel ſignum adulterinum fecerit, ſculpſerit, expreſſerit, ſciens dolo malo. Ejuſque legis pœna in ſervos ultimum ſupplicium eſt (quod etiam in lege de ſicariis, & veneficis ſervatur) in liberos vero deportatio* —. De hoc crimine agunt etiam Conſtitutiones Victorii Amedei Regis Sardiniæ lib. 4. tit. 34. cap. 11. per totum. Ea ad rem ſunt, quæ ibidem leguntur num. 1. — *I Notaj, che falſamente faranno, o che in qualche parte ſoſtantiale altereranno ſcritture, o Iſtromenti di qualſivoglia ſorta, tanto ſe ſieno ricevuti*

da

da eſſi , quanto ſe foſſero d' altri Notaj, incorreranno la pena della morte --: & quæ ibidem num. 7. ſancita ſunt -- *Quelli, che non eſſendo Notaj, fabbricheranno qualunque ſorta di ſcrittura falſa, sì publica, che privata, incorreranno nella pena della Galera perpetua, ed in quella d' anni cinque tutti coloro, che conſapevoli della falſità ſi ſerviranno delle medeſime, o delle depoſizioni falſe con produrle in giudizio, benchè non abbiano cooperato a farle.*

Caſum Authoris expendunt S. Bernardinus Tom. 1. ſerm. 34. cap. 1., Roſella ver. *Reſtitutio ſexto* num. 3., & S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 18. §. 7. verſus medium, cujus hæc ſunt verba -- *Secundum autem leges pœna falſarii hæc eſt, deportatio, & omnium bonorum confiſcatio in libero: in ſervo pœna eſt mors ff. DE FALSIS L. 1. (ſcilicet de lege Cornelia de falſis* L. 1. §. ult., ubi ſancitur -- *Pœna falſi, vel quaſi falſi deportatio eſt, & omnium bonorum publicatio: & ſi ſervus eorum quid admiſerit, ultimo ſupplicio affici jubetur* --). *Et hoc verum in falſante per ſe reſcriptum Principis: falſantes alias literas Eccleſiæ excommunicantur. Quo autem ad forum conſcientiæ ultra mortale grave commiſſum, tenetur falſarius ſive teſtamenti, ſive inſtrumenti cujuſcumque, ſive ſcripturæ, ut in libris mercatorum: vel ſcienter utens talibus, de omni damno, quod inde alicui ſequitur, ſive ſit Notarius, ſive teſtis, ſive cooperator, vel faciens hoc fieri, Extra DE INIURIIS ET DAMNO DATO cap. SI CULPA. Et omne emolumentum, quod inde percepit, tenetur reſtituere, quia fur eſt, & latro 14. q. 6. cap. SI RES, & in multis locis eſt excommunicatus per Synodales* --. Ratio eſt manifeſta: quia hi falſarii, vel falſis utentes præbent cauſam efficacem totius damni inde obvenientis. Ait S. Doctor eos eſſe excommunicatos, qui falſificant litteras Apoſtolicas; id enim perſpicuum eſt Extra *de crimine falſi* cap. 7., quod eſt Inno. III. -- *De communi fratrum noſtrorum conſilio duximus ſtatuendum, ut qui literis noſtris uti voluerint, eas primo diligenter examinent: quoniam ſi falſis literis ſe uſos dixerint ignoranter, eorum ſera pænitentia evitare nequibit pœnas inferius annotatas. Nos enim omnes falſarios literarum noſtrarum, qui per ſe, vel alios vitium falſitatis exercent, cum fautoribus & defenſoribus ſuis anathematis vinculo decernimus innodatos: ſtatuentes ut Clerici, qui falſarii fuerint deprehenſi, omnibus officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis perpetuo ſint privati: ita quod qui per ſe falſitatis vitium exercuerint, poſtquam per Eccleſiaſticum Judicem fuerint degradati, ſæculari poteſtati tradantur, ſecundum Conſtitutiones legitimas puniendi: per quam & Laici, qui fuerint de falſitate convicti, legitime puniantur. Qui vero ſub nomine noſtro literis falſis utuntur, ſi Clerici fuerint, officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis ſpolientur: ſi Laici, tamdiu maneant excommunicationi ſubjecti, donec ſatisfaciant competenter ita tamen, ut in iſtis, & in illis malitia gravius, quam negligentia puniatur: quod & de his, qui falſas literas impetrant, ſtatuimus obſervandum.*

Quæ-

Quæres primo: Quænam ſunt eæ literæ Apoſtolicæ, de quibus Canon Inno. III. nunc recitatus?

℞. Nomine literarum Apoſtolicarum in ordine ad pœnas contra earum falſarios non ſolum veniunt Bullæ Datariæ, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ſed etiam Secretariæ Brevium. Ita Lucius Ferraris ver. *Falſum* num. 58. Fuſius Innocentius X. Conſtitutione incip. *In ſupremo* anno data 1653. die 18. Aprilis rem hanc declarans, atque definiens §. 1. — *Ac inſuper eaſdem pœnas locum habere, & executioni demandari debere contra quoſcumque falſarios non ſolum literarum Apoſtolicarum, quæ ſub plumbo: ſed etiam illarum, quæ in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris expediri conſueverunt, tam gratiam, quam juſtitiam ſeparatim, aut utramque mixtim continentium. Nec non contra falſarios quarumcumque ſupplicationum, cedularum motus proprii, ac mandatorum de expediendo gratis manu noſtra, ſeu Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, vel per CONCESSVM ab Officialibus ad id pro tempore Deputatis reſpective ſignatarum, & ſignatorum, etiamſi ſuper illis Literæ Apoſtolicæ ſive ſub plumbo, ſive in forma Brevis ſub Annulo Piſcatoris non expediantur, neque conſueverint expediri. Necnon contra quoſcumque falſarios cujuſcumque generis aliarum ſimilium, vel diſſimilium conceſſionum, in quibus adſit ſubſcriptio noſtra, ſeu Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, aut quorumvis Officialium, ſuper quibus Literæ Apoſtolicæ ſub plumbo, vel in prædicta forma Brevis expediuntur, & expediri conſueverunt. Ac etiam contra quoſcumque falſarios Datarum in præmiſſis ab Officialibus ad hoc deputatis apponi ſolitarum. Nec non contra quoſcumque falſificantes Originalium ſupradictorum Regiſtra Apoſtolica, ſeu Regiſtrorum Apoſtolicorum libros, neque prorſus ac ſi falſificaſſent ipſa Originalia.*

Quæres ſecundo. An pœnis, de quibus ſupra, obnoxius ſit, qui una tantum vice deliquit, & non amplius?

℞. Et hoc definitum fuit ab eod. Summo Pontifice in laudata Conſtitutione §. 2. — *Ac demum quod ſub eadem præſenti noſtra Conſtitutione includantur, & incluſi cenſeantur, omnibuſque & ſingulis pœnis prædictis ſubjaceant, & obnoxii ſint etiam illi, qui unica tantum vice in præmiſſis deliquerint, ac per ſe, vel alium, ſeu alios unicum falſitatis actum duntaxat in iiſdem præmiſſis, ſeu eorum aliquo commiſerint, in eoque participes, complices, mediatores, auxiliatores, ſeu fautores quoquo modo fuerint, etiam decernimus, & declaramus, atque ita ſanctiones, & Conſtitutiones prædictas innovando, extollendo, iiliſque addendo reſpective in perpetuum ſtatuimus, & ordinamus.*

Quæres tertio. Quot modis Literæ Apoſtolicæ poſſint falſificari?

℞. Pene innumeris: Complures vide apud S. Antoninum loco proxime laudato, & Gloſſam in cap. 5. Extra *de crimine falſi*. Nonnullos ipſe duntaxat exhibeo, quos recenſuit Innocentius III. eod. cap. 5. ſcribens Archiepiſcopo, & Canonicis Mediolanenſibus — *Ut autem varietates falſitatis*

tis circa noſtras literas deprehendere valeatis, eas vobis præſentibus literis duximus exprimendas. Prima ſpecies falſitatis hæc eſt, ut falſa Bulla falſis literis apponatur. Secunda, ut filum de vera Bulla extrahatur ex toto, & per aliud filum immiſſum falſis literis inſeratur. Tertia, ut filum ab ea parte, in qua charta plicatur, inciſum, cum vera Bulla falſis literis immittatur ſub eadem plicatura cum filo ſimilis canapis reſtauratum. Quarta, cum a ſuperiori parte Bullæ altera pars fili ſub plumbo reſcinditur, & per idem filum literis falſis inſerta reducitur intra plumbum. Quinta, cum literis bullatis, & redditis, in eis aliquid per raſuram tenuem immutatur. Sexta, cum ſcriptura literarum, quibus fuerat appoſita vera Bulla, cum aqua vel vino univerſaliter abluta, ſeu deleta, eadem charta cum calce, & aliis juxta conſuetum artificium dealbata de novo reſcribitur. Septima, cum chartæ, cui fuerat appoſita vera Bulla, totaliter ablutæ, vel abraſæ alia ſubtiliſſima charta ejuſdem quantitatis ſcripta, cum tenaciſſimo glutino conjungitur. Eos etiam a crimine falſitatis non reputamus immunes, qui contra Conſtitutionem noſtram ſcienter literas non de noſtra, vel Bullatoris noſtri manu recipiunt. Illos quoque, qui accedentes ad Bullam falſas literas caute projiciunt, ut de vera Bulla cum aliis ſigillentur. Sed hæ duæ ſpecies falſitatis non poſſunt facile comprehendi, niſi vel in modo dictaminis, vel in forma ſcripturæ, vel qualitate chartæ falſitas cognoſcatur. In cæteris autem diligens indagator falſitatem poterit intueri, vel in adjunctione filorum, vel in collatione Bullæ, vel motione, vel obtuſione, præſertim ſi Bulla non ſit æqualis, ſed alicubi magis tumida, & alicubi magis depreſſa.

Egregia ſunt, quæ ſuper hac re adjicit Hoſtienſis in Summa *de crimine falſi* num. 3. in Annotationibus – Deprehenditur etiam falſitas, ſi Papa vocet Epiſcopos, ſive ſuperiores, dilectos filios: & ſi vocaverit Reges, & Principes, vel quoſcumque Clericos inferiores Epiſcopis, venerabiles Fratres: & ſi ſe ponat in ſingulari numero; vel uni ſcribens, cuicumque voluerit, eum in plurali numero ponat: quia tales literæ contra ſolitum ſtylum Curiæ impetrantur. Et ſic tam in Bulla, quam in filo, & charta, & ſtylo Curiæ ſunt taliter intuendæ, ne quis veras pro falſis, vel falſas pro veris admittat, infra eo. Cap. *Quam gravi*. Sic debet de cætero obſervari. Antiquitus enim Gregorius ex humilitate aliquando contrarium obſervavit, ut ſupra *de præſcriptionibus* cap. *Nihil*, & *de probationibus* cap. 1., 23. diſt. cap. *Communis filius*, & 93. diſt. cap. *Ecce* – Hæc ille, quæ diligenter attendenda ſunt, ne tempus cum tempore confundatur. Præcipui falſitatis modi in re præſenti duobus hiſce verſibus comprehenduntur, quos exhibet Gloſſa in idem cap. 5. *de crimine falſi*

Forma, ſtylus, filum, membrana, litura, ſigillum.
Hæc ſex falſata dant ſcripta valere puſillum.

Secun-

SECUNDUM DUBIUM. Utrum falſificans menſuram, monetam, & hujuſmodi, teneatur?

Reſpondeo, quod ſic, & in ſolidum de omni damno dato propter hoc. Reſtituere etiam tenetur ſcienter utens iiſdem, Extra *de jure jurando* cap. *Quanto*. Nota, quod falſificans monetam in regno Franciæ ipſo facto eſt excommunicatus per Extravag. Joannis XXII., quæ incipit -- *Prodiens quaſi ex adipe* tit. *de crimine falſi*.

(219) Caſus hic probatione non indiget; quiſque enim videt, quod hi ſcientes & volentes damnum inferunt proximo, quod jura omnia clamant eſſe reſtituendum. In cap. *Quanto*, quod eſt Innocentii III. ad Regem Aragoniæ, qui irrequiſito aſſenſu populi juraverat uſque ad certum tempus conſervare monetam Patris ſui, quæ circa mortem ejus fuerat legitimo pondere defraudata: ita reſpondet Summus Pontifex — *Cum juramentum feciſti, monetam aut falſum, aut legitimam eſſe credebas. Si falſum, juramentum fuiſſet illicitum, & nullatenus obſervandum, & pro eo eſſet tibi pœnitentia injungenda: cum juramentum non, ut eſſet iniquitatis vinculum, fuerit inſtitutum. Si vero legitimam eſſe credebas, juramentum licitum fuit, & uſquequaque obſervandum. Et ut irreprehenſibiliter obſervetur, conſulimus, & mandamus, ut, reprobata moneta, quæ a legitimo pondere fuerat defraudata, alia ſub nomine Patris tui moneta cudatur, quam ad legitimum pondus reducas, ſecundum eum ſtatum, quem tempore patris tui habuit meliorem: ita quod antiqua moneta, quæ ab illo ſtatu falſata non fuerat, cum ea pariter expendatur: per quod & diſpendium vitari poterit, & juramentum ſervari. Veruntamen ſi monetam ipſam in præſtatione juramenti credebas a legitimo pondere diminutam, & tua ſuper hoc conſcientia te remordeat, tuum humiliter confitere peccatum, & ſatisfactionem injunctam tibi pro illicito juramento ſtudeas adimplere.*

Excommunicationem quod reſpicit latam a Joanne XXII., hæc ita fuit concepta — *Nuper ſiquidem ad noſtri Apoſtolatus auditum multorum relatio fide digna perduxit, quod nonnulli nullam habentes auctoritatem juris, vel conſuetudinem, vel privilegium faciendi, monetam falſam oſtendunt, & fabricant in regno Franciæ, & locis circumvicinis. Alii vero monetam falſam ſub vero ſigno chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Regis Francorum, & Navarræ illuſtris ſtudioſe depravant, & ex hoc cadit a ſuo recto pondere. Quamplures etiam in locis circumvicinis, quibus de jure, aut conſuetudine, ſeu privilegio jus competit fabricandi monetam, ſignum proprium monetæ Regiæ monetæ ſuæ, quam fabricant, imprimere, ſeu inſculpere moliuntur, ejuſdem quantitatis, & jucunditatis, literarum, figuræ, quam ha-*

Digitized by Google

bet moneta Regia, monetæ ſuæ, quam inſculpunt, conſtituunt, & imponunt. Et quamvis moneta prædicta eorum ad uſurpatam ſimilitudinem perducta deficiat a juſto pondere argenti, & ſolito in Regia moneta, & more, & conſuetudine obſervato, ſimplices tamen & populares perſonæ non habentes inter monetas tantæ ſimilitudinis peritiam diſcernendi, falluntur quotidie ea occaſione in uſu monetarum, recipientes monetas falſo aſſimilatas pro veris. Sunt & alii, qui ſcienter falſas monetas extra regnum prædictum emunt, & poſt intra regnum ipſum eas portant, vendunt, & expendunt. Nos igitur attendentes, quod iidem falſarii, & fabricatores monetarum talium, & emptores prædicti per hoc ſe dignos maledictione conſtituunt, eos, qui, ut præmittitur, præmiſſa moliri, aut fabricare, aut emere, vel portare ad regnum prædictum ſcienter præſumpſerint, felicis record. Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, excommunicationis ſententia innodamus: abſolutione prædictorum Nobis, & Succeſſoribus noſtris, præterquam in mortis articulo, reſervata.

Singularia ſunt, quæ de hiſce falſariis ſcribit S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 18. §. 4. 5. & 6. Ea accipe, tametſi ſolito prolixiora.

§. IV. De falſificatione monetæ. Abbas Siculus ſuper cap. *Quanto, de jure jurando* ſic dicit ſecundum Gloſſam in dict. cap. Non licet ſine conſenſu Principis, ſeu Imperatoris cudere monetam, ut C. *de falſa moneta* in L. 2. & 3. ſecundum Bartolum, & Cynum ibi. Et hoc verum, niſi Civitas, vel Princeps inferior præſcripſiſſet hoc per tutum tempus, de cujus initio non exiſtat memoria, ut in cap. *Super quibuſdam de verborum ſignificatione*: vel niſi eſſet talis, qui præſcripſiſſet jura Imperii, ut Hiſpaniæ Reges, qui, ut dicit Gloſſa diſt. 63. *Valentinianus*, non ſubjacent Imperio, quia de hoſtium faucibus regnum eruerunt. Falſatur autem moneta multipliciter, ut Gloſſa in dict. cap. *Quanto*, & ſic varie punitur. Uno modo falſatur moneta Principis, de novo cudendo; & talis debet comburi, ut in L. 2. C. *de falſa moneta*. Secundo falſat quis cudendo monetam Civitatis, vel inferioris a Principe; & talis capite punitur, ut C. *de falſa moneta* L. 1. Tertio, cum quis non fabricat de novo monetam, ſed fabricatam cudit, ideſt minuendo: vel tingit puta monetam æream, ut appareat aurea, & talis punitur ultimo ſupplicio, vel datur ad beſtias ſecundum conditionem perſonæ, ut ff. *ad legem Corneliam de falſis* L. *Quicumque*. Item notandum ſecundo, quod habens jus cudendi monetam dicitur fraudare eam tribus modis. Primo, ſecundum Innocentium, quando certum pondus a principio pro quolibet denario demitur de mandato Principis, & illam ſic diminutam mandat poſtea recipi, ac ſi primi ponderis eſſet. Secundo modo, ſecundum Innocentium, quando abjectior cuditur moneta multo minoris ponderis, vel valoris, quam eſſet, deductis tamen expenſis factis pro ea facienda. Et ſic vult Innocentius, quod tantum debet valere moneta in forma, quantum in materia valet; deductis tamen

expen-

Digitized by Google

expenſis, quas auctoritatem præſtans de ſuo facere non tenetur. Immo ſi Princeps indiget, poterit inde habere aliquod lucrum, ut ſic minus valeat, quam materia, etiam deductis expenſis. Et hoc verum, ſi extra regnum non ſpargeretur moneta talis: quia tunc, ſcilicet extra regnum ſpargendo, ſequeretur damnum etiam non ſubditorum. In primo autem caſu credit Innocentius, quod poſſit Princeps minuere monetam cum conſenſu populi: quia quilibet poteſt renuntiare juri ſuo, 7. q. 1. *Quam periculoſum*; ſed dicit eſſe periculoſum: & dicit ſufficere conſenſum Magnatum regni, quia negotium putatur negotium univerſitatis. Fatetur etiam Innocentius, licentiam populi non ſufficere, quando moneta illa eſt expendenda extra regnum. Tertio modo fraudatur ſecundum Hoſtienſem extrinſecus: ut quia Princeps bonam monetam reprobat, vel æqualem, vel minus valentem ſufficit ad hoc, ut de reprobata bonum forum habeat, & illam conflari faciat, & cudi.

§. V. Quantum ad uſum falſæ monetæ. Nota, quod ſcienter expendens falſam monetam, videtur quod teneatur pœna legis Corneliæ *de falſis*, quæ regulariter eſt deportatio, & omnium bonorum publicatio; ſervus vero ultimo ſupplicio punitur. Sed Bartolus dicit, hoc procedere, quando expendit nummos plumbeos, vel ſtanneos, quia de illis tantum facit mentionem illa lex. Alias punitur pœna extraordinaria. Hæc omnia Abbas Siculus. Nota tamen, quod ubi quis in aliquo loco, ubi monetæ diminuti ponderis minus valent, ſecundum illam diminutionem emit debito pretio, & poſtea illas portat ad alium locum, ubi tantum valent quantum integræ monetæ, & ita indifferenter expenduntur, & accipiuntur, & in tantum eas computant quantum integras, ut in quibuſdam Civitatibus regni, ex quo plus vendit eas, quam emerit, non videtur in hoc peccare, cum nulli damnum inferat, & ſibi ex ſua induſtria & labore lucrum quærit, ſicut accidit de aliis mercimoniis, quæ plus minuſve valent in uno loco quam in alio, per Regulam *Scienti* de regulis Juris in Sexto. Sed qui bonas & integras monetas diminueret, & ſic diminutas portaret ad talem locum, utique fraudem faceret, & contra legem, & tenetur talis lucrum pauperibus erogare 14. q. 5. cap. *Non ſane*. Sicut etiam non excuſarentur a peccato, qui monetas malas & diminutas ſcienter darent pro bonis, etiamſi ſibi datæ eſſent pro bonis, & poſtea perpendit de diminutione valoris; non enim poteſt abſque peccato fraudia alteri dare pro bona & integra, quia culpa alterius, & error ſuus non debet alteri nocere. Culpa enim debet ſuos tenere auctores, & non alios.

§. VI. De falſificationibus in ponderibus & menſuris. Ex Concilio Moguntium dicitur — *Ut menſuræ & pondera juſta fiant*, ſupple ſtatuimus. Et infra — *Si quis juſtas menſuras, & juſta pondera lucri cauſa mutare præſumpſerit, triginta dies in pane & aqua pœniteat* — Extra *de emptione & venditione* cap. 2. in Gloſſa. Inſuper punitur ſecundum leges, ſcilicet civi-

les, L. Cornelia *de falſis*. Hæc pœnitentia hic taxata forte locum habet, cum convinceretur in judicio Eccleſiaſtico contentioſo. Nam in foro pœnitentiæ idem judicium eſt de iſta ſicut de aliis taxatis in Canonibus, ut ſcilicet ſit arbitriaria. Arguitur *de pœnitentia* diſt. 1. *Menſuram*, & 26. q.7. *Tempora*. Et dubium non eſt, quin talis peccet mortaliter, cum agat contra juſtitiam, & in damnum proximorum, & tenetur de omni damno inde ſecuto ſatisfacere, Extra *de injuriis & damno dato* cap. *Si culpa*. Quod ſi ſcire non poſſet propter multitudinem perſonarum, & varietatem, tenetur pauperibus erogare, præcipue ſi in parvo illos læſit. Tenetur etiam ad remediandum in quantum poteſt ſine periculo ſuæ perſonæ, vel majoris ſcandali, ut ſcilicet auferantur de medio dictæ menſuræ, vel pondera falſificata, vel adæquentur. Et idem dicendum de eo, qui eis, ſcilicet falſificatis, ſcienter uſus fuerit, ſcilicet quod peccat graviter, & de eo, in quo alius damnificatur per hoc, ſibi obligatur.

Hactenus S. Antoninus. Unice igitur addo nonnullas leges civiles – *Si venditor menſuras publice probatas vini, frumenti, vel cujuslibet rei, aut emptor corruperit, dolove malo fraudem fecerit: quanti ea res eſt, ejus dupli condemnatur: decretoque Divi Hadriani præceptum eſt, in inſulam eos relegari, qui pondera & menſuras falſaſſent* – ff. de lege Cornelia, *de falſis* L. 32. – *Quoniam nonnulli monetarii adulterinam monetam clandeſtinis ſceleribus exercent, cuncti cognoſcant neceſſitatem ſibi incumbere hujuſmodi homines inquirendi: ut inveſtigati tradantur Judici, facti conſcios per tormenta illico prodituri, ac ſic dignis ſuppliciis addicendi. Accuſatoribus etiam eorum immunitatem permittimus. Cujus modus, quoniam diſpar patrimonium eſt, a nobis per ſingulos ſtatuitur. Si quis autem militum hujuſmodi perſonam ſuſpectam de cuſtodia exire fecerit, capite puniatur. Appellandi etiam privato licentia denegetur. Si vero miles, aut promotus in gradum hujuſmodi crimen incurrerit, ſuper ejus nomine & gradu ad competentes Judices referatur. Domus vero, vel fundus, in quo hæc perpetrata ſunt, ſi Dominus in proximo conſtitutus ſit, cujus incuria vel negligentia punienda eſt, etſi ignoret, fiſco vindicetur: niſi Dominus ante ignorans, ut primum repererit, ſcelus prodiderit perpetratum. Tunc enim poſſeſſio, vel domus ipſius proſcriptionis injuriæ minime ſubjacebit. Sin vero longiſſime ab ea domo, vel poſſeſſione abſuerit, nullum ſuſtineat detrimentum: actore videlicet fundi, vel ſervis, vel incolis, vel colonis, qui ad hoc miniſterium præbuerint; cum eo qui fecit, ſupplicio capitali plectendis. Viduas autem ac pupillos ſpeciali dignos indulgentia credimus, ut viduæ, nec in proximo conſtitutæ domo ſua, vel poſſeſſione careant, ſi nulla apud ipſas tam gravis conſcientiæ noxa reſideat. Impuberes vero, etiamſi conſcii fuerint, nullum ſuſtineant detrimentum: quia ætas eorum, quid videat, ignorat. Tutores tamen eorum, ſi in proximo fuerint, quoniam ignorare eos, quid in rebus pupilli geritur, non oportet, hæc pœna expectabit, ut de rebus eorum, ſi idonei fuerint, tantum fiſco inferatur,*

tur,

Digitized by Google

tur, quantum a pupillo fuerat inferendum — C. de *falſa moneta* L. 1. — *Si quis nummos falſa fuſione formaverit, univerſas ejus facultates fiſco noſtro præcipimus addici. In monetis enim tantummodo noſtris cudendæ pecuniæ ſtudium frequentari volumus. Cujus obnoxii, majeſtatis crimen committunt: & præmio accuſatoribus propoſito, quicumque ſolidorum adulter poterit reperiri, vel a quocumque fuerit publicatus, illico omni dilatione ſummota, flammarum exuſtionibus mancipetur* — C. ibidem L. 2. De falſariis monetarum totum eſt caput tertium lib. 4. tit. 34. Conſtitutionum Victorii Amedei Regis Sardiniæ. Num. 1. ſancitur — *Non ſarà permeſſo ad alcuno di fabbricare, o far fabbricare ne' noſtri Stati, e fuori delle noſtre Zecche veruna ſorta di moneta d'oro, d'argento, di rame, o di qualſivoglia altro metallo, o lega, nè in grande, nè in piccola quantità tanto della noſtra marca, che di quella di qualſivoglia altro Principe ſtraniero, ſotto pena per li contravventori, che le fabbricaranno coll' impronto della noſtra ſtampa, d'eſſere ſtrangolati in pubblico, ed abbrucciati, e della confiſcazione de' beni, e ſe ſaranno fabbricate colla marca d'altri Principi, della forca, e confiſcazione de' beni, come ſopra* —. Num. 2. ita conſtituitur — *Avrà luogo la ſuddetta pena, quantunque le monete foſſero d'uguale, o maggior bontà di quelle, che ſi ſtampano nelle noſtre Zecche, e ſtraniere, ſenza riguardo ſe ſieno ne' noſtri ſtati approvate per correnti, o pure ſieno proibite, o bandite, volendo, che ſieno ſempre conſiderate per falſe ogni volta, che ſi trovano fabbricate fuori delle noſtre Zecche* —. Num. 6. ita decernitur — *Sarà proibito ſotto la pena medeſima di far, o procurare, che ſi facciano ſtampe atte a fabbricare monete, o di ritenerle ſcientemente in caſa, o altrimenti in ſuo potere* —. Num. 7. hæc leguntur — *Non potrà veruno tondere, tinger, o in altra maniera deteriorar, alterar, o commetter, e dar mano, che ſi tondano, o in qualunque maniera ſi alterino le monete di qualſivoglia ſorta, nè introdurle toſate, o in verun modo alterate, ancorchè della marca di Principe ſtraniero, ſotto pena della Galera perpetua, e della perdita delle medeſime* —. Num. 8. hæc habentur — *Non ſarà lecito ad alcuno di fabbricar, o far fabbricare, nè di avere in caſa, o altrove fornelletti da vento, forbici, grizoli, o altri ſimili ſtromenti atti a fondere, o ad alterare monete, ſotto pena della Galera come ſopra, eccettuati però quelli Arteſici, a' quali per uſo dell'arte loro foſſero neceſſarj* —. Num. tandem ultimo ſic lego — *Quelli, che ſenza alcuna intelligenza co' fabbricatori ſpenderanno ſcientemente, e doloſamente monete falſe, caderanno nella pena d'anni dieci di Galera.*

Quæres primo. Tempore contractus erat in uſu quædam ſpecifica moneta, quæ lapſu temporis interdicta fuit, aut deterior effecta. Fieri ne debet ſolutio ſecundum æſtimationem, quam habebat moneta illa tempore contractus, vel ſecundum eam, quam habet tempore ſolutionis?

R. Quæſtionem hanc, quam vocant quotidianam, expendunt Author

in Angelica ver. *Solutio* num. 2. Panormitanus *de jurejurando* in cap. *Quanto*, Roſella ver. *Reſtitutio quinto* num. 5., aliique complures. Placet exſcribere reſponſum Roſellæ, quod mihi videtur numeris omnibus abſolutum – Panormitanus ubi ſupra concludendo dicta Doctorum dicit, quod duobus modis principaliter moneta deterioratur, vel minuitur. Primo, reſpectu curſus, quia ſtante eadem bonitate intrinſeca non valet tantum, ſicut valere ſolebat. Secundo, reſpectu pecuniæ, quia eſt diminuta in pondere, ut quia fuit tonſa circum circa; & per longum uſum eſt effecta groſſa, ut puta quia erat de ære, ſed in ſuperficie erat argentea, quod ex longo uſu corruit. Primo caſu diſtingue: quia aut moneta eſt reſpectu curſus in totum reprobata, ut puta quia Princeps interdixit totum illius curſum: Et tunc ſecundum Jacobum, Odofredum, & Bartolum in L. Paulus ff. *de ſolutionibus*, & Joannem Andreæ in dict. cap. *Quanto*, & communiter Doctores hoc tenent, ſcilicet quod debet ſolvi ſecundum æſtimationem antiquam. Et de hoc videtur textus in cap. *Olim*, *de cenſibus*. Nec obſtat motivum tenentium contrarium, ſcilicet Hoſtienſis, & aliquorum aliorum dicentium quod poteſt ſolvi de antiqua moneta, quia ſatis eſt mutuum reſtitui in eadem ſpecie, & bonitate intrinſeca. Et hoc ſi debitor non fuit in mora. Sed Panormitanus dicit, quod non eſt verum, quod moneta iſta reprobata habeat eandem bonitatem intrinſecam: cum moneta magis conſideretur reſpectu curſus, & uſus, quam reſpectu materiæ. Aut non eſt in totum reprobata, ſed tantum alterata in valore, quia non valet tantum ſicut valere ſolebat. Subdiſtingue: aut hæc alteratio contigit in perpetuum, ut quia Princeps interdixit, ne tantum valeret, forte propter lucrum, ut poſſit recolligere pecuniam, & faciat conflari, & de novo cudi: & tunc ſecundum Dominos Andreæ, & Odofredum debet ſolvi ad æſtimationem antiquæ monetæ ratione prædicta. Sed Hoſtienſis, Jacobus de Arena, & Bartolus in dict. L. *Paulus* tenent contrarium. Dicunt enim, quod damnum pertinet ad creditorem, ex quo debitor non fuit in mora, & pecunia iſta habet ſuam bonitatem intrinſecam; ſed Panormitanus primum tenet, quia bonitas pecuniæ eſt reſpectu uſus principaliter; ideo debet in illa bonitate fieri reſtitutio L. *Cum quid* ff. *Si certum petatur*. Item ſi in totum uſus pecuniæ eſſet reprobatus deberetur æſtimatio, ut in præcedenti membro dictum eſt. Ergo idem, ſi in parte diminuta eſt. Arguitur L. *Quæ de tota* ff. *de rei vindicatione*. Hoc probari videtur in dict. cap. *Olim*. Et hoc placet Panormitano, ne iſte creditor ex ſuo beneficio damnum ſentiat. Secundo caſu, quando alteratio non eſt in perpetuum, ſed ad tempus, ſicut contingit quotidie unum florenum magis valere uno die, quam alio, quia creſcit, & decreſcit valor ſecundum tempora. Et communiter tenetur hanc variationem non debere attendi. Argumentum optimum in L. *Pretia rerum* ff. *ad legem Falcidiam*. Sicut enim creditor vellet, ut ſibi ſolveretur plus, ſi nunc plus valeret, ita

Digitized by Google

ita debet recipere eandem monetam, ſi minus valeat, ſicut voluit Bartolus in dict. L. *Paulus*, & alii. Quod ſatis eſt æquum. Putat tamen Panorminanus, quod ſi non eſſet ſpes, quod de proximo haberet augmentum, quod deberet haberi reſpectus ad æſtimationem, quæ erat tempore mutui, quia verum eſt dicere, quod hodie non habet illam bonitatem reſpectu curſus, quam tunc habebat. Et ſic militat ratio præcedens, maxime quia poteſt eſſe, quod nunquam creſcet. Quo vero ad ſecundum caſum principalem, ſcilicet quando reſpectu ipſius monetæ contingit deterioratio: & communiter tenetur per Canoniſtas, & Legiſtas, quod damnum pertinet ad debitorem: quia moneta non habet ſuam bonitatem intrinſecam, quam habebat tempore contractus mutui. Et prædicta procedunt, etiamſi debitor non fuit in mora: nam ſi fuiſſet in mora, dubium non eſt communiter ſecundum Doctores, quin omne periculum ſpectet ad ipſum debitorem. Debet enim reddere ſecundum æſtimationem, quæ erat tempore, quo debebat ſolvere niſi fuiſſet temporalis, & momentanea —. Hactenus ille.

Cap. *Olim* hic ſæpenumero laudatum Innocentii III. eſt ad Epiſcopum Spoletanum, & ſummopere confert ad præſens. En dubium, de quo in eo capite — *Ex parte tua fuit propoſitum, quod quum iidem Clerici Prædeceſſoribus tuis tres in Feſto Nativitatis, & tres in Feſto Reſurrectionis Dominicæ pro Synodatico ſolverent denarios Papienſes, nunc tantum tres Lucenſes pro ſingulis denariis Papienſibus perſolvebant, cum tamen unus denarius Papienſis valeat ſex Lucenſes; unde petebas eos ad Papienſium ſolutionem compelli* —. En æquiſſimam Summi Pontificis definitionem — *Procuratorem adverſæ partis nomine Clericorum plebis prædictæ tibi ad ſolutionem denariorum Papienſium, vel æſtimationem eorum, pro Synodatico per definitivam ſententiam condemnamus* —. Si hic petas abs me quid ſignificet Synodaticum, de quo ibi Summus Pontifex? Reſpondebit Benedictus XIV. de Synodo Diœceſana lib. 5. cap. 6. num. 2. & ſeq. — Cathedraticum, de quo in præſens, eſt certa penſio, non occaſione ordinationis, ſed ſingulis annis Epiſcopo ſolvi conſueta, in ſignum ſubjectionis, & honorem Cathedræ Epiſcopalis, ad ejuſdem Cathedræ, ſeu Epiſcopalis officii onera ſuſtinenda. Huic penſioni ſolvendæ pro locorum, & temporum diverſitate duplex erat præfixum tempus: alicubi præſtabatur Epiſcopo, cum Diœceſim viſitabat, quod ex mox referendis Conciliis Bracharenſi, & Toletano ſeptimo colligitur: alibi, & magis communiter pendebatur tempore Synodi; & quoniam Synodus plerumque poſt Paſcha cogebatur, idcirco hujuſmodi penſitatio, quandoque *Paſchalis* eſt nuncupata ..... Frequentius tamen a Synodo dicta eſt *Synodatica*, quod conſtat tum ex cit. cap. *Conquerente*, ubi Honorius III. ait — *Synodatici, ſeu Cathedratici nomine*: tum ex cap. *Olim*, *de cenſibus*, ubi Inno. III. cauſam definit inter Epiſcopum Spoletanum, & Clericos plebis Rupinæ ſuper quantitate Synodatici exagitata ..... Cathedraticum

ticum in hac acceptione nunquam Eccleſiæ Canones vetuere, ſed duntaxat illud taxarunt, jubentes, ne duos ſolidos excederet ..... Hinc, quamvis Concilium Tridentinum Seſſ. 24. cap. 3. de reformatione novas exactiones Epiſcopis interdixerit, non proinde expunxiſſe jus Cathedratici, modo non in viſitatione, ubi quid vis exigi idem Concilium vetuit, ſed vel in Synodo, vel alio tempore pendatur, cenſuit Congregatio ejuſdem Interpres — *Sacra Congregatio Concilii cenſuit, Concilium Tridentinum nequaquam ſuſtuliſſe Cathedraticum, non illud tamen ſolvendum in viſitatione, ſed extra, & in Synodi celebratione* —. Hactenus ſapientiſſimus Pontifex.

Quæres ſecundo. An, dum quis teſtamento legavit in perpetuum quaſdam monetas ſpecificas, debeat attendi valor ipſarum, prout erat in uſu, quando conditum fuit teſtamentum?

Reſpondet Panormitanus *de jurejurando* in cap. *Quanto* num. 13. Dic, quod debet attendi valor exiſtens tempore teſtamenti, quia de eo videtur teſtator ſenſiſſe, ut in L. *Uxorem* §. *Teſtamento* ff. *de legatis III.*, & L. finali in principio ff. *de auro, & argento legatis* —. Hæc ille. Idem tenent Joannes Andreæ, Speculator, Oldradus, Petrus de Ancharano, aliique in jure peritiſſimi. Et reipſa id videtur erui ex legibus a Panormitano productis —. *Teſtamento pueros ita legaverat* — *PUBLIO MÆVIO DOMINULO MEO AB HÆREDIBUS MEIS DARI VOLO PUEROS QUINQUE EX MEIS, DUNTAXAT INTRA ANNOS SEPTEM* — : *poſt annos complures, quam fecit teſtamentum, moritur. Quæſitum eſt, cujus ætatis Mævio mancipia debeantur, utrumne quæ teſtamenti facti tempore intra ſeptem annos fuerunt, an quæ mortis tempore intra eam ætatem inveniantur? Reſpondit eam videri ætatem deſignatam, quæ eſſet, cum a teſtatore relinquerentur* — ff. *de legatis* III. L. *Uxorem* §. 4. — *Medico ſuo contubernali, & communium expeditionum comiti inter cetera ita legaverat* : *ARGENTUM VIATORIUM MEUM DARI VOLO* : *quæſitum eſt, cum paterfamilias in diverſis temporibus Reſpublicæ cauſa abſuerat, quod viatorium argentum hoc legato comprehenſum eſſe videtur? Reſpondit, quod habuiſſet argentum viatorium eo tempore, cum teſtamentum faciebat, deberi* — ff. *de argento, auro &c.* L. ult. in principio. His adde L. 7. ff. eod. tit. — *Si ita eſſet legatum* : *VESTEM MEAM, ARGENTUM MEUM, DAMNAS ESTO DARE* : *id legatum videtur, quod teſtamenti tempore fuiſſet* : *quia præſens tempus ſemper intelligeretur, ſi aliud comprehenſum non eſſet* : *nam cum dicit* : *VESTEM MEAM, ARGENTUM MEUM, hac demonſtratione MEUM, præſens, non futurum tempus oſtendit. Idem eſt, & ſi quis ita legaverit, SERVOS MEOS* —. Dum audis — *damnas eſto dare* — intellige cum Gloſſa ibidem — *damnatus eſto tu hæres dare* — Ex hiſce enim legibus manifeſtum videtur valorem rerum legatarum, eum habendum eſſe, in quo erant res, dum teſtamento fuere legatæ: niſi teſtator aliter mentem aperuiſſet ſuam: puta dicendo — lego hanc vel illam rem, ſive pecuniam, ſicuti erit, reperie-

Digitized by Google

perietur, aut valebit mortis meæ tempore: vel ſicuti erit, reperietur, aut valebit tempore ſolutionis. Accedit, quod ſi ſecus eſſet, non impleretur mens teſtatoris, præſertim dum ſermo eſt de legatis piis, ac perpetuis; variarentur enim hæc ad varietatem valoris pecuniæ, quæ nunc pluris, nunc minoris valet. Mens teſtatoris, ſi morte confirmata eſt conſtans eſt, & perpetua. Attendendus eſt ergo valor, quem habebat pecunia, dum fuit teſtamento legata, & huic conſtanter, & perpetuo reſpondere debent ſolutiones, quocumque tempore fiant.

TERTIUM DUBIUM. Utrum facientes fraudem legi, teneantur?

Reſpondeo, quod ſic, ſive fraus fiat de perſona ad perſonam, ſicuti quando mulier vult donare marito, vel econtrario; & quum non poſſit, ut ff. *de donationibus inter virum & uxorem* L. *Hæc ratio* §. ultimo, & Extra eod. tit. cap. ult. in Gloſſa, ſupponit aliam perſonam, cui donat. Sive fraus fiat rei ad rem, ſicuti cum quis dat frumentum filiofamilias, & hujuſmodi, ut ipſum vendat, quia ei non poteſt mutuo dare pecuniam ff. *de Senatuſconſulto Macedoniano* L. *3*. §. *3*.; idem enim eſt ac ſi mutuo daret 14. q. *3*. cap. *Plerique*, & 1. q. 1. cap. *Sunt nonnulli*. Sive fiat fraus unius contractus ad alium contractum contrarium, ſicuti cum uxor vendit viro, quod donare intendit ff. *de donationibus inter virum & uxorem* L. *Si ſponſus*, & *16*. q. *3*. cap. *Si Sacerdotes*. Sive tandem fraus fiat unius contractus ad alium contractum ſimilem, ſicuti cum mulier, quæ fidejubere non poteſt, conſtituit ſe principalem debitricem, ff. *ad Senatuſconſultum Vellejanum* L. *Quamvis* §. *Si cum eſſem*, & §. ſeq., & *33*. q. 5. cap. *Mulierem*; perinde enim eſt ac ſi aperte factus eſſet.

(220) Hæc pene omnia manifeſta ſunt; jam enim ſupra fuit oſtenſum, quod uxor non poteſt donare viro, nec filiusfamilias mutuum accipere. Quod mulier poſtea nequeat fidejubere, utroque jure docemur, Canonico nempe, & civili —. *Mulierem* (ait Auguſtinus in Canone 33. q. 5. cap. 17.) *conſtat ſubjectam dominio viri eſſe, & nullam auctoritatem habere; nec do-*

tere enim poteſt, nec teſtis eſſe, neque fidem dare, nec judicare: quanto magis non poteſt imperare? Vellejano (ſtatutum eſt ff. *ad Senatuſconſultum Vellejanum* L. 1.) *Senatuſconſuito pleniſſime comprehenſum eſt, NE PRO ULLO FOEMINÆ INTERCEDERENT. Nam ſicut moribus civilia officia adempta ſunt fœminis, & pleraque ipſo jure non valent: ita multo magis adimendum eis fuit id officium, in quo non ſola opera, nudumque miniſterium earum verſaretur, ſed etiam periculum rei familiaris. Æquum autem viſum eſt ita mulieri ſuccurri, ut in veterem debitorem, aut in eum, qui pro ſe conſtituiſſet mulierem ream, actio daretur: magis enim ille, quam creditor, mulierem decepit* –. Excipiendi tamen ſunt octo caſus. Primus pro libertate, nempe ſi fidejubeat ob pecuniam datam pro pretio manumiſſionis, ſeu redemptionis ſervi, C. *ad Senatuſconſultum Vellejanum* L. penultima – *Veterum ambiguitatem decidentes, ſi quis ut ſervo ſuo manumiſſionem imponat, mulierem acceperit obnoxiam ſe ſe pro certa quantitate facientem, ſi in libertatem ſervum perduxeris, ſive principaliter mulier ſe ſe obligavit, ſive pro ſervo hoc fecit, teneri eam recte omni modo, Senatuſconſultum Vellejanum in hoc caſu tacere imperantes. Satis etenim acerbum eſt, & pietatis rationi contrarium, Dominum ſervi, qui credidit mulieri, ſive ſoli, ſive poſt ſervi promiſſionem, & libertatem ſervo imponere, & ſuum famulum perdere, & ea minime accipere, quibus fretus ad hujuſmodi venit liberalitatem* –. Secundus, pro dote, nempe ſi fidejubeat pro dote mulieris alterius C. eod. tit. L. ultima – *Generaliter ſancimus: ut ſi quis major viginti quinque annis, ſive maſculus, ſive fœmina, dotem pollicitus ſit, vel ſpoponderit pro qualibet muliere, cum qua matrimonium licitum eſt, omni modo compellatur ſuam confeſſionem adimplere: neque enim ferendum eſt, quaſi caſu fortuito interveniente, mulierem fieri indotatam, & ſic a viro forſitan repelli, & diſtrahi matrimonium* –. Tertius, ſi renuntiet, nempe ſi mulier certa reddita de beneficio Vellejano hac ſuper re ſponte renuntiet eidem, ff. *ad Senatuſconſultum Vellejanum* L. ultima §. 4. – *Si mulier pro eo, pro quo intercesſerit, judicium parata ſit accipere, ut non in veterem debitorem actio detur: quoniam Senatuſconſulti exceptionem opponere poteſt: cavere debebit, exceptione ſe non uſuram, & ſic ad Judicem ire* –. Super hac lege opportune Bartolus, de quo Gloſſa ibidem – *Si mulier in judicio exceptioni Vellejani renunciat, Vellejano non juvatur* –. Quartus, ſi accipiat pretium pro fidejuſſione, vel aliquid loco pretii, C. eod. tit. L. *Antiquæ* ſub initio – *Sancimus mulierem, ſi interceſſerit, ſive ab initio, ſive poſtea aliquid accipienti, ut ſeſe interponat, omnimodo teneri, & non poſſe Senatuſconſulti Vellejan uti auxilio* –. Quintus, ſi decipiat, nempe ſi conſulto velit fidejubere, ſciens ſe eſſe tutam per beneficium Vellejanum, dum creditor ipſum ignorat, quia ejus fragilitati, non calliditati ſubvenitur, ff. eod. tit. L. 30. – *Si decipiendi animo, vel cum ſciret ſe non teneri, mulier pro aliquo interceſſerit, exceptioei Senatuſconſulti non datur: actionem enim, quæ*

in

in dolum mulieris competit, ampliſſimus ordo non excludit —. Sextus, ſi caveat ſecundo, nempe ſi fidejubeat pro alio, & poſt biennium a prima cautione computandum iterum ſe ad idem obliget, C. eod. tit. L. 22. — *Si mulier perfectæ ætatis conſtitura poſt interceſſionem, vel cautionem conſcripſerit, vel pignus, aut interceſſorem præſtiterit; ſancimus antiqua legum varietate ceſſante, ſiquidem intra biennale juge tempus poſt priorem cautionem numerandum, pro eadem cauſa fecerit cautionem, vel pignus, aut interceſſorem dederit: nihil ſibi præjudicare, quod adhuc ex conſequentia ſuæ fragilitatis in ſecundam jacturam inciderit. Sin autem poſt biennium hæc fecerit, ſibi imputet, ſi, quod ſæpius cogitare poterat, & evitare, non fecit, ſed ultro firmavit* —. Septimus, ſi in rem ſuam, nempe ſi fidejubeat pro re propria, ff. eod. tit. L. 3. — *Sed ſi eum defendat, qui damnatus regreſſum ad eam habeat: veluti cum venditorem hæreditatis ſibi venditæ, vel fidejuſſorem ſuum defendat, intercedere non videtur* —: & L. 13. in principio — *Aliquando, licet alienam obligationem ſuſcipiat mulier, non adjuvatur hoc Senatuſconſulto: quod tunc accidit, cum prima facie quidem alienam, revera autem ſuam obligationem ſuſcipiat* —. Octavus, ſi ſuccedat, nempe ſi ſuccedat ei, qui debebat ſolvere, & pro quo fidejuſſit, aut fidejubet, ff. eod. tit. L. 8. §. 13. — *Plane, ſi mihi proponas mulierem veteri debitori ſucceſſiſſe, dicendum erit, reſtitutoria eam conveniri poſſe: ſed & directa actione: nihil enim ejus intereſt, qua actione conveniatur* —. Monitum hic lectorem volo, quod uxor nullo modo fidejubere poteſt pro viro ſuo ne quidem in caſu, in quo ſciens & volens renuntiare vellet beneficio Vellejano: quia ſemper cenſeretur donare viro, quod ei non licet, niſi propter nuptias, vel cauſa mortis.

Vice-

Viceſimuſtertius Titulus, qui eſt de Aleatoribus, continet ſex quæſtiones, ſeu ſex Dubia.

Primum Dubium. Utrum acquiſita in ludo aleæ, hoc eſt in ludo, qui ſimpliciter innititur viribus fortunæ, ut taxillorum, & hujuſmodi, ſint reſtituenda?

Reſpondeo ſecundum Butrium in cap. *Clerici officia* Extra *de vita & honeſtate Clericorum*, quod ſic, nec conſuetudo in contrarium valet, cum ſit mala, & inducens ad peccatum cap. *Ex parte* Extra *de conſuetudine*. Hoc idem tenent Monaldus, aliique. Et hæc opinio eſt verior, & magis tuta in foro conſcientiæ. Nec diſtinguo, an ſubſit, & adſtringatur legibus imperialibus, vel non: quia quilibet indiſtincte tenetur. Ratio, quia talis ludus turpis cauſa multorum malorum eſt reprobatus divina lege tamquam fomentum omnium malorum; jure etiam Canonico in dict. cap. *Clerici officia*, & 37. diſt. cap. *Epiſcopus*; jure pariter civili ff. *de aleatoribus* L. 3. & C. eod. tit. in Conſtitutione græca, & in Authentica *Interdicimus* C. *de Epiſcopis & Clericis*. Et ideo per talem ludum nullus acquirere poteſt nec titulum, nec bonam fidem: quia injuſtus titulus pro non titulo eſt habendus L. *Nec ullam* ff. *de hæreditatis petitione*: & maleficii poſſeſſor eſt, qui contra legum interdicta mereatur L. *Quemadmodum* C. *de agricolis, & cenſitis, & colonis*. Idem dico de ludo mixto, videlicet qui partim innititur viribus fortunæ, & partim induſtriæ, ut ludus tabularum, & hujuſmodi, licet Joannes Andreæ aliter dixerit. Excipitur caſus, in quo licet ludere ad hujuſmodi, videlicet quando non luditur ex cupiditate, ſed

ex

ex communi convivio, de eo ſcilicet, quod ponitur in communi menſa; nam & in eam rem familia ludere poteſt L. ultima ff. *de aleatoribus*. Et quando lucratum eſt modicum, quod pro nihilo poteſt reputari 2.° Politicorum: quia inter parum & nihil fere nihil intereſt ff. *de in integrum reſtitutione* L. *Scio*: & pro modica re non datur reſtitutio ff. *de minoribus* L. *Si ex cauſa judicati* §. 1., & §. finali, & Extra *de in integrum reſtitutione* cap. 1. in Gloſſa.

(221) Alia eſt definitio ludi in ſe inſpecti, & alia definitio ludi ad contractum redacti. Ludus in ſe definiri poteſt – *Id, quod dicitur, aut fit animi relaxandi cauſa* –; & in hoc ſenſu dixit S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 23. in principio – *Ludus importat quandam feſtivam actionem*. Ludus redactus ad contractum definiri ſolet – *Pactum conventum inter plures perſonas, quæ oblectationis cauſa conveniunt, ut quod apponunt cedat victori; & ad ipſum pertineat* –. Ludus a S. Antonino nunc laudato ſic dividitur – Triplex eſt ludus. Primus proveniens ex magna devotione, & hic peramandus. Secundus contingens ex humana recreatione, & hic tolerandus. Tertius procedens ex diabolica ſuggeſtione, & hic evitandus. Quantum ad primum invitat Pſaltes 46. dicens: Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. Quem ludum exemplo ſuo facere docebat, cum luderet ipſe, & omnis Iſrael coram arca Domini, ut habetur 1. Parilip. 13. Saltans nudus, & pſallens ob devotionem, & affectum eximium ad Chriſtum, quem intellexit figurari in illa arca Domini, in qua erant virga, manna, & lex Moſaica, deſignantia Deitatem potentiſſimam, carnem puriſſimam, animam ſapientiſſimam Chriſti ...... Secundus ludus eſt, cum quis utitur aliquibus verbis, vel factis ſolatioſis ob recreationem ſui, & aliorum, ita tamen quod nil turpe ibi miſceatur, vel Deo injurioſum, aut proximo, nec gravitas animi totaliter reſolvatur. Et talis ludus pertinet ad virtutem Eutrapeliæ. Cum enim animus laborat interioribus curis & cogitationibus, ſicut corpus exterioribus exercitiis, quia virtutis eſt finitæ, indiget aliquando quiete, ſicut corpus refectione ſua, quod procuratur per talia dicta, vel facta ſolatioſa, quæ dicuntur ludus. His ergo utendum eſt, ſed parum, ſicut ſal pro condimento ſecundum Philoſophum. Hinc & Cato: interpone tuis interdum gaudia curis. Sic legimus B. Joannem Evangeliſtam aliquando ludentem cum avicula, & B. Antonium gaudentem cum fratribus ſuis, & per exemplum continui tractus balliſtæ inde frangendæ, ſi non relaxaretur, corrigentem ſuper hoc facto ſcandalizantes. (Idem ſcribit S. Thomas 2. 2. q. 168. art. 2. in corp.) De hoc ludo dicitur Zachariæ 8. Civitas replebitur hominibus ludentibus: & Matth. 11.

Simi-

Similis eſt generatio hæc pueris in foro ludentibus. Ludi puerorum ad recreationem eorum ſunt inventi, propter quod pueris dicit Cato: lude trocho. Ad hujuſmodi ſcilicet recreationem ſunt inventi aliqui ludi pro adoleſcentibus, ut ludus pilæ. Alii pro juvenibus, ut jactus pali, curſitatio, & hujuſmodi. Alii pro viris, ut ludus Scacorum, qui ludus nec etiam Clericis eſt proibitus ſecundum Lau.; tamen ad tollendum ſcandalum Laicorum coram laicis non debent hujuſmodi agere. Hiſtrionatus honeſtus pro Dominis præcipue temporalibus. Pro Prælatis catuli, & ſimiæ, licet potius ſolatia ſua in ſcripturis deberent quærere juxta illud 1. Machab. 12. Habentes ſolatio libros ſanctos in manibus noſtris. Tertius ludus procedens ex diabolica ſuggeſtione eſt ludus, ubi fiunt turpes repræſentationes, ut Mimorum: vel periculoſa & nociva exercitia, ut torneamenta, paleſtra, & ludus aleæ, & hujuſmodi. Et quia hæc ſunt plena peccatis, dicit Auguſtinus, de pœnitente, quod cohibeat ſe a ludis, *de pœnitentia* diſt. 6.: & ſancti viri illa evitaverunt; unde Tobiæ 3. dixit Sara: cum ludentibus non me miſcui, neque cum his qui ambulant in levitate &c.: & Jeremias: in medio ludentium non ſedi. Et ad hoc pertinet projicere ad invicem ſaxa, ſicut in quibuſdam locis in Carniſprivio, vel aliis feſtis, quod non eſt dubium eſſe mortale propter pericula ſequentia —. Aliam ludi diviſionem brevibus exhibet Tullius lib. 1. Officiorum cap. 35. inquiens — *Duplex eſt jocandi genus. Unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum: alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum* —. Uſitatior tamen diviſio ea eſt, quam tradit Joannes Pontaſius ver. *Ludus* in principio — *Ludi tres diverſæ ſpecies diſtinguuntur. Primus eſt ludus, ad quem ſolum ingenium, aut ſolertia, præcipuam curam, & operam conferunt, quales ſunt ludi latrunculorum (italice ſcacchi), ſcruporum, pilæ, follis, globulorum, ludus in quo globuli eburnei Clavis agitantur, diſcus, metularum ludi, curſus, aliique ludi ſimiles. Secundus unice in alea conſiſtit, quales ſunt ludi teſſerarum d'hocca, du lanſquenet, du Pharaon, de l'oye, & ludrica ſortitio. Tertius vocatur mixtus, hoc eſt, qui partim ab induſtria, & partim ab alea pendet, ut le Piquet, la Triomphe, l'Ombre, Tritillus, ſeu le trictac, pluresque alii ejuſdem naturæ.*

Author in præſentia loquitur præcipue de ludo aleæ, quem recte admodum exponit Gabriel Antoine de contractibus part. 2. cap. 11. ſcribens — *Ludus autem aleæ eſt ille, cujus ſucceſſus unice, vel magis ex fortuna, ſeu caſu, quam ex induſtria pendet, ut ludus taxillorum, & chartarum. Nomine autem fortunæ ac caſus intelligi debet diſpoſitio providentiæ divinæ præter certam aliquam ſpem, & opinionem humanam a ſola Dei voluntate pendens* —. Ludum hunc generatim loquendo utroque jure eſſe prohibitum tum laicis, tum Clericis, oſtendunt S. Antoninus loco proxime citato §. 2., Concina de Sacramento Ordinis cap. 11. q. 5., S. Bernardinus Tom. 1. ſerm. 42. art. 2. cap. 2., Aſteſanus lib. 5. tit. 30. art. 1., Joannes Pontaſius ver.

Lu-

Digitized by Google

Ludus Caſu 2. & 3., Natalis Alexander de Sacramento Ordinis cap. 5. Regula 4. per totam, Benedictus XIV. de Synodo Diœceſana lib. 11. cap. 10. num. 1., & ſeq., aliique complures. Placet hujus Summi Pontificis aurea verba referre — Poſt veſtes, & fictam comam, earumque fucos, ad quaſdam Clericis vetitas actiones ſermonem convertimus. In can. 42., & 43., alias 35. inter vulgares Apoſtolicos ſub Anathematis pœna arcentur Clerici ab alearum luſu — *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aleæ, atque ebrietati deſerviens, aut deſinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor ſimilia faciens, aut deſinat, aut communione privetur. Similiter etiam Laici* —. Et Concilium Eliberitanum Can. 79. To. 1. Collectionis Harduini col. 258. quotquot aleis luderent, a communione ſeparandos decrevit — *Si quis Fidelis alea, ideſt tabula luſerit nummos, placuit eum abſtineri: & ſi emendatus ceſſaverit, poſt annum poterit communioni reconciliari* —. Putat quidem Albaſpinæus obſervat. ad hunc Canonem, ideo Fideles aleis ludentes fuiſſe tam gravi pœna punitos, quia tunc temporis, quo nondum extincta erat ethnica ſuperſtitio, effigies falſorum numinum habebantur pro numeris, eorumque nomen invocari ſolebat, ut feliciſſimus eveniret aleæ jactus. At, ſi res ita ſe habuiſſet, longe adhuc graviori pœna in ludentes Fideles tamquam in idololatras fuiſſet animadverſum. Quocirca verius putamus, alearum luſum omnibus quidem Chriſtianis, ſed ſpeciatim Eccleſiaſticis prohibitum, ob eandem rationem, propter quam illum damnarunt Cornelius Tacitus in lib. *de moribus Germanorum* cap. 24., & Ammianus Marcellinus lib. 14. cap. 19., & lib. 28. cap. 22.: quia nimirum per illum homines ad fraudes, fallacias, mendacia, perjuria, furta, aliaque enormia ſcelera inclinantur —. *Alea ſiquidem* (ajebat Petrus Bleſenſis Epiſtola 74.) *perjurii, furti, ſacrilegii mater eſt* —. Qua etiam de cauſa vetuſtæ leges Romanorum quas laudat Taylor duct. dubit. lib. 4. cap. 1., aleatores exilio, aliiſque multarunt ſeveris pœnis: & Juſtinianus Imperator L. 1. C. *de aleatoribus* ſancivit, ut victus in aleæ luſu, non poſſet conveniri; & ſi ſolviſſet, tam ipſe, quam ejus hæredes etiam poſt triginta annos haberent repetitionem adverſus victorem. Sed, utcumque præfati Canones explicentur, nullo modo declinari poſſunt poſteriores Eccleſiæ Conſtitutiones, quæ Clericos ab alearum, taxillorum, aliiſque ludis cohibuere. Atque, ut prætereamus antiquiores Canones congeſtos a Chriſtiano Lupo in notis ad Can. 50. Trullanum Tom. 2. pag. 948., Synodus Romana ſub Eugenio II. Can. 11. Tom. 5. Collectionis Harduini Col. 66. adeo indecorum putavit, Sacerdotem ludis operam dare, ut, ne ludentes quidem ſpectare fas illi eſſe, ſtatuerit — *Sacerdos ſedule divina debet perſcrutari, & ammonere eloquia..... Quamobrem ludos aliquos coram ſe fieri non delectetur. Tranſgreſſor quippe inventus ammonitione Epiſcopi ulterius agere deſinat: ſin autem, Canonice judicetur* —. Eugenii autem prohibitionem inſtauravit Innocentius III. in Concilio generali Lateranenſi, relato in

cap. 15.

cap. 15. *de vita & honeſtate Clericorum*, Clericis præcipiens — *Ad aleas, & taxillos ne ludant, nec hujuſmodi ludis interſint* —. Quotquot autem poſt Innocentium celebratæ ſunt Synodi, huic Decretali inhærentes, ab iiſdem ludis Clericos quam longe abeſſe juſſerunt. Ita quippe ſanxere Concilium Biterrenſe anni 1255. Can. 24., Salisburgenſe anni 1420. cap. 4., Toletanum anni 1473. Can. 11., aliaque congeſta a Thomaſſino *de veteri & nova Eccleſiaſtica diſciplina* part. 3. lib. 3. cap. 46. Quamvis porro ſacri Canones alearum duntaxat, & taxillorum ludi plerumque meminerint, omnem tamen ludum prohibere voluiſſe, a fortuna potius, quam ab induſtria, & arte, pendentem, opportune animadvertunt Valenſis ad tit. 1. lib. 3. Decretal. num. 12., & S. Antoninus Sum. part. 2. tit. 1. cap. 23. Quin immo Tuldenus ad tit. Cod. *de aleatoribus*, magis adhuc generatim accipiendam voluit ſimilem legum civilium prohibitionem, quam ad omnem luſum lucri cauſa exercitum extendit inquiens — *Non tantum teſſerarum luſus, ſed quicumque alius, perinde a fortunæ eventu, immo vel a ſolertia pendens, continetur, & in lucrum exercitus improbatur* —. Quare Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 12. de reformatione non ab hoc, aut ab illo, ſed univerſim *ab illicitis ludis* Clericis abſtinendum edixit; Epiſcoporum ſcilicet judicio relinquens, determinare pro diverſis perſonarum, locorum, & temporum conditionibus, qui nam eſſent illiciti reputandi. Tridentino ſtatim obſequens S. Carolus Borromæus in ſuo Concilio Provinciali Mediolanenſi 1. part. 2. Actor. Eccleſ. Mediolan. part. 1. pag. 19. accuratum habuit delectum ludorum, quibus fas, quibus nefas eſſet Clericis ſeſe oblectare; eoſque potiſſimum abſtinere voluit *a ludo aleæ, & teſſerarum, ac talorum, atque a globis, quibus malleis lignis impelluntur, itemque follis, ideſt pilæ majoris* —. Alia vero alibi celebrata Concilia unanimi pariter conſenſione luſum alearum, ſeu pictarum pagellarum, & taxillorum, Clericis indecentem, atque illicitum declararunt; alios vero ludos plerumque ſpeciatim non nominarunt, ſed generatim omnem ludum Clericis vetitum dixere, qui eorum ſtatui indecorus videretur. Ita Concilium Burdigalenſe anni 1583. tit. 21. *de vita & moribus Clericorum* To. 10. Collectionis Harduini col. 1359. — *Ab alea, teſſeris, chartis, & quovis alio vetito, & indecoro ludo, cum privatim, tum publice penitus abſtineant* —. Concilium Aquenſe anni 1585. tit. *de vita & honeſtate Clericorum* ibidem col. 1543. — *Ne pagellis pictis, aut alea, aliove hujuſmodi ludi genere ludant, aut ludentes ſpectent* —. Narbonenſi anni 1607. cap. 41. To. 11. Collectionis Harduini col. 44. — *Non ludant aleis, teſſeris, chartis, aut alio ludo prohibito, vel indecoro, præſertim publice.*

Hactenus ſapientiſſimus Pontifex, ſpeciatim quidem ludum alearum improbans in Clericis, non tamen ipſum adprobans in Laicis, quos etiam reſpiciunt monumenta ab eodem ſub initio producta. Omnes reſpicit L. 2. §. 1. ff. *de aleatoribus* — *Senatuſconſultum vetuit in pecuniam ludere: præter-*

quam

quam ſi quis certet haſta, vel pilo jaciendo, vel currendo, ſaliendo, luctando, pugnando, quod virtutis cauſa fiat --: & L. 3. ibidem -- *In quibus rebus ex lege Titia, & Publicia, & Cornelia etiam ſponſionem facere licet. Sed ex aliis, ubi pro virtute certamen non fit, non licet* --: & L. ult. C. *de aleatoribus* -- *Alearum uſus antiqua res eſt, & extra operas pugnatorias conceſſa. Verum pro tempore abiit in lacrymas, multa millia extranearum nationum ſuſcipiens. Quidam enim nec ludentes, nec ludum ſcientes, ſed numeratione tantum proprias ſubſtantias perdiderunt, die noctuque ludendo, argento, apparatu lapidum, & auro. Conſequenter autem ex hac inordinatione blaſphemare Deum conantur, & inſtrumenta conficiunt. Commodis igitur ſubjectorum proſpicientes, hac generali lege decernimus, ut nulli liceat in publicis, vel privatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in ſpecie, & ſi contra factum fuerit, nulla ſequatur condemnatio, ſed ſolutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint, vel eorum hæredibus, aut his negligentibus, a Patre, aut defenſoribus illius Civitatis: vel recipiat fiſcus, non obſtante niſi quinquaginta annorum præſcriptione: Epiſcopis vero locorum hoc providentibus, & Præſidum auxilio utentibus. Deinceps vero ordinet quinque ludos, Monobolon, Contomonobolon, Quintanum contacem ſine fibula, & Perichyten, & hipicem, quibus ſine dolo, atque callidis machinationibus ludere permittimus. Sed nec permittimus etiam in his ludere ultra unum ſolidum, ſi multum dives ſit; ut ſi quem vinci contigerit, caſum gravem non ſuſtineat* --. Concinit L. 1. C. ibidem, in qua & hi quinque ludi declarantur, & ſoli permittuntur ſub eadem moderatione, qua non ſervata, amiſſum non ſolvatur, & repetatur ſolutum -- *Quod ſi plus luſum fuerit, neque repetitio detur, & ſolutum repetatur* --. Monobolon eſt ludus, quo projicitur lapis. Contomonobolon ludus eſt, qui jactu haſtæ conficitur. Quintanus contax eſt ludus a Quinto inventus, quo aliquid vibratur abſque ſpiculo, ſive aculeo, aut ferro. Perichytes ludus eſt, qui lucta exercetur. Hippices tandem ludus eſt in equorum curſu conſiſtens, abſque dolo, vel circumventione.

Alearum ludos in Clericis ſpeciatim improbarunt & ipſi Imperatores: Juſtinianus nempe in Authentica *de Sanctiſſimis Epiſcopis* Collat. 9. tit. 6. cap. 10. inquiens -- *Interdicimus autem Sanctiſſimis Epiſcopis, Præsbyteris, & Diaconis, & Subdiaconis, Lectoribus, & omnibus aliis cujuslibet venerandi Collegii, aut Schematis conſtitutis, ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes, ac inſpectatores fieri, aut ad quodlibet ſpectaculorum ſpectandi gratia venire. Si quis autem ex his hoc deliquerit, jubemus hunc in tribus annis a venerabili miniſterio probiberi, & in Monaſterium redigi. Si autem in medio tempore oſtenderit dignam ſui vitii pœnitentiam, liceat & Sacerdoti, ſub quo conſtitutus eſt, minuere tempus, & hunc rurſus proprio reddere miniſterio: ſcientibus quoque Sanctiſſimis Epiſcopis debentibus hoc vindicare, quia, ſi tale aliquid agnoſcentes non vindicaverint, ipſi rationem*

Deo pro tali cauſa perſolvent -- . Juſtinianus item C. *de Epiſcopali Audientia* L. ult. §. 1., quem potes conſulere.

Hæc quum ita ſint, inquiri poteſt, an ludus alearum ſit peccatum, & quale? Huic quæſito docte more ſuo reſpondet S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 23. §. 2. -- Quod autem ſit peccatum patet ex hoc: quia prohibetur per legem canonicam & civilem, ut ff. *de aleatoribus* per totum, in Authentica *de Sanctiſſimis Epiſcopis* §. *Interdicimus*, & Extra *de vita & honeſtate Clericorum* ubi dicitur quod Clerici ad aleas, vel taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint. Et quamvis Canon loquatur de Clericis, tamen & laicis prohibetur, unde ibi vacat argumentum a contrario ſenſu: & hoc quia alibi non ſolum Clericis, ſed etiam Laicis prohibetur, ut diſt. 35. cap. 1., ubi dicitur -- *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, ſeu ebrietati deſerviens, aut deſinat, aut certe damnetur. Subdiaconus vero, aut Lector, aut Cantor ſimilia faciens, aut deſinat, aut communione privetur. Similiter & Laicus* -- . Ex Canonibus Apoſtolorum. Circa hoc Capitulum notandum primo, quod ludus aleæ ſecundum Guillelmum intelligitur omnis ludus, qui innititur fortunæ, ut ludus taxillorum. Et idem videtur de chartis, vel naibis, quamvis ſit ibi aliquid induſtriæ, principaliter tamen eſt fortunæ. Ludus autem Scaccorum non eſt fortunæ, ſed induſtriæ, & ob recreationem inventus. Unde non eſt prohibitus ſecundum Ricardum, nec etiam Clericis ſecundum Laurentium. Ludus etiam pilæ non eſt fortunæ, ſed exercitii. Nota ſecundo, quod ludus aleæ eſt peccatum mortale ſecundum Raymundum, quod probari poteſt ex pœna. Nullus enim debet deponi, vel excommunicari, niſi pro mortali vero, vel præſumpto. Sed ludens ad aleas debet deponi, vel excommunicari ſecundum illum Canonem *Epiſcopus*. Ergo &c. Quod credo verum, quando ex cupiditate quis ludit, ſcilicet principaliter motus non ob recreationem, ſed ad acquirendum quid notabile per ludum. Nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem, & moderate, non videtur mortale. Unde ff. *de aleatoribus* L. final. dicitur, quod in convivio veſcendi cauſa ponitur, in eam rem familiæ ludere permittitur. Et hoc etiam videtur innuere textus capitis illius ex modo loquendi. Dicitur enim *deſerviens*, quod denotat frequentiam, ideſt valde, & frequenter deditus ludo, quod fit communiter ex cupiditate. Et quamvis Guillelmus doceat, quod tunc eſt mortale, quando dicitur in conſuetudinem, iſtud de ſe non videtur verum: quia conſuetudo, etſi aggravet peccatum, non tamen mutat ſpeciem peccati, vel genus, ut de veniali fiat mortale ſecundum B. Thomam; ſicut etiam vitium ebrietatis, cui ludus æquiparatur in pœna, etiam ſemel commiſſum advertenter eſt mortale. Sed frequenter hoc faciens, videtur hoc agere ex cupiditate. Nota tertio, quod illam pœnam non ſuſtinebit, ſcilicet depoſitionis, vel excommunicationis, niſi ducat hoc in conſuetudinem ſecundum Raymundum. Immo etſi ſit aſſue-

tus

Digitized by Google

tus ad hujuſmodi, debet prius admoneri: & ſi admonitus non ceſſaverit, tunc puniendus illa pœna. Neque enim pro mortali quis eſt excommunicandus, niſi fuerit contumax ſecundum B. Thomam in 4. —. Hæc ille. Sapienter iccirco Benedictus XIV. de Synodo Diœceſana lib. 11. cap. 10. num. 5. reſpiciens decretum Synodale Epiſcopi Vaſionenſis, de quo cum Altovito Sacræ Congregationis Concilii a Secretis jam dixerat lib. 10. cap. 2. num. 2., proſequitur —. Hæc, quæ jam diligenter a nobis expenſa ſunt in noſtra Inſtit. 37. non abs re hic duximus repetenda; ad noſtrum etenim collineant ſcopum abſolvendi a nimiæ ſeveritatis cenſura Epiſcopales Conſtitutiones, arcentes Clericos ab alearum, taxillorum, aliove ſimili ludo. Non proinde tamen quiſquam nos oblitos exiſtimet doctrinæ D. Thomæ, quam lib. 10. cap. 2. num. 2. commemoravimus, poſſe nimirum ludum non ſolum culpa vacare, verum etiam ad virtutem Eutrapeliæ pertinere: nam, ut ibidem, duce eodem S. Thoma, inſinuavimus, tot ad illum cohoneſtandum requiruntur conditiones, ut ex earum defectu facile in vitium degeneret, præſertim in Eccleſiaſticis, a quibus vix poteſt ſine ſcandalo exerceri. Neque eoſdem nimium ludo indulgentes a culpa eximit conſuetudo, quam veluti manifeſtam corruptelam jamdiu improbavit Innocentius III. in cap. *Inter dilectos* II. *de exceſſibus Prælatorum*, ubi Clericum alearum uſui addictum, & obtentu conſuetudinis Gallicorum Clericorum, *qua fere univerſi Clerici ſic frequenter ludunt, ſe ſe excuſantem, in hunc modum refellit* —. *Nos, qui ex officii noſtri debito peſtes hujuſmodi extirpare proponimus, atque ludos voluptuoſos (occaſione quorum ſub quadam curialitatis imagine ad diſſolutionis materiam devenitur) penitus improbamus excuſationem prædictam, quæ per pravam conſuetudinem, quæ corruptela dicenda eſt, palliatur, frivolam reputantes: cum in illis magis plectibilis ſit offenſa, per quos ad excuſandas excuſationes in culpis delinquendi auctoritas uſurpatur* &c. Quamobrem, licet ſuperius laudatus Altovitus nimium rigidam exiſtimaverit Synodalem Conſtitutionem Epiſcopi Vaſionenſis, in Sacra Congr. Concilii die 20. Decembris 1687. examinatam, qua excommunicatione latæ ſententiæ percellebantur Sacerdotes aleis, vel taxillis ludentes; concluſit tamen pœnam quidem eſſe mitigandam, ſed prohibitionem ratam, ac firmam habendam, ſicuti citat. cap. 2. num. 2. lib. 10. retulimus —. Hactenus Sapientiſſimus Pontifex.

Adverſus aleatores multa egregie conſtituit S. Carolus Borromæus: Primo, aleæ ludum a Concionatoribus eſſe exagitandum — *Spectacula, ludos, ludricaſque res id generis, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, diſciplinæque Chriſtianæ adverſantur, perpetuo deteſtabitur, execrabitur: demonſtrabit incommoda, publicaſque ærumnas inde in Chriſtianum populum dimanare. In quam ſententiam valde populum confirmalit argumentis, quæ graviſſimi viri Tertullianus, Cyprianus martyr, Salvianus, & Chryſoſtomus afferunt* —, Act. Eccleſiæ Mediolan. part. 4. pag. 412. col. 2.

Editionis Patavinæ 1754. — *Riprender il popolo degli infraſcritti errori: cioè delle uſure, delle ſuperſtizioni di ſtrigarie, di carnalità, di crapole, e dell' andar alle bettole, ed oſtarie, e maſſime le Feſte; de' giuochi, delle pompe &c.* — Ibidem part. 4. pag. 619. col. 2. *Secundo* ludum aleæ Clericis interdixit — *Clericalis Ordinis hominibus omni genere ſaltationis, & ludi, præſertim vero aleæ, & teſſerarum, ac talorum interdicimus. Prohibemus etiam globos, qui malleis ligneis impelluntur, item follis ludum, ideſt pilæ majoris. Nec ſolum ludere vetamus, ſed eos ludorum ſpectatores eſſe nolumus, aut quemquam ludentem in ædibus ſuis permittere. Si autem valetudinis interdum cauſa, parva pila, aut alio non indecoro ejuſmodi exercitationis genere uti contigerit, nec publice id faciant, nec pecunia intercedat in ludo, nec quidquam, quod facile pecunia æſtimari poſſit* —. Ibidem part. 1. pag. 17. col. 2. Tertio hortatus eſt Principes, ut aleæ ludum prohiberent, & in aleatores animadverterent — *Et quoniam uſu compertum eſt, ex aleæ ludo ſæpe furta, rapinas, fraudes, blaſphemias, aliaque id generis flagitia proficiſci: prohibeant taxillis, aut alea ludi, & graviter in publicos aleatores, & in eos, qui hujuſmodi ludis interſunt, quive domum ad recipiendos ludentes expoſitam habent, animadvertant* —. Ibidem part. 1. pag. 35. col. 2. Quarto, voluit quod Parochi in die Dominico ante feſtum Natalis Domini, & in aliis Feſtis ludum hunc populo diſſuaderent — *Inoltre la Domenica avanti Natale, e fra le Feſte anco, avviſate, e vietate ſpeſſe volte in nome noſtro, che in neſſun luogo o caſa ſi giuochi alle carte, o a' dadi, o ad altra ſorte di giuochi; ma che ognuno &c.* — Ibidem part. 7. pag. 914. col. 2. Quinto injunxit, quod Epiſcopi invigilarent, ut ludus aleæ in militum præsidiis tolleretur — *Ut denique detractiones, mendacia, ingluviem, aleam, luxuriam, pompamque abhorreant, ſed omnes virtutum Chriſtianarum partes exequantur, quæ cum in omni diſciplina, tum in re militari ſplendeſcunt, utilitateſque uberrimas ſalutariter afferunt* —. Ibidem part. 1. pag. 272. col. 1. Sexto, ut extirparetur etiam in locis publicæ curationi deſtinatis — *Illæ vero morum corruptelæ, quæ in iis locis magna cum Dei offenſione vulgo exiſtere ſolent, quales ſunt comeſſationes, exhilarationes, cachinationes, inhoneſtæ congreſſiones, obſcœnæ collocutiones, detractiones, maledicendi uſus, ludificationes, geſticulationes, luſiones, ludi aleatorii, ſaltationes, tripudia, crapulæ, compotationes, congreſſuſque illi tot peccatis conjuncti, omneſque demum turpes actiones: ut tollantur, radicituſque extirpentur, iidem Sacerdotes & privatis colloquiis, & concionibus, & ſuaſionibus, & cohortationibus, & omni officii genere agent plane diligenter* —. Ibidem part. 1. pag. 210. col. 2. Septimo, ut cura Epiſcopi radicitus etiam evelleretur in quacumque familia — *Patribuſfamilias illud magnopere ſuadebit, ut aleatorii ludi, imprecationes, blaſphemiæ, verba impura, & turpia, impudicæ choreæ, ſaltationes, pompæ, luxus, profuſa convivia, & cætera, quæ ab intemperantia manant, procul ab omni domo arceantur* —. Ibidem part. 1. pag. 195. col. 8.

col. 8. Octavo, omnino prohibuit in diebus feſtis venditionem eorum, quæ pertinent ad ludum aleæ — *Ne quæ ad aleæ luſum pertinent, neque larvæ itidem, nec veſtes ad perſonatorum hominum uſum vendantur, vel licentur* — Ibid. part. 1. pag. 72. col. 2. — *Non ſi venda coſa, che partenga a giuoco di dadi, o carte* —. Ibid. part. 3. pag. 369. col. 1. Nono, injunxit unicuique Parocho, quod tempore viſitationis teneretur præbere Epiſcopo indicem omnium in ſua Paræcia alea ludentium, vel exponentium domicilia ad hunc effectum — *Talis, aleæve ludentium, aut iſtis domicilia exponentium* —. Ibid. part. 1. pag. 150. col. 1., & part. 4. pag. 581. col. 2. Decimo declaravit ludum aleæ eſſe occaſionem proximam peccandi, & ſic ludentem non eſſe abſolvendum, donec ſe abſtineat a ludo — *Chiamanſi occaſione di peccato mortale tutte quelle coſe, le quali danno cauſa di peccare: o perchè da ſe ſteſſe ſono induttive al peccato; o perchè il confitente è ſolito in quelle talmente a peccare, che ragionevolmente deve il Confeſſore giudicare, che per il ſuo mal'abito nè anco per l'avvenire s'aſterrà, ſe in quelle occaſioni perſevererà. Nel primo ordine d'occaſioni, cioè quelle che di ſua natura ſono induttive al peccato, ſono il far profeſſione di giuoco di carte, o dadi, ovvero tener caſa apparecchiata a queſt'effetto per altri ..... Nell'altre occaſioni, come profeſſione di giuochi, ſguardi, converſazioni, geſti &c., ſe non promette di laſciarle: e quando anco prometta, ſe avendo promeſſo altre volte, nondimeno non ſi ſia emendato, diferiſca l'aſſoluzione, ſin tanto che veda qualche emendazione* — Ibid. part. 4. pag. 664. col. 1. Undecimo ſancivit, quod aleatores in hoſpitalibus, piiſque locis non reciperentur — *In hoſpitalibus, piiſque diverſoriis, ubi hoſpitalitas exercetur, mares cum fœminis etiam ſpecie matrimonii, niſi id certiſſime conſtet, verſari ne liceat: neve ea loca, quæ bonorum ſubſidio ſunt addicta, circulatoribus, aleatoribus, nebulonibus, & iſtiuſmodi nequiſſimis hominibus pateant* — Ibid. part. 1. pag. 37. col. 2. Duodecimo, quod & ab ipſis cauponis ejicerentur — *Proinde impudicos homines, ejuſve infamiæ nota inquinatos, blaſphemos, concubinarios, ejuſve nomine ſuſpectos, aleatores, publicoſve luſores, & id generis nebulones, qui advenas, atque hoſpites dolis, fallaciiſque decipere ſolent, e familia, domoque ſua ejiciat* — Ibid. part. 1. pag. 271. col. 1. Tertiodecimo, quod demum ædes eorum, quæ ludo alearum ſunt expoſitæ, a Parocho non benedicantur — *Neque iis item, ſi quæ aleis, ludiſque vetitis publice expoſitæ ſunt* — Ibid. part. 1. pag. 186. col. 1., & part. 7. pag. 915. col. 1. — *Nè anco caſe, dove ſi fa baratteria, o ſi tengono giuochi proibiti. Nè parimente Botteghe, dove ſi fanno carte da giuocare.*

Ad caſum nunc deſcendo ab Authore propoſitum, videlicet an acquiſitum in ludo alearum ſit reſtituendum? Non una eſt ſuper hac re Theologorum reſponſio, ſed multiplex, ut opportune animadvertit S. Bernardinus To. 1. ſerm. 37. art. 7. cap. 3. ſcribens — Quod etiam lucrum taxillorum

rum ludi & alearum, ac ſimilium innitentium ipſi fortunæ, homo reſtituere obligetur, ſecundum quod prohibitum habetur diſt. 35. *Epiſcopus* in Gloſſa. Tamen circa hoc quadruplex opinio reperitur. Prima eſt dicentium jura prædicta, & Gloſſam ad ſatisfactionem arctare eos, qui ad ſatisfactionem per Judicem compelluntur. Si autem per ſententiam Judicis non arctantur, reſtituere non tenentur. Ratio eſt, quia talis reſtitutio præcepta eſt in pœnam lucrantium tali lucro. Nec jura ad hoc allegata dicunt, quod tales teneantur reſtituere ipſo jure, ſcilicet quod ab eis de jure repeti poteſt. Quandoque enim homo aliquid licite retinere poteſt, antequam per ſententiam reddere compellatur: quod tamen per ſententiam juſte latam ſatisfacere neceſſe eſt. Electio enim excommunicati excommunicatione minori non eſt irrita ipſo jure, eſt tamen irritanda Extra *de Clerico excommunicato miniſtrante* cap. *Si celebrat*. Interficiens quoque hominem contra juſtitiam juſte per ſententiam hæreditate privari poteſt: ſed tamen ante ſententiam non tenetur dimittere eam, ſicut plenius in ſeq. art. 2. apparebit. Secunda autem opinio eſt communior, & ſecurior. Hæc autem tenet pro eo modo, quo ludus taxillorum, & alearum prohibitus eſt: eodem tenetur ipſo jure homo ad reſtituendum, quod ex eo lucratur: quia non tantum prohibetur ludus talis, ſed etiam ejus lucri acquiſitio. Tertia quoque eſt opinio eorum, qui probabiliter dicunt, quod quia talis reſtitutio præcepta non eſt per jus Canonicum, ſed tantum per jus civile, non videtur quod ad hanc reſtitutionem ſint de neceſſitate aſtricti, niſi qui de jure legibus Imperialibus ſunt ſubjecti: niſi alicubi ſit reſtitutio per conſuetudinem approbata. Quarta autem opinio, & probabilior eſt, & vera judicio meo, quod talis reſtitutio implicite in jure canonico præcepta eſt: quia leges Imperiales non contrariantur juri divino: neo per jus Canonicum, aut per rationabilem contrariam conſuetudinem abrogatas eas obſervandas jura Canonica decreverunt, ſicut diſt. 10. cap. *de Capitulis*, & cap. *Quis autem*, & duobus capitulis immediate ſequentibus patet —. Hactenus S. Bernardinus. Hanc poſtremam ſententiam amplectitur Author noſter. Id tamen intellige, dum quis ludit ex cupiditate lucrandi, vel alium trahit ad ludendum, ſicuti ſeipſum explicat S. Bernardinus To. 1. ſerm. 42. art. 3. cap. 1. inquiens — Advertendum ſecundum Bonaventuram, Innocentium, Hoſtienſem, & Raymundum, quod circa reſtitutionem eorum, quæ venerunt ex ludo, diſtinguendum eſt: quia aut luſor voluntarie, & ex cupiditate luſit: & tunc, ſi amiſit, repetere nequaquam poteſt. Si autem lucratus eſt, ſaltem in judicio animæ ſatisfacere obligatur. Aut luſit invitus, & tractus per vim, & nimiam alterius importunitatem factam verbis, vel factis, ſive facta fuerit in principio, vel medio ludi, cum ille deſiſtere vellet, ſecundum Azorium: & tunc, ſi amiſit, poteſt repetere. Si autem lucratus eſt non tenetur perdenti reſtituere, eo quod reſtitutio non competit illi in vindictam peccati, ſed par-

peri-

Digitized by Google

peribus erogare. Arguitur ad hanc diſtinctionem 14. q. 5. cap. *Non ſane*; & extra *de Simonia* cap. *Dilectus*. Nec obſtat, ſi luſor dicat, licet ex cupiditate luſerim, non tamen injuriam proximo feci, quia ipſe hoc idem fecit, & voluntarius acceſſit: cum certum ſit, quod ipſe invitus, & dolens amiſit. Dicitur autem homo ſecundum quoſdam id viciſſe, quod in fine cujuslibet ludi ſecum recedendo reportat. Si autem altero die, vel altera vice cum eodem, aut cum altero id, quod vicerat, ludendo amittit; non minus quod erat dandum pauperibus, etiam dari debet: quia ille non bona pauperum, ſed ſua amittit ludendo —. Hæc S. Bernardinus.

Huic Authoris & S. Bernardini doctrinæ affine eſt, quod docuit S. Bonaventura in 4. diſt. 15. art. 2. q. 1. in reſp. ad objecta — *Si vero quæritur de aleatore: dicendum eſt generaliter, quod malæfidei poſſeſſor eſt, & injuſto poſſidet titulo; & ideo nullo modo poteſt, nec debet ſibi tenere quod lucratus eſt, cum talis ludus ſit turpis, & reprobatus, & contra Deum, & contra omnia jura. Utrum tamen teneatur reſtituere, diſtinguunt aliqui; quia aut ille, penes quem lucratus eſt, eſt talis perſona, quæ rebus ſuis præeſſe non poteſt, ut puta minor ſive pupillus, ſurdus, & mutus, perpetuo morbo languidus: & ſic tenetur reſtituere. Si autem ſit talis perſona, quæ potuit amittere, aut tractus eſt ab illo & inductus, aut non. Si tractus fuit ab illo, non tenetur illi reſtituere, quia illi non competit repetitio in vindictam peccati; ſed poteſt inde facere eleemoſynam. Si autem ipſe traxit eum, non poteſt eleemoſynam facere, ſed tenetur reſtituere ſaltem in foro conſcientiæ: quia licet nullus velit amittere, tamen qui non vult amittere, nec ludere, ſed inducitur, minus culpabilis videtur, & alius qui inducit, magis. Et ideo iſte non debet damnificari, nec auctor, vel inductor in aliquo meliorari. Nulli tamen licet ex hoc aliquid lucri acquiſiti in proprios uſus convertere.*

S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2., probat quidem diſtinctionem eorum, qui ſubſunt legibus Imperii ab illis, qui iiſdem legibus non ſunt obnoxii: ſecus ac conſtitutum fuit ab Authore poſt S. Bernardinum. Sed quod reſpicit ludentes ex cupiditate, & trahentes alios ad ludendum, in eadem cum ipſis opinione eſt. En ipſius verba — *Circa illa vero, quæ per aleas acquiruntur, videtur aliquid illicitum eſſe ex divino jure, ſcilicet quod aliquis lucretur ab his, qui rem ſuam alienare non poſſunt, ſicut ſunt minores, & furioſi, & hujuſmodi; & quod aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum: & quod fraudulenter ab eo lucretur. Et in his caſibus tenetur ad reſtitutionem, & ſic de eo non poteſt eleemoſynam facere.*

Candide tamen fateor hanc ſententiam noſtris hiſce temporibus non prævalere, ſed eam potius vincere, qua docetur, quod ſi in ludo non interveniat fraus, neque dolus, & qui ludunt in jure poſſint alienare, vincens non teneatur ad reſtitutionem in locis, in quibus non vigent leges Imperii, nec adſunt aliæ conſimiles patriæ; in iis autem, in quibus

vigent

vigent Imperii leges, aut aliæ patriæ non abſimiles, teneatur quidem poſt Judicis ſententiam, non autem ante eandem. Gennettus iccirco To. 1. Tract. 6. cap. 5. graviſſimam hanc materiam ſic abſolvit – *Igitur ubi promiſcue, & videntibus Magiſtratibus, nec ullo modo probibentibus, ludi tales aleatorii exercentur, videtur prævaluiſſe conſuetudo, ita ut ex hoc ultimo capite obligatio reſtituendi non oriatur* – . Pro hac ſententia reipſa ſtetit Alexander de Ales part. 4. quæſt. 86. membro 3. art. 6. inquiens – *Reſponſio. Quod aleatores, niſi fraudes immiſceant in ludis ſuis, non de ſtricto jure tenentur ad reſtitutionem; pactum enim intervenit inter partes, quod utrique parti placet, & obligatio conditti. Unde ſecundum pactum illud, & obligationem conditti, nec ille, qui amiſit, de jure poteſt repetere: nec ille qui lucratus eſt, tenetur reſtituere. Et quod antiqua jura jubent illud reſtitui, & concedunt actionem repetendi, nobis videtur magis eſſe ſatisfactio pro peccato, quam obligatio ad reſtitutionem. Non eſt enim boneſtum bujuſmodi, nec licitum, nec boneſta occupatio in talibus: immo multum ſæpe damnoſa efficitur Reipublicæ, cum occaſione ludi diſtrabantur poſſeſſiones, & exbæreditentur ſucceſſores, & poſteri. Unde Juſtinianus dicit, quod alearum ludus prodiit in lacrymas. Unde ad cobibitionem mali ſubſequentis data eſt iſta lex de aleatoribus. Sicut & in foro pœnitentiali injungitur ſæpe ſatisfactio pecuniaria non ſolum eis, qui lucrantur, ſed etiam qui amiſerunt, ut reprimatur inboneſta occupatio, & malum ſubſequens* – . Fuſius, & clarius Author ipſe in Angelica ver. *Ludus* num. 7. – Tu breviter dic, quod, licet opinio prædicta ſit multum rationabilis, utpote quæ retrahit homines ab hujuſmodi ludis, tamen nullo jure probatur, quod neceſſario ſit facienda, ſicut nec alia turpiter acquiſita. Nec obſtat quod Epiſcopus auxilio Præſidis poteſt talia lucra, ſi non repetuntur ab his, qui amiſerunt, exigere, & pauperibus diſtribuere, ut dicit textus in dict. Authent. *Alearum uſus*, & ſic videtur quod ſint pauperum: quia licet poſſit auferre in pœnam, non tamen ſequitur, quod ipſi teneantur dare, ſicut nec in aliis caſibus, in quibus fiſcus turpiter acquiſita poteſt tollere, ut in L. 1. C. *ad legem Juliam repetundarum*, & in L. 1. ff. *de jure fiſci*. Et faciunt quæ infra dicam *Reſtitutio primo* in ver. *Turpiter acquiſitum*: & ſic tene quoad neceſſitatem reſtitutionis. Bene faceret Epiſcopus, ſi talia acciperet, & daret pauperibus. Similiter Confeſſores debent ea erogari facere pauperibus, ut in quo deliquit in eo puniatur. Si tamen nollet, non eſt ei deneganda abſolutio. Adverte tamen, quod ubi leges Imperiales ligant, & illi, qui amiſerunt, ſi vellent, repetere poſſent uſque ad quinquaginta annos: ſic repetendo tenerentur eis de neceſſitate reſtituere, ut in dict. Authent. *Alearum*. Nec obſtat, quod dicunt quidam, eſſe abrogatam per non uſum: quia non eſt verum, ut patet ex dictis ſupra *Lex* §. 17. Sed ubi lex imperialis non ligat, ſicut in terris Papæ, & ſimilium, non poſſent repetere. Ubi lex imperialis viget, ſi Epiſcopi non accipiunt lucrata, poſſunt

Offi-

Digitized by Google

Officiales facere, ut dent pauperibus, vel in publicos uſus, ut in dict. Authent. *Alearum* –. Hæc ille. An poſterior hujuſmodi doctrina priori ſit præferenda, aliorum eſto judicium. Placet ſummopere, quod Joan. Pontaſius materiam hanc abſolvens ver. *Ludus* Caſu 5. Confeſſariis ſuggerit pro praxi – *Cæterum cum incertum eſſe poſſet, an leges ludos aleatorios prohibentes adhuc vigeant, aut ſi ſatis ſuperque a conſuetudine contraria abrogatæ fuerint: ſapiens Confeſſarius ſaltem præcipere poteſt reſtitutionem per formulam pœnitentiæ, ſive in integrum, ſive partim, juxta vires actu exiſtentes ejus, qui peccata luget, & plangit, ut eum adigat hac ſeveritate ſalutari ad nuntium ludi conſuetudini in ſempiternum mittendum: & ille, qui peccata ſua luget, ac plangit, ſi pertinacia ſua pœnam adeo ſalutarem accipere recuſaret, clare oſtenderet, quod peccati ſui fructu uti volens, ad peccatum illud derelinquendum ſat diſpoſitus non eſt* –. Ejuſdem indolis ſunt ea, quibus S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 23. §. 4., loquens de illis, qui alienare poſſunt, & ſponte ludunt, & lucrantur ſine fraude, & legibus imperialibus non ſunt adſtricti, rem hujuſmodi graviſſimam abſolvit: tametſi poſteriorem ſententiam amplectatur – *Igitur, ne paretur via ludis, & turpibus lucris, in hujuſmodi caſu conſulendum eſt, & perſuadendum ad erogandum pauperibus, & præcipue quantum ad illud, quod remanet in lucro ultra perdita in eo, & alia ſaltem paullatim, & per intervalla temporum. Non tamen cogendus. Et multo minus hoc prædicandum; ſed quod pauperibus ſit erogandum.*

Excipit Author caſum, in quo ludo exponuntur ea quæ ſunt in communi convivio. Et reipſa textum habemus apertum ff. *de aleatoribus* L. ult. in principio – *Quod in convivio veſcendi cauſa ponitur, in eam rem familiæ ludere permittitur* –: ſuper qua ita Gloſſa – *Ut ſi pauciora puncta habuerit amittas portionem tuam: ut ex pecunia, quam unus, vel plures amiſerint, emantur aliqua, ut veſcantur communiter.*

Caſum item excipit Author, in quo quid modicum exponitur ludo. De hoc caſu ita ſcribit Aſteſanus lib. 5. tit. 30. art. 4. – De illo autem, qui ludit non cupiditate lucrandi, ſed cauſa tædium vel triſtitiam effugandi, dicit Ricardus quolib. 2. 20. q. 29. cap. 1., quod ſi ille qui amittit, non notabiliter, ſed in modico damnificatur: in modico inquam per comparationem ad ipſum, quod ideo dico, quia aliquid eſt modicum diviti, quod eſt multum pauperi: tunc ludens non facit contra prohibitionem juris, quia tunc non concurrunt rationes, propter quas illi ludi ſunt prohibiti. Unde ille, qui lucratur in tali caſu aliquid modicum, non tenetur tenſione neceſſitatis ad ſalutem reſtituere ſaltem illi, qui amiſit. Quod ideo dico, quia forte aliqui dicere vellent, quod in voluntate ſua eſſet, vel amittenti reſtituere, vel pauperibus erogare: & forte aliqui vellent dicere, quod tenſione neceſſitatis ad ſalutem nulli tenetur reſtituere, ſed po-

teſt ſibi retinere. Quia jura, quæ lucrum talis ludi præcipiunt reſtitui, *in* tali caſu non debent intelligi --. Hæc ille.

SECUNDUM DUBIUM. Utrum dans damnum, vel aliquid accipiens in domo tenentis prædictos ludos, teneatur?

Reſpondeo, quod, quamvis lex in hoc caſu non puniat nec injuriam, nec furtum & hujuſmodi L. 1. ff. *de aleatoribus*, tamen in conſcientia tenetur reſtituere non ei, ſed pauperibus. Arguitur cap. *Cum tu* Extra *de uſuris*.

(222) Lex civilis ab Authore citata ſuper hac re adeo eſt perſpicua, nihil ut magis -- *Prætor ait: ſi quis eum, apud quem alea luſum eſſe dicetur, verberaverit, damnumve ei dederit, ſive quid eo tempore dolo ejus ſubtractum eſt, judicium non dabo. In eum, qui aleæ ludendæ cauſa vim intulerit, uti quæque res erit, animadvertam. Si rapinas fecerint inter ſe colluſores, vi bonorum raptorum non denegabitur actio; ſuſceptorem enim duntaxat probibuit vindicari, non & colluſores, quamvis & hi indigni videantur. Item notandum, quod ſuſceptorem verberatum quidem, & damnum paſſum ubicumque, & quandocumque non vindicat. Verum furtum factum domi, & eo tempore, quo alea ludebatur, licet luſor non fuerit, qui quid eorum fecerit, impune fit. Domum autem pro habitatione, & domicilio nos accipere debere certum eſt. Quod autem Prætor negat, ſe furti actionem daturum, videamus: utrum ad pœnalem actionem ſolam pertineat, an & ſi ad exhibendum velit agere, vel vindicare, vel condicere? Et eſt relatum apud Pomponium, ſolummodo pœnalem actionem denegatam: quod non puto verum; Prætor enim ſimpliciter ait: ſi quid ſubtractum erit, judicium non dabo* --. Utinam homines ad hanc legem animum, mentemque converterent. Nullus certe cum tanto periculo & perſonæ & rei ſuæ, domum teneret ludo expoſitam. Nota tamen, quod verberatio, de qua lex, ſequi debet occaſione ludi; & iccirco opportune Gloſſa -- *Ludi tamen occaſione, ut quia malos dicebatur accommodaſſe denarios, vel malum vinum luſoribus propinaſſe dicitur; ſic enim dicitur -- Si quis eum apud quem &c. -- Si autem non illa occaſione contingat, agere poteſt; alioquin depoſito etiam illo officio, impediretur agere, quod eſſet iniquum* --. Nota etiam, quod furtum, de quo eadem lex, ſequi debet in loco ludi, & ludi tempore; ſapienter enim monet Gloſſa -- *Si vero alio tempore, vel loco fiat, agi poteſt* --. Hæc in jure communi; quæ tamen omnia intelligi debent, ut monet Aſteſanus lib. 5. tit. 30. art. 2. -- *De eo, qui conſuevit luſores aleæ cauſa ſui emolumenti tenere; ſecus autem eſt, ſi incidenter apud aliquem luderetur* --. An autem

ſuper

ſuper hac re habeantur leges patriæ jus commune emollientes, & moderantes: videant illi, ad quos ſpectat. Subdit Author, quod furtum hoc in foro conſcientiæ reſtituendum eſt, non tenenti ludum, ſed pauperibus. Verum enim vero etſi tenens domum ad ludendum, id mereatur in pœnam: animadvertens quod caput *Cum tu* ab Authore citatum unice conſtituit, uſuras eſſe pauperibus erogandas, quando deſunt hæredes: non condemnarem Confeſſarium, qui in hoc caſu furem obligaret ad furtum vero Domino reſtituendum, vel ipſius hæredibus, ſi extant.

Tertium Dubium. Utrum emens rem ludentis, poſſit agere contra vendentem, ſi evincatur ab eo?

Reſpondeo, quod non, ſi emit a ludente in alea ff. *Quarum rerum actio non datur* L. 2.

(223) Et ſuper hac re textus ab Authore citatus eſt apertiſſimus §. 1. — *Si in alea rem vendam, ut ludam, & evicta re conveniar: exceptione ſummovebitur emptor* —. Hoc puto in pœnam a jure fuiſſe ſancitum; & iccirco Scriptores invenio mirifice conſentientes, puta Aſteſanum loco proxime laudato, Panormitanum *de vita & honeſtate Clericorum* in cap. *Clerici* num. 16., Roſellam ver. *Ludus* num. 7., aliosque. Unice igitur nonnulla profero exempla, quæ exhibet Gloſſa in hanc legem — *Puta ſi vicero, vendas mihi fundum Titianum, & ſi viceris, vendam Sempronianum pro decem tibi: vel ipſam rem tibi vendidi, & pretium luſi: vel ipſam æſtimationem luſi ..... vel ſecundum R. vendo ego ludens, & pretium mihi ludenti ſolvis* —. In hiſce omnibus caſibus, aliiſve ſimilibus non tenetur quis evictione, & vendens habet actionem adverſus ementem.

Quæres hic: utrum mutuo dans pecuniam luſoribus, ut ſecum ludant poſſit eam repetere?

℞. Author in Angelica ver. *Ludus* num. 9. in fine, Roſella ver. itidem *Ludus* num. 5., & Panormitanus loco proxime citato num. 15. conſtanter docent, mutuo dantem non poſſe repetere pecuniam mutuo traditam: & id erui poſſe contendunt præſertim ex L. ult. ff. *de aleatoribus*. Putant tamen Panormitanus & Roſella id eſſe intelligendum, dum mutuo accipiens ludit cum tradente mutuum, non autem ſi cum altero ludat. Sed Author ibid. arbitratur, nec in eo caſu pecuniam mutuatam poſſe repeti. En ipſius verba — Ego credo etiam hoc verum generaliter in quocumque, qui ſcienter mutuat ludere volenti, quod non repetet: & videtur caſus in L. *Verum* §. penult. ff. *de Minoribus*. Nec dicas, quod loquitur de minore, ut etiam loquitur L. *Si vero non remunerandi* §. *Si adoleſcens* ff. *Mandati*: quia idem eſt de majore, ut dicit Gloſſa in dictum §. *Si adoleſcens*. Item quia dicta L. *Verum* loquitur, quando minor etiam

privilegiatus mutuat minori etiam privilegiato, & tamen ibi, licet ſint in pari privilegio, potior eſt conditio illius, qui perdit pecuniam --. Hæc ille. In eadem opinione eſt Joan. Clericatus To. 3., ubi de Erotematis Eccleſiaſticis cap. 101. num. 4., ſcribens — *Quæ ſit pœna mutuantis pecuniam ad ludendum? ℞. Quod nulla detur actio ad repetendum, & omnes actus, & inſtrumenta facta occaſione ludi nulla ſint; immo Notarius poſſit puniri dicta L. ALEARVM, & Ludoviſ. deciſ.* 47.

QUARTUM DUBIUM. Utrum lucratum in ludo alearum ſit reſtituendum ei, qui amiſit?

Reſpondeo, quod ſi perdens erat Dominus, & ſi invicem traxerunt ad ludendum, tunc eſt erogandum pauperibus 14. q. 5. cap. *Non ſane*. Si vero perdens tractus fuit ab illo, qui lucratus eſt, tunc actio competit amittenti L. finali ff. *de aleatoribus*, immo uſque ad quinquaginta annos, immo etiam hæredibus L. finali C. eod. tit.; & iccirco debet ei reſtitui. Item reſtitui ei debet, ſi per fraudem lucrantis amiſit. Si autem non erat Dominus, vel ex illis erat, quibus eſt interdicta poteſtas alienandi, tunc reſtitutio debet fieri Domino, vel ejus curam gerenti.

(224) Dum ludentes ſe invicem trahunt ad ludendum, ambo communi conſilio conſentiunt in rem per leges prohibitam. Æquum eſt ergo, ut pari pœna puniantur; & iccirco quod lucrum nec fiat lucrantis, nec reſtituatur amittenti, ſed pauperibus diſtribuatur. Dum poſtmodum unus alterum traxit, & amittens ille eſt, qui vim fuit paſſus: jam ſupra vidimus cum Sanctis Bonaventura, & Thoma omne lucrum vim paſſo eſſe reſtituendum, & lucrantem in pœnam non poſſe ſibi retinere lucrum. Id tamen intelligas volo non de eo, qui alium ſimpliciter invitavit ad ludendum, eumque leviter attraxit; ſed unice de eo, qui vim intulit, vel nimia importunitate alterum traxit; ut appoſite S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 23. §. 3. — *Tertius caſus eſt, cum quis attraxit aliquem ad ludum per vim, vel nimiam importunitatem, ſive in principio ludi, ſive in medio, cum alius vellet dimittere, & non ſinit: tunc etiam tenetur reſtituere ſecundum Thomam, & Raymundum, qui ad hoc inducunt cap. NON SANE*. Rationem affert Cajetanus Comment. in 22. D. Thomæ q. 32. art. 7. ad 2. — Hic eſt ſermo de quocumque tractu, modo cauſetur involuntarium miſtum: ita quod ex hoc ille venit ad ludum ductus precibus, inſultatione, exprobratione, & hujuſmodi, licet voluntarie ludat. Sicut etiam voluntarie

Digitized by Google

rie aliquis ſolvit uſuram; hujuſmodi tamen voluntarium non transfert a ſe dominium: quia miſtum eſt, & non omnino liberum. Conſentaneum autem rationi eſt, ut hujuſmodi commutationes, quæ fiunt in ludo, quia ſunt ex natura ſua turpes, niſi cauſa recreationis fiant, ad hoc, ut efficaces ſint, liberam omnino voluntatem exigunt: ſicut etiam donationes, quæ fiunt meretricibus, ſi extortæ blanditiis, & illecebris ſint, non ſunt validæ. Sufficere quippe debet juſta merces. Propter admiſtionem ſiquidem involuntarii in hujuſmodi turpibus, reſtitutioni obnoxia ſunt ſic accepta. Et per hoc patet, quod illi, qui invitati ſponte ludunt, non trahuntur ab alio —. Hæc ille. Concinit Didacus Covarruvias Releƈt. in Reg. *Peccatum* de Regulis Juris in Sexto part. 2. §. 4. num. 7. ſcribens — *Datur præterea obligatio reſtituendi in animæ judicio ludo quæſita, quoties quis alterum ad ludum cupiditate lucri involuntarium attraxit, ſecundum Thomam 2. 2. q. 32. art. 7., quem cæteri communiter ſequuntur: modo hæc attraƈtio levis non ſit, ſed tanta, quæ involuntarium alterum efficiat; nempe convitia. opprobria, preces adeo vehementes, quod his auſus non ſit alter contradicere.*

Subdit Author, quod reſtitutio itidem facienda eſt amittenti, dum quis lucratur fraude interveniente: & in hoc omnes mirifice conſentiunt. Audiamus S. Antoninum loco proxime laudato —. *Secundus caſus eſt, cum acquirit per fraudes, puta utendo falſis taxillis, vel alio modo decipiendo. Nam hoc reſtituendum eſt ei, qui amiſit, vel habenti curam ejus: reputatur enim hoc ut furtum. Arguitur ad hoc 14. q. 5. cap. NON SANE in fine, ſecundum Thomam & Raymundum* —. En quæ habentur in citato cap., quod eſt Auguſtini ad Macedonium — *Qui vero contra jus ſocietatis humanæ furtis, rapinis, calumniis, oppreſſionibus, invaſionibus abſtulerit, reddenda potius, quam donanda cenſemus, Zacchæi publicani Evangelico exemplo* —. Cave tamen, ne id intelligas de quacumque fraude; jure ſiquidem fraudes a fraudibus diſtinguit Joan. Clericatus loco ſupra laud. num. 22., alias licitas ex natura ludi, alias dicens illicitas, & injuſtas. Cui concinit Gabr. Antoine de Contraƈtibus part. 2. cap. 11. q. 4. ſcribens — *Si fraude aliqua contra ludi leges uſus ſit: v. g. ſi chartas ſigno aliquo notaverit, aut per nutus circumſtantium, vel ex induſtria agnoſcat, vel artificioſe ita componat, ut meliores ſibi obveniant &c. Et tunc tenetur reſtituere tum id, quod lucratus eſt, cum illud acquiſierit per injuriam: tum etiam id, quod alter juſte lucratus fuiſſet. Nam hæc ſpes lucri erat pretio æſtimabilis, & ei per injuriam ſublata fuit. Ludi autem leges ſunt, quæ vel communi ludentium conſenſu conſtitutæ ſunt, vel loci conſuetudine receptæ. Quædam tamen fraudes, ſeu potius aſtutiæ, quæ ex communi conſuetudine adhibentur, & noſcuntur adhiberi, non cenſentur contra ludi leges, nec injuſtæ: ut ſi quis ſciens ſe meliores chartas habere, timorem ſimulet, quo alter ad augendam ſponſionem impellatur.*

Con-

Digitized by Google

Concludit Author, quod ſi amittens vel non erat Dominus, vel ex iis, quibus alienandi poteſtas interdicta eſt: tunc reſtitutio fieri debet Domino, vel curam gerenti. De hac re jam multa dixi titulo proxime præcedenti. Placet nihilominus exſcribere quod exponit S. Antoninus loco ſupra memorato loquens de ludo – Primus eſt, cum acquirit quis ab his, qui rem ſuam alienare non poſſunt. Et qui ſint illi, Raymundus ponit exempla: ut furioſi, prodigi, minores vigintiquinque annis, & maxime pupilli, & mente capti, ſurdi, & muti, & cœci, & qui perpetuo morbo laborant. Quia enim tales rebus ſuis supereſſe ideſt providere non poſſunt, dandi ſunt eis tutores, vel curatores, Inſtitut. *de Curatoribus* §. *Furioſi*. Et quod dictum eſt de prodigis, videtur intelligendum de his, quibus ratione prodigalitatis dati ſunt eis Curatores a Judice, & non de aliis. Servi etiam, cum quicquid habent ſit Dominorum, alienare non poſſunt. Sed & Religioſi, ſi qua haberent ad ſuum uſum, vel per adminiſtrationem; illa tamen donare vel alienare non poſſunt illicite, ut in ludo. Unde qui eos vincerent, etiam Prælatos, ad reſtitutionem tenerentur Monaſteriis, vel Prælatis. Clerici quantum ad res Eccleſiæ, cum pauperum ſint, 16. q. 1. cap. *Quoniam*, alienare illicite non poſſunt, ut in ludis. Filiifamilias, qui emancipati non ſunt a patre, alienare non poſſunt per ludum, vel alios modos, niſi peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe, in quo ut Domini ejus cenſentur. Et quid ſit peculium caſtrenſe, vel quaſi, Vide ſupra. Similiter & uxores, ſi non habent paraphernalia, alienare non poſſunt. Qui ergo acquirit ab his per ludum, reſtituere tenetur Tutoribus, vel Curatoribus, vel Prælatis, aut Dominis eorum, ſecundum Thomam, Raymundum, Petrum de Palude, & alios: niſi forte ſit quid modicum, de quo præſumi poſſet, quod eorum Superiores, vel Patres, Tutores, & hujuſmodi non curarent –. Hactenus S. Antoninus.

Quintum Dubium. Utrum ille, qui aliquando perdit, aliquando vincit, poſſit facere recompenſationem?

Reſpondeo, quod aut ſermo eſt de eodem ludo, & cum eadem perſona, & tunc poteſt fieri. Idem credo, dum ludus diverſus eſt, ſed cum eadem perſona, licet nonnulli ſecus opinentur. Si vero ſermo ſit de ludo non cum eadem perſona, ſed cum diverſa, tunc non ſit compenſatio: quia per interitum rei moroſus debitor non liberatur L. *In re furtiva* ff. *de condictione furtiva*: maxime quia ipſemet dedit cauſam interitui ff. *de verborum obligationibus* L. *Si ex legati cauſa*.

(225) Hic

(225) Hic caſus eos reſpicit, qui reſtituere obligantur acquiſita ex ludo. Puta: Titius ludens cum Sempronio filiofamilias, minore, aut Religioſo, prima vice, prima die, aut in primo ludo lucratur decem Libras; ſecunda autem vice, ſecunda die, aut in ſecundo ludo eaſdem libras jam lucratas amittit: ita ut ludo ceſſante nec unus ditior, nec alter pauperior factus ſit. Quæritur hic: an quum lucratum prima vice, prima die, & in primo ludo, teneatur dubio procul reſtituere propter rationes alibi productas: ab hac reſtitutione reddatur liber ob parem jacturam cum eodem poſtmodum factam. Si ſubtilitas juris attendatur, certe Titius in hoc caſu immunis non redditur a reſtitutione: quia quod prima vice lucratus eſt, in jure non potuit fieri ſuum, & quod amiſit ſecunda vice, in jure deſiit eſſe ſuum; lege enim cautum fuit, ut ætas in damno ſubveniat pupillo, & non obſit in lucro, quum lucrari poſſit pupillus, & fieri locupletior; non autem diſtrahere, & reddi pauperior. At ſi de æquitate loquamur, & in foro conſcientiæ, arbitror cum Authore & hic & in Angelica ver. *Ludus* num. 8., quod Titius uti compenſatione poſſit, & reddatur a reſtitutione liber. Ratio eſt: quia etſi hoc ſit contra litteram legis, non eſt tamen contra ſpiritum legis. Spiritus enim legis eſt, quod filiusfamilias, Religioſus, minor &c. deteriorem non reddant patrem, hæreditatem, Religionem &c., ſicuti in caſu ceſſante ludo contingit. Excipe tamen, ſi idem Titius prima vice, prima die, aut in primo ludo, lucratus eſſet per fraudes illicitas. In hoc caſu lucratum haberet rationem furti, & teneretur ex delicto, ad ipſum reſtituendum. Non poſſet ergo uti compenſatione per jacturam poſtmodum factam ſine fraude lucrantis: quia lucrum in hoc caſu nedum fuiſſet injuſtum jure legali, ſicut in caſu ſupra expoſito, ſed jure etiam naturali, quo prohibetur omnis ereptio rei alienæ. Immo lucrum non fuiſſet ullo modo, ſed furtum verum, propriumque, quod compenſari nequit per jacturam ſubſequentem, non rapina factam, ſed abſque fraude ſecutam. Secus dicerem, ſi ambo ludentes poſſent diſtrahere, ambo fraude lucrarentur, ambo propter fraudem jacturam facerent. Peccarent hi ambo peccato furti. Sed quum nec unus, nec alter factus eſſet vel ditior, vel pauperior, ambo in foro conſcientiæ eſſent a reſtitutione liberi.

Subdit Author idem non poſſe conſtitui, ſi lucrum, & jactura ſequantur non cum eadem perſona, ſed cum diverſa. Ratio eſt in promptu: quia ſi Titius lucraretur cum uno filiofamilias, cum uno minore, cum uno Religioſo, perderet poſtea cum altero filiofamilias, minore aut Religioſo: adhuc ſequeretur, & verum eſſet, quod primus filiusfamilias, minor, aut Religioſus factus eſſet pauperior, & per conſequens pauperior pariter primus pater, prima hæreditas, prima Religio. Hoc porro æquitas non patitur, & pugnat nedum cum litera, ſed etiam cum ſpiritu legis. Titius igitur in hoc caſu reſtituere debet lucrum perceptum, & repete-

petere non poteſt jacturam exinde ſecutam. Excipe tamen, ſi ſecundus filiusfamilias, cum quo jacturam fecit, eſſet frater germanus primi: item ſecundus minor frater primi minoris: item ſecundus Religioſus eſſet ejuſdem Ordinis ac primus: quia tunc non ſequeretur inconveniens ſupra expoſitum; & icciro æquitati ſiſtendo locum haberet compenſatio.

Sextum Dubium. Utrum ludus, qui innitur induſtriæ, ſcacchorum puta, balliſtæ, & hujuſmodi, ſit prohibitus, & lucrans ex ipſo teneatur reſtituere?

Reſpondeo, quod non, ut tenet Gloſſa in dict. Authenticam *Interdicimus*. & Archidiaconus in dict. cap. *Epiſcopus*: nec etiam Clericis. Et in hoc Doctores concordant. Nec taliter acquiſitum eſt reſtituendum, dummodo qui ludit poſſit alienare; alias ſecus. Limitat hoc Panormitanus, niſi quod perditum eſt, ſit in magna quantitate, & niſi quis principaliter habeat voluntatem ſpoliandi ſocium: quia tunc etiam hic ludus eſſet prohibitus, & quod lucratum eſt, eſſet reſtituendum. Addit Ricardus in 4. diſt. 15. q. ultima, quod ludus ſcacchorum aliquando prohibetur ex cauſa, puta cum homines agunt pœnitentiam. Ludus tamen torneamenti totaliter prohibitus eſt, & omnibus, & omni tempore, ut patet Extra *de torneamentis* per totum, licet lucratum non ſit reſtituendum.

(226) De ludo latrunculorum, vulgo *Scacchi* opportune Gloſſa in cap. 10. Authenticæ *de Sanctiſſimis Epiſcopis*, loquens de Clericis — *Quid de ſcachis? Reſpondeo, poſſunt, cum non fortunæ viribus, ſed naturali ingenio conſiſtat ille ludus* —. Idem tenuit S. Antoninus Annotatione 221. ſupra productus, cujus verba iterum recitare juvat — *Ludus autem Scaccorum non eſt fortunæ, ſed induſtriæ, & ob recreationem inventus. Unde non eſt prohibitus ſecundum Ricardum, nec etiam Clericis ſecundum Laurentium* —. Ita S. Præſul part. 2. tit. 1. cap. 23. §. 2. — *Ludus Scaccorum, qui ludus nec etiam Clericis eſt prohibitus ſecundum Laurentium. Tamen ad tollendum ſcandalum Laicorum, coram Laicis non debent hujuſmodi agere* —. Ita S. Archiepiſcopus, qui ſupra ibidem §. 1. Idem Concilium Mexicanum celebratum an. 1585. Idem alii complures. Doctrinæ huic in ſpeciem contradicere videtur S. Petrus Damiani, quem ſcimus corripuiſſe hac de re Epiſcopum

pum Florentinum graviſſimis hiſce verbis Lib. 1. Epiſt. 10. — *Quam inhoneſtum, quam abſurdum, quam denique fœdum ſit hoc in Sacerdote ludibrium! Recte ne, tuique erat officii, veſpere in Scacchorum vanitate colludere, & manum Dominici Corporis oblatricem, linguam inter Deum, & populum mediatricem, ſacrilegi ludibrii contaminatione fœdare* —. Sed pugnantiam hanc docte more ſuo, & mirifice componit Benedictus XIV. de Synodo Diœceſana lib. 11. cap. 10. num. 4. inquiens — Dubitari autem ſolet, an inter indecoros, ac proinde illicitos recenſeri debeat ludus ſcachorum. Illum certe damnavit S. Petrus Damianus Opuſc. 20. cap. 7. Tom. 3. Operum, graviter objurgans Florentinorum Epiſcopum ſecum iter agentem, quem ſcachis ad fallendum tempus ſemel luſiſſe deprehenderat. Cumque Epiſcopus, ad ſe excuſandum, ſcachos ab aleis diſtinguere conaretur, S. Petrus ibidem Epiſcopi excuſationem in hunc modum refellit —. *Scachum ſcriptura non ponit, ſed utriuſque ludi genus aleæ nomine comprehendit. Quapropter dum alea prohibetur, & nominatim de ſcacho nihil dicitur, conſtat procul dubio, utrumque genus uno vocabulo comprehenſum, unius ſententiæ authoritate damnatum* —. Et, ne quiſpiam Damianum nimio zelo abreptum exiſtimet, audiat Card. Baronium ad an. 1061. num. 42. ita illum, ejuſque ſententiam defendentem — *Quem Sciolus quiſpiam redarguat hallucinatum, dum ſub aleis redigit ſcachos, quos non ut aleas dubia fortuna volvit, ſed humani ingenii acumen exercet. Sit utcumque velit, ad Pauli ſententiam redigendi procul dubio ſunt Sacerdotes, qua ait non licere, quæ non expediunt, non licere, quæ non ædificant* —. Neque Damiano refragatur Concilium Mexicanum an. 1585. confirmatum a Sixto V. an. 1589., quod lib. 3. tit. 5. To. 10. Collectionis Harduini col. 1671. Scachorum ludum licitum reputans, Clericis permiſit. Damianus quippe Epiſcopum reprehendit, qui *in ſpatioſa domo cum commeantium turba reſedit*, iiſque aſtantibus, veſpertinum tempus in ſcachorum vanitate conſumpſerat. Concilium autem Mexicanum Clericos ludere permiſit in reculto tantum honeſtæ recreationis cauſa, & adjecta lege, ne multum pecuniæ in eum luſum impenderent —. *Scachis* (inquit) *aut aliis ludis permiſſis ne ludant in locis publicis, aut in domibus quo ad id multitudo hominum convenit, veluti in domibus aromaticorum, aut tunſorum. Si autem in occulto ludos licitos hujuſmodi exercuerint, numeroſa pecunia in eis non intercedat; aliter enim pro qualitate exceſſus corrigentur* —. Hactenus Pontifex ſapientiſſimus. Prudenter iccirco Gennettus To. 1. Tract. 6. cap. 4. q. 4. — Latrunculorum, aut tabularum ludi, ſicut & alii ſimiles, qui ab induſtria præcipue pendent, modo publice non exerceantur, Clericis prohiberi non videntur — *Licet*, ut ait S. Antoninus (loco ſupra cit. §. 1.) *potius ſolatia ſua in ſcripturis deberent quærere juxta illud I. Mach. — Habentes ſolatio libros ſanctos in manibus noſtris* —. Quod tamen tamquam ſalubre conſilium, non autem rigoroſum præceptum dicitur a S. Præſule —. Hæc ille.

Torneamenta dicuntur quædam nundinæ, vel feriæ, non inter hoſtes, ſed inſtar hoſtilis pugnæ factæ. Dicuntur nondinæ, quia ad ea de diverſis partibus, & cauſa lucri, ſicut ad nundinas convenitur. Dicuntur etiam feriæ a feriando, quia tunc milites ab aliis operibus vacant. Ita Aſteſanus lib. 1. tit. 28. in principio. Hæc omnibus, & quibuſcumque prohibuit Concilium Lateran. hiſce verbis, quæ leguntur Extra *de torneamentis* cap. 1. — *Felicis memoriæ Innocentii, & Eugenii Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, deteſtabiles illas nundinas, vel ferias, quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto convenire ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum, & audaciæ temere congredi, unde mortes hominum, & animarum pericula ſæpe proveniunt, fieri prohibemus. Quod ſi quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti pœnitentia non negetur, Eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.*

Quod acquiſitum in torneamento non ſit reſtituendum, jam docuerat S. Bernardinus To. 1. ſerm. 37. art. 2. cap. 3. in principio — *Advertendum eſt ſecundum Ricardum de media Villa in 4. diſt. 15. q. 8., quod ita ſunt prohibiti quidam ludi, quod tamen reſtitui non præcipiuntur, quæ lucrantur ſecundum legem illius ludi, ſicut ſunt torneamenta, & ſimiles ludi, qui non innituntur fortunæ, ſed tamen prohibiti ſunt. Propterea qui in tali ludo lucratur, licet peccet, cum faciat contra prohibitionem Eccleſiæ, non tamen reſtituere obligatur* —. Similia ſcripſit S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 23. §. 4. in fine — *De acquiſito per torneamentum dicit Ricardus in 4., quod non tenetur quis reſtituere: quia Eccleſia, etſi prohibet torneamentum, non tamen acquiſitionem per ipſum. Unde debet pauperibus erogari: De conſilio tamen magis, quam ex præcepto* —. Appoſite ait S. Bernardinus — *Secundum legem illius ludi*; vere etenim docet Aſteſanus loco proxime laud. in fine — *Si quis contra legem torneamentorum aliquid lucratus fuerit, ſi ſcit a quo habuerit, tunc ei reſtituetur, vel pro eo pauperibus dabit, ſi habet, unde poſſit. Si autem ſecundum leges torneamentorum aliquid lucratus fuerit, non tenetur ei reddere, a quo habuit; ſed in foro pœnitentiæ induci debet, quod illud in uſus pios eroget. Si autem hanc pœnitentiam ſuſcipere nolit, non debet ad eam cogi, ſed alia pœnitentia debet ei imponi, & abſolutio impendi* —. Ratio ea eſt, quam protulit S. Antoninus: quia nempe Eccleſia prohibuit torneamenta, non autem injunxit repetitionem eorum, quæ acquiruntur in ipſis; ſecus ac lege cautum ſit in ludo alearum, qui prohibitus eſt, data repetitione eorum, quæ in eodem amittuntur, ut ſuperius demonſtravi.

Quæres hic: an abſolvi poſſint, qui tenent domos paratas ad ludendum?

℞. De his merito S. Bernardinus To. 1. ſerm. 62. art. 3. cap. 1. in fine — *Omnes malignitate ludi participantes ſunt domos, atque loca ad ludendum accommodantes, qui omnium malignitatum, quæ ibi ſunt, cauſa efficaciſſima*

dici

dici poſſunt. Quod atteſtantur ipſæ juſtiſſimæ leges quas ediderunt Zelotes-Imperatores in pœnam eorum, per quos ad ludos domus accomodantur. Nam hoſpes luſores tenens privatur actione injuriarum: unde ff. DE ALEATORIBVS L. 1. ſtatuitur, quod ſi quis eum, apud quem in alea eſt luſum, verberaverit, & damnificaverit, ſive ei aliquid, quando ludebatur, ſubtractum a fure fuerit, judicium non datur. Quod ſecundum Azorium intelligi debet de eo, qui conſuevit luſores aleæ cauſa ſui emolumenti retinere: ſecus, ſi incidenter apud aliquem luderetur. O igitur fons tot iniquitatum, perjuriorum, & blaſphemiarum maledictus ludus! O domus profana, & omni ſcelere plena! O nummi impietatis, & conſummatæ iniquitatis, qui ex tua locatione procedunt: quæ horrenda judicia præſentia, & futura tuis locatoribus præparantur! —. Dubio ergo procul abſolvi hi non debent; immo nec poſſunt, quum ſcientes, & volentes præbeant aliis occaſionem proximam peccandi; niſi occaſionem ſtatim tollant, relinquant locationem hanc iniquiſſimam, & pene omnium peccatorum cauſam, & congruam de præteritis pœnitentiam agant. Vide inter alios Gennetum To. 1. Tract. 6. cap. 4. q. 8. Utinam omnes Confeſſarii uno animo, unoque conſilio ita ſe gererent, ſicuti debent. Hoc ſolum ſatis eſſet ad publicum hoc ſcandalum de medio urbium, & pagorum penitus evellendum.

Digitized by Google

Viceſimus quartus Titulus, qui eſt de Adulteriis, continet tres quæſtiones, ſeu tria Dubia.

Primum Dubium. Utrum mulier pariens ex adulterio, vel ſupponens partum, teneatur?

Reſpondeo, quod, quantum poteſt, tenetur ſatisfacere marito, vel hæredibus de damno, quod adfert ob talem partum ſuppoſitum: ita tamen ut non manifeſtet turpitudinem ſuam, præſertim quando imminet aliquod malum, quod ſemper eſt præſumendum: niſi in caſu, in quo viri ſciunt adulteria uxorum, & tolerant, vel ſaltem contradicere non audent. Tunc enim mulier revelare debet quod contigit: &, ſi maritus relaxat damnum illatum, ipſa erit libera L. *Nemo exterus* C. *de Judæis*, & L. *In re mandata* C. *Mandati*. Eſt & aliud remedium, ut ſcilicet mater inducat filium ad Religionem: vel quod moneat eum, ut ſe abſtineat ab hæreditate capienda. Concordant Innocentius, & Hoſtienſis. Quod ſi ipſa non poteſt marito ſatisfacere, nec ab eodem obtinere relaxationem, nec inducere filium ad ingreſſum Religionis: doleat tunc, & proponat ſatisfacere de ſuo quantum poterit, & erit libera. Concordant Monaldus tit. *Reſtitutio ſecundo*, & Petrus Caſuel tit. 17. lib. 1.

(227) Mulier hac ſuper re duobus modis poteſt delinquere. Primo, ſupponendo partum alienum, eumque educando tamquam proprium, inſcio marito. Secundo, concipiendo ex adulterio, filiumque ita natum habendo tamquam proprium, marito pariter nihil ſciente. In his duobus caſibus pari paſſu incedendum eſt, ut perſpicue Innocentius III. Extra *de pœnitentiis & remiſſionibus* cap. *Officii*, ſcilicet nono — *Significaſti quandam mulierem in pœnitentia tibi fuiſſe confeſſam, quod timens, ne viri poſſeſſio* *devol-*

devolveretur ad alios, quarundam herbarum ſuccum potavit, & ſic venter ejus intumuit: & inde gravidam ſe oſtendens, ſibi partum ſuppoſuit alienum: timenſque maritum, non vult facinus detegere, qui prolem credit ſine dubitatione qualibet eſſe ſuam. Quoniam igitur poſtulas edoceri, utrum ei hac fraude durante ſit pœnitentia injungenda: reſpondemus, quod ſicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem ſuſcepit, quamvis id viro ſuo timeat confiteri, non eſt pœnitentia deneganda: ita nec illi debet pœnitentia denegari: maxime ſi per alios intelligas alienos, ad quos timeat poſſeſſionem viri devolvi: ſed competens ſatisfactio per diſcretum Sacerdotem ei debet injungi — . De muliere partum ſupponente agit L. 10. C. *ad legem Corneliam de falſis* — *Cum ſuppoſiti partus crimen patrui tui uxori moveas, apud Rectorem Provinciæ inſtituta accuſatione id proba* — . Pœna hujus mulieris olim erat ultimum ſupplicium. ut L. 1. C. eod. tit. — *Si partus ſubjecti crimen diverſæ parti objicitis, cauſa capitalis in tempus pubertatis pueri differri non debuit, ſicut jam pridem mihi, & Divo Severo patri meo placuit. Neque enim veriſimile eſt, eam, quæ arguitur, non ex fide cauſam ſuam defenſuram, cum periculum capitis ſubeat* — . Sed hodie punitur duntaxat pœna extraordinaria falſi, exilio puta &c. ut ſcribit Ferraris ver. *Falſum* num. 79. poſt Farinaccium part. 10. q. 150. num. 239. cum ſequentibus, alioſque.

Caſum quod reſpicit, ipſum expendunt S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 18. §. 8., S. Bernardinus To. 1. ſerm. 38. art. 2. cap. 3., Aſteſanus lib. 5. tit. 39. verſus finem, Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. in reſp. ad penult. objectum, Gennettus To. 7. Tract. 7. cap. 1. q. 10., Gabriel Antoine de juſt. & jure part. 3. cap. 3. q. 4., Daniel Concina de juſt. & jure lib. 2. Diſſert 3. cap. 3. q. 4. & ſeq.. Et quamvis alii plures, alii minores conditiones, cautiones, & moderationes exprimant, omnes tamen eſſentialiter conſentiunt in id, quod Author breviter hic, & fuſius in Angelica ver. *Adulterium* num. 4. docet, atque conſtituit. Placet exſcribere verba S. Antonini, & S. Bernardini Senenſis — Nota, ſi mulier concepit per adulterium, vel ſupponit ſibi alienum partum, quicquid expenderet pro nutritione, & gubernatione illius creaturæ, & ad id, in quo ſuccederet putativo patri, tenetur totum ad reſtituendum: quia furtum commiſit quantum poſſibile eſt. De hoc tamen ſic dicit in ſumma Raymundus. Talis mulier debet laborare quibuſcumque modis poteſt, ut legitimi hæredes non fraudentur de hæreditate paterna; caute tamen. Revelare enim ſimpliciter marito, vel etiam ipſi ſpurio, vel ſuppoſito, non expedit abſolute, ſcilicet & ſine diſtinctione, ut dicit ibi Gloſſa. Tum quia forte inde provenirent homicidia, & adulteria: tum quia maritus forte dimitteret eam, & non valentes forſitan continere, uterque adulteraretur: tum forte quia non crederet ſibi. Ita ergo procedat. Revelet factum ſuum in pœnitentia Sacerdoti Parochiali, vel alteri magis perito: & poſtea cum ipſo, vel ſine ipſo revelet

velet Epiſcopo in pœnitentia. Et tunc Epiſcopus, vel etiam Sacerdos, ſi tantæ diſcretionis, vel maturitatis ſit, vel quod tutius eſt, ambo diligenter inquirant ſimul & caute, ſi ſpurius, vel ſuppoſitus ſit homo ſpiritualis, & timens Deum. Quo invento vocent eum ſecreto coram muliere, & ſi videbitur expedire, recepto prius Sacramento a muliere, quod non calumnioſe procedat: & etiam ab illo, quod factum ſecretum teneat: poterunt revelare ſibi, & inde conſulere, quod ingrediatur Religionem, vel quod transferat ſe ad longinquam regionem, & ſic nihil percipiat de bonis illius, quem credebat eſſe patrem. Hæc Raymundus. Idem Guillelmus, & Hoſtienſis. Et addit Hoſtienſis, quod etiam ipſa mulier poteſt marito revelare, ſi non timet ſibi periculum, ſicut ſunt aliquæ mulieres, quæ dominantur viris: & etiam aliquæ ſcientibus viris adulterentur, & filios ab aliis ſuſceptos ſcienter ipſi viri nutriunt tamquam ſuos. Et in hujuſmodi caſu conſulendum eſt, quod revelet marito, & ſic eo aſſentiente abſoluta eſt mulier quantum ad reſtitutionem: quia conceſſum eſt marito diſponere de ſuo ſicut placet. Hæc Hoſtienſis. Si vero illi ſpurio, vel ſuppoſito non poteſt revelari ſine periculo, vel etiam marito: aut etiam ſi facta revelatione tali filio ſecundum dictam formam non vult acquieſcere conſilio: tunc injungatur mulieri, quod de ſponſalitio ſuo, & aliis rebus, quas habet, vel in futurum habere poterit, ſatisfaciat juxta poſſe, dolens ſemper de peccato. Et ſi non poteſt plene ſatisfacere, proponat firmiter in animo, quod ſatisfaciet quam cito poterit: & ſic erit in bono ſtatu. Arguitur 22. q. 5. cap. *Hoc videtur*, & Extra *de pœnitentiis & remiſſionibus* cap. *Officii*, ubi ponitur talis caſus. Dicta autem ſatisfactio fiat mediante perſona diſcreta ſecrete & caute, & ſub hujuſmodi verbis. Quædam perſona tenetur vobis in hoc. Accipite. Idem Guillelmus, & Hoſtienſis, qui etiam addit, quod ſatisfaciat etiam hæredibus ab inteſtato, vel etiam ſcriptis, ſcilicet in teſtamento. Satisfaciet etiam, ut dicit Innocentius, illis, quibus veriſimiliter credit, quod ſua reliquiſſet: vel ſi hoc neſcitur, detur pauperibus. Quod ſi mulier non haberet quod daret, tunc ſecundum Innocentium ſi habet probationes, per quas relevare poſſet ſucceſſores prædictos a damno, quod habent ſua occaſione, debet eas adducere: niſi inde eſſet grave malum perventurum. Tunc enim non debet facere: quia minus malum eſt damnum rerum, quam corporum, & animarum: & idem eſt in ſimilibus. Si vero non habet probationes, ſileat 2. q. 7. cap. *Plerumque*. Filius autem hujuſmodi ſpurius, vel ſuppoſitus, ut dicit Gullielmus, non tenetur ſoli mulieri credere: præcipue cum multæ ſint malitiæ, & fallaciæ mulierum. Unde ſi in ſana conſcientia perſeverat, credo in toto, quod excuſatur per ignorantiam invincibilem factæ deceptionis de percipiendis. Si vero honeſtas fœminæ, & aliæ probabiles circumſtantiæ faciunt ei probabilem conſcientiam de veritate facti, & vult tutiorem viam tenere, nil ulterius percipiat. De perceptis autem, & jam

con-

conſumptis quamdiu habuit bonam fidem, conſulit Raymundus, quod reſtituat, vel componat, vel remiſſionem petat per aliquam aliam perſonam tacito negotio. Dicit tamen ad hoc non eſſe talem cogendum, ſi de facili non poteſt ad hoc induci. Sed de conſumptis Uldericus ſimpliciter dicit talem non teneri. Satis concordat Joannes Neapolitanus in Quolibeto. Et addit, non ſolum ſi periculum perſonæ immineret, ſed etiam amiſſionis famæ, & ſine periculo vitæ, non videtur, quod teneatur manifeſtare, ſi hoc probare non poteſt —. Hactenus S. Antoninus.

Fuſius S. Bernardinus loco ſupra citato — Sæpe contingit de uxore, cujus adulterinus filius de bonis mariti nutritur, & hæreditatur. Cui conſuli nequaquam debet quod id revelet marito ſuo; immo potius inhiberi poteſt. Et hoc propter ſeptem pericula a Doctoribus aſſignata. Primo, propter periculum infamiæ. Secundo, propter periculum ſcandali. Tertio, propter periculum mortis. Quarto, propter periculum improbabilitatis. Quinto, propter periculum majoris confuſionis mariti. Sexto, propter periculum majoris damni ejus. Septimo, propter periculum ruboris legitimæ prolis. Primo, propter periculum infamiæ, ſcilicet mulieris: quia hæc taliter revelando, cum eſſet antea bonæ famæ, ſe ipſam peſſime, ac turpiſſime diffamaret: quod quidem magnum eſt periculum mulieri. Nam ſecundum quod Proverb. 22. ſcriptum eſt — *Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*: quod licet intelligatur de viris, tamen turpius, & periculoſius inhoneſtatis infamia mulieribus ingerit notam. Secundo, propter periculum ſcandali, ſcilicet viri, & conſanguineorum, atque amicorum ejus, ſi illis hoc innoteſceret malum. Nam non ſolum apud ſe turbarentur ex eo, ſed vix ex tunc poſſent cum ea amicitiam, & pacem, ac concordem ſocietatem habere: immo forte maritus dimitteret eam, & non valentes forſitan continere, uterque adulterium perpetraret, & ſic innumerabilia, & irrecuperabilia inter eos orirentur mala. Tertio, propter periculum mortis, ſcilicet & uxoris & ſpuriæ prolis, atque adulteri ſui. Nam probabiliter timere poſſet, quod occideretur a viro, ſive ab aliquo propinquo ejus, ſive amico: immo etiam contingere poſſet, quod ejus maritus, ſeu quicumque alius, dum occidere quæreret alium, necaretur. Propterea ſecundum Scotum, ubi ſupra, concurrentibus tribus prædictis periculis, quæ videntur probabilia, & in pluribus eventura, non debet talis mulier ſuo conjugi revelare, & propter bonum incertum reſtituendæ hæreditatis talibus periculis ſe exponere manifeſte. Quarto, propter periculum probabilitatis: nam nec vir, nec filius, nec etiam publicus Judex mulieri hoc revelanti credere obligatur, niſi probet dictum ſuum per infallibilia ſigna, aut per violentas probationes, ſive per idoneos teſtes. Nam ex ſolo ejus dicto non poteſt exhæredare talem filium ſuum, maxime in terris, in quibus primogeniti ex conſuetudine in toto, vel in parte in hæreditate ſuccedunt. Inſuper ſecundum Scotum, ubi ſupra, in talibus terris,

ris, ſi pater crederet hoc uxori ſuæ, non poſſet tamen a ſpurio auferre hæreditatem, niſi in publico foro eum probaret talem: & tunc oporteret mulierem non tantum apud maritum, ſed apud totam patriam diffamari. Quinto, propter periculum majoris confuſionis mariti. Valde ignominioſum eſt viro, quod ſibi, vel alteri reveletur, uxorem ejus prolem de adulterio concepiſſe. Unde longe honeſtius, & honorificentius, & glorioſius ei eſt, quod hoc omnino celetur etiam ſibi ipſi. Sexto, propter periculum majoris damni ipſius mariti, qui longe amplius damnificatur in iſto, quam in nutriendo, & hæreditando filium non ſuum, quem exiſtimat eſſet ſuum. Conſtat enim, quod hujuſmodi exſtimatio paternitatis, & filiationis major, & propinquior cauſa eſt colligationis, & amicitiæ, aut complacentiæ, & gaudii patris ad filium, & econverſo, quam ſit ſola corporalis generationis virtus abſque tali exſtimatione. Nam tali exſtimatione omnino amota, ſic per omnia ſe habet pater ad filium ſuum, ſicut ad extraneum, & econverſo. Dentur denique duo viri, quorum unus firmiter credat, atque credatur eſſe pater dicti filii, & non eſt: alter vero nec credat, nec credatur, & tamen eſt. Nunc quæritur quis illorum duorum plus boni, & gaudii, & præſidentiæ, ac juris habebit in præfato filio? Et indubitanter veraciter experimur, quod incomparabiliter plus habet putativus pater, quam verus: nam & filius etiam ſecundum Deum non tenetur obedire, ac filiationis reverentiam exhibere patri vero, ſed putativo. Neque inſuper pater verus filium talem diligere obligatur, nec eum habere pro filio ſuo; putativus autem ad hujuſmodi obligatur. Vides igitur, quantum bonum uxor revelans proprium crimen, auferret putativo patri. Utique fere tantum quantum ſi auferret ſibi verum filium, & pro vero filio reputatum. Septimo, propter ruboris periculum legitimæ prolis. Multum nempe illi ex hoc detraheretur, cum infamia matris plurimum vergat in infamiam prolis: Sed circa hoc etiam quæri poteſt, ſi unquam marito, vel aliis extra confeſſionem debeat mulier revelare? Dicendum quod ſic, ſi hæc tria concurrant ſimul. Primo, ſi apud maritum, & alios primo ſuper hoc gravis & fortis ſuſpicio impreſſa eſſet, & occaſio taliter ſuſpicandi. Secundo, ſi ex certis, & ſufficientibus cauſis poteſt, & debet vehementer, & valde probabiliter credi, quod nihil de primis tribus periculis ſupradictis hic ſubſequeretur, aut creſceret, ſed potius minueretur. Tertio, ſi firmiter præſumatur, quod filius bonis mariti voluntarie cedet. His autem tribus concurrentibus, revelare deberet, & poſſet. Sed vix iſta concurrunt, & rariſſime præſumendum eſt, quod concurrant. Inſuper dici poſſet ſecundum VVilielmum, quod etiam revelare poſſet, ſi non timet maritum, vel aliud imminere periculum. Sunt utique quidam viri ſcienter uxorum adulterium ſuſtinentes, vel etiam conſentientes; immo quandoque ad hoc uxores ſuas arctantes, vel quia proprios filios non poſſunt habere, vel alia quacum-

que

que pudenda occaſione. Sed nunquid mulier talis debet revelare crimen ſuum filio ſpurio, & inducere eum ad dimittendam hæreditatem vero hæredi? Ad hoc dicendum ſecundum Scotum, ubi ſupra, quod aut filius crederet matri, aut non. Si autem crederet; non tamen probabile eſt, quod propter hoc dimitteret hæreditatem; nam paucos reperire contingit, qui ita perfecti ſint, quod propter conſervandam conſcientiam in foro Dei dimittant magnas poſſeſſiones, quas retinere poſſunt jure exteriori, & velint ſpurii reputari. Nec hoc mater præſumere poteſt, niſi antea multum fuiſſet experta de bona voluntate filii ſui. Non igitur debet ſe exponere certo periculo diffamationis apud filium propter incertam correptionem illius. Si vero non crederet, tunc ſequeretur inde duplex malum. Primum, quia ipſa diffamaretur. Secundum, quia ab eo hæreditas ſicut antea poſſideretur. Si quis obſtet, quod tali filio debeat revelari, ne forte ignoranter copularetur per matrimonium ſorori ſuæ, aut alteri ſuæ propinquæ, ſeu alia faceret, quæ a jure ſpuriis prohibita ſunt. Dicendum, quod talis ignorantia, dum perſeverat, omnino excuſat, cum ſit ignorantia facti. Si quando tamen factum veniret ad lucem, tale matrimonium dirimendum eſſet. Si vero quæratur: an dato, quod talis filius ex verbis matris ſe ſpurium credat, teneatur ſatisfacere bona, quæ habuit a marito matris, cæteris filiis, aut aliis hæredibus prædicti mariti? Dicendum, quod ſi hoc indubitanter credit, & rationem id credendi habet, tenetur ſecundum Deum, non tamen humano jure. Si tamen non habet ſufficientem cauſam, & rationem credendi, tunc reddere non tenetur, ex quo per ſe, vel per alterum ſibi claret, quod non habet ſufficientem, ſeu condignam rationem credendi. Sunt autem inter cætera, quatuor ſigna, quæ reddunt ſuſpectam talem matrem, ita quod hoc ei de facili non debet credi. Primum eſt amor. Secundum eſt odium. Tertium ſtultitia. Quartum incertitudo. Primum eſt amor, ideſt ſi prædiligit aliam prolem viri ſui. Secundum eſt odium, videlicet ſi præſumitur ipſum, vel ejus uxorem odiſſe. Tertium eſt ſtultitia, quia ſcilicet mulier fatua, aut levis eſt, ſed pertinacis ſenſus. Quartum eſt incertitudo, cum non conſtet ipſam eſſe, vel fuiſſe certam, quod hunc concepit de adultero, aut de viro; non enim hoc cum omni certitudine poteſt ſemper adulteræ eſſe certum. Sed quod remedium debet tali mulieri exhiberi? Dicendum, quod ei ſecundum Scotum, ubi ſupra, triplex remedium dari poteſt. Primum eſt, quod inducat filium intrare Religionem, tamen talem, quod poſſit profeſſionem ſuam ſervare, ne ſcilicet incidat in Scyllam cupiens vitare Charibdim. Secundum eſt, quod Clericus fiat, unde valeat, tamen ſecundum Deum, Eccleſiaſtica beneficia acceptare, & his quaſi ſufficientibus merito jam contentus dimittat hæreditatem alteri fratri laico in ſæculo remanenti. Si tamen per nullam perſuaſionem honeſtam cor talis filii mater flectere poteſt, ut hæreditatem dimittat: non videtur, quod ſe debeat prodere illi,

cum certa non ſit, quod talis ab ea imperſuaſibilis in aliis tam licitis & honeſtis flecteretur ex illo; immo forte tenacius retineret, ne ſpurius putaretur, cum talem notam multum caveant male nati. Tunc demum tertium remedium eſt addendum, ſcilicet quod ſalvo jure humano, & abſque infamia ſua poteſt, & debet de ſua dote, & ceteris bonis & laboribus, ac ſudoribus ſuis indemnem facere virum, & legitimam ejus prolem. Obligatur enim ſatisfacere viro de conſumptis ab illegitimo filio. Sed talis filius ſatisfacere non tenetur quæ conſumpſit quamdiu bonæ fidei fuit. De hæreditate autem mulier obligatur hæredibus viri ab inteſtato, vel hæredibus ſcriptis, vel quibus veriſimiliter creditur, quod reliquiſſet hæreditatem. Quod ſi neſcitur, debet pauperibus erogari. Tenetur inquam ſecundum correſpondentiam juſtitiæ; non enim dico, quod teneatur ad reſtituendum æquivalens totius hæreditatis: quia, ſicut ſuperius dictum eſt, plurimum quidem differt in habere, & prope eſſe habere. Sed quia iſte legitimus hæres nunquam habuit hæreditatem, licet ſecundum juſtitiam fuerit prope; propterea minus quam æquivalens hæreditati ſibi ſufficit pro reſtitutione futura. Illud autem minus determinetur ſecundum arbitrium boni viri. Videtur tamen, quod ei debeat providere de victu ac veſtitu honeſto, ſi fuerit hæreditas pinguis, ut ſufficere poſſit hæredi ad duplum, ſive ad triplum iſtius. Quod ſi neque hoc etiam fieri poteſt, pro tunc non obligatur. Tenebitur tamen, cum pervenerit ad pinguiorem fortunam Extra *de ſolutionibus* cap. *Odcardus*. Si vero talis mulier non habet, unde reſtituere poſſit: tunc ſicut in articulo ſeq. apparebit, ex impotentia excuſatur, ſi habeat ſatisfaciendi propoſitum, cum devenerit ad pinguiorem fortunam. Inſuper attente notandum eſt, quod ea, quæ dicta ſunt de adultera quoad reſtitutionem, eadem dicenda ſunt de adultero ſecundum quoſdam. Cujus ratio eſſe poteſt, quia ad prædicta damna cum adultera præfata dedit cauſam efficacem, quam qui dat, ſemper reſtituere obligatur, ſicut in ſermone 34. in principio patet de ſupponente ſibi alienum partum. Idem dicunt Doctores de adultera, quæ filium de adulterio generavit: nam ubi talia pericula evenire contingit, prædicta remedia adhibenda ſunt, & juxta ſuperius dicta reſtitutio eſt facienda. Nec eſt tali mulieri pœnitentia deneganda, ſed debita ſatisfactio injungenda: ſicut nec etiam prædictæ mulieri filium de adulterio generanti *de pœnitentiis & remiſſionibus* cap. *Officii*: in quo capitulo mulier ſupponens alienum partum in hoc ſociatur cum muliere filium de adulterio generante —. Hactenus S. Bernardinus.

Fulgentius Cuniliati caſum exhibet, in quo de mente ipſius mulier tenetur pandere crimen ſuum etiam cum vitæ, famæque diſpendio. En ipſius verba — *Hic caſus eſt, ſi filius ſpurius eſſet morum corruptiſſimorum, ita ut etiam Catholicæ fidei abrenunciaſſet, & alioquin ſuccedere deberet genitori putativo in Principatu: ex cujus ſucceſſione jam proxima nemo non vi-*

videt, quot & quanta mala reſultarent bono communi fidei, divino cultui, morum honeſtati &c. In hoc caſu, ad impedienda efficaciter mala imminentia adeo gravia, & anteferenda vitæ & famæ cujuſcumque particularis perſonæ, quia communia Religionis, & populi: teneretur mater revelare marito crimen ſuum, procurans interea meliori modo, quo poſſet, ſecuritatem vitæ ſuæ, ſi de eadem metueret --. Idem ſcribit Daniel Concina lib. 2. de juſt. & jure cap. 3. num. 13., potius ex aliorum quam ex propria ſententia loquens. Mala certe in hoc caſu ſunt gravia, immo graviſſima. Sed, an ad hæc avertenda quis teneatur prodigere & vitam & famam, judicent alii. Præſertim quum revelatio criminis in hoc caſu non tam facile firmiter crederetur, & firmiter credita fons eſſet, & origo malorum adeo gravium, quæ forte non eſſent imminentibus inferiora. Arbitrarer potius in hoc graviſſimo caſu, quod mater conſuleret Summum Romanum Pontificem, & ejuſdem conſilio acquieſceret.

Secundum Dubium. Utrum filius illegitimus, qui poſt præſcriptionem in ſucceſſione hæreditatis cum filiis legitimis cognoſcit ſe eſſe illegitimum, teneatur reſtituere, & hæreditatem remittere?

Reſpondet Monaldus ubi ſupra, quod non, ſi bona fide præſcripſit. Si autem ante completam præſcriptionem fuit malæ fidei poſſeſſor, reſtituere tenetur quod accepit.

(228) Præmitto hic doctrinam, quam tradit Anacletus lib. 4. Decretalium tit. 17. §. 2. num. 24. & ſeq. -- Illegitimi ſunt omnes, qui non naſcuntur ex matrimonio legitimo, vel ſaltem putative tali, bonaque fide in facie Eccleſiæ contracto juxta dicta num. 2. & ſeq.: adeo ut illegitimi exiſtant non tantum illi, qui extra omne matrimonium, ſed etiam qui ex matrimonio, invalido tamen, & mala amborum parentum fide contracto, gignuntur. Communis, ac certa per jura num. 2. & ſeq. allegata. Illegitimi varie dividuntur. Alii enim ſunt, & dicuntur naturales, alii ſpurii, alii ex damnato coitu. Naturales de jure communi dicuntur omnes, qui nati ſunt a parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel ſaltem nativitatis poterat eſſe legitimum matrimonium, ſive dein mater fuerit meretrix publica, ſive concubina patris. De jure civili autem, naturales dicuntur illi ſoli, qui ex ſoluto & ejuſdem concubina unica domi, loco uxoris retenta, atque tali ut inter eos tempore conceptionis, aut nativitatis potuiſſet eſſe matrimonium, proveniunt, L. 1. & ſeq. ff. *de concubinis*. Illi vero, qui ex meretrice pluribus expoſita proveniunt, vulgo quæſiti, item ſpurii vocantur, L. *Vulgo concepti* ff. *de ſtatu hominum*.

num. Item Manzeres. Verum quia hodie concubinatus per leges Eccleſiæ ſublatus eſt Can. *Nemo* 4. cauſ. 32. q. 4., & Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reformatione matrimonii cap. 8., ubi etiam graviſſimæ contra concubinarios ſtatuuntur pœnæ: naturales in ſenſu juris civilis vix amplius dantur, quibus tamen æquiparantur. Baſtardi, ideſt nati ex ſoluta, quæ nec concubina, nec publica meretrix, ſed alias honeſta, hic & nunc autem ſeducta eſt. Spurii de jure canonico vocantur omnes, qui ſunt nati a parentibus inter quos tempore conceptionis, vel nativitatis non poterat eſſe matrimonium. Arguitur cap. *Cauſam* 4. hoc tit. (ſcilicet *Qui filii ſint legitimi*). De jure civili vero non tantum præfati, ſed etiam illi ſpurii dicuntur, qui a meretrice pluribus acceſſum præbente, ita ut certus pater demonſtrari nequeat, gignuntur, juxta dicta num. præced. Arguitur L. *Vulgo* 23. ff. *de ſtatu hominum*: ibi: *Vulgo quæſiti ſunt, qui patrem demonſtrare non poſſunt, vel poſſunt quidem, ſed eum habent, quem habere non licet: qui & ſpurii appellantur* --. Nati ex damnato coitu de jure canonico cum ſpuriis conveniunt; immo etiam de jure civili, excepto quod nati ex matre meretrice hoc jure etiam ſpurii, non item ex damnato coitu, vocari poſſunt. Cæterum utroque jure nati ex damnato coitu dicuntur illi, qui naſcuntur a parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec tempore nativitatis potuit eſſe matrimonium, Novella 74. cap. 6. Horum ſpuriorum, ſeu natorum ex damnato coitu alii ſunt, & vocantur adulterini, qui videlicet ex adulterio gignuntur Can. *Nemo* cauſ. 32. q. 4. Alii ſacrilegi, qui ſcilicet ex Religioſo, aut Moniali, vel Clerico in ſacris conſtituto generantur. Alii inceſtuoſi, nati nempe ex parentibus affinitate, vel conſanguinitate collaterali conjunctis §. *Inter eas* Inſtitut. *de nuptiis*. Alii nefarii, & ſunt illi, qui ex patre & filia, aliorumve aſcendentium, & deſcendentium copula procreantur §. *Ergo* Inſtitut. *de nuptiis* — Hactenus ille.

Planiorem ſi vis filiorum diviſionem, eam habeto a Daniele Concina lib. 3. de juſt. & jure Differt. 5. cap. 3. num. 7. — Triplex filiorum genus. Alii ſunt legitimi, qui nempe ex legitimo matrimonio, vel ut tali reputato, nati ſunt, aut per ſubſequens matrimonium legitimati. Alii naturales, nati ex parentibus nullo impedimento dirimente irretitis, ſed qui contrahere ſimul matrimonium poterant. Impedimentum ſolum impediens, ut eſt ſimplex caſtitatis votum non tollit, quin ſint naturales. Alii ſunt ſpurii, qui nempe nati ſunt ex parentibus qui contrahere ſimul non poterant, quia impedimento dirimente devincti: puta ſi alter parentum eſſet matrimonio ligatus, aut conſtitutus in ſacris, aut Religioſus profeſſus: ſi eſſent conſanguinei uſque ad quartum gradum --. Hæc Concina. Author in præſenti non loquitur de filiis naturalibus; in his enim poni nequit bona fides, qua poſſint præſcribere, quum naſcantur ex parentibus liberis ſine pallio matrimonii, quo filii poſſint bonam fidem obtegere. Legitimari

Digitized by Google

timari quidem hi poſſunt, & legitimantur reipſa per ſubſequens matrimonium ad differentiam eorum, qui ſunt ſpurii, ut perſpicue Alex. III. cap. *Tanta* Extra *Qui filii ſint legitimi — Tanta eſt vis matrimonii, ut qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimonium legitimi habeantur. Si autem vir vivente uxore ſua aliam cognoverit, & ex ea prolem ſuſceperit, licet poſt mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus ſpurius erit filius, & ab hæreditate repellendus: præſertim ſi in mortem uxoris prioris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus —*. Sed tunc non indigent bona fide; quum hi per ſubſequens matrimonium in omnibus æquiparentur filiis ex legitimo matrimonio poſtmodum procreatis — *quia*, ut ait Gloſſa ſuper laud. capite, *matrimonium omnia præcedentia purgat, & ſic proxima, ſive etiam præcedens cauſa turpitudinis ſublata eſt —*. Et iccirco & ipſi inter hæredes ab inteſtato connumerari debent, textu aperto Inſtitut. *de hæreditatibus, quæ ab inteſtato* §. 2. — *Nec non eos, quos noſtræ amplexæ ſunt Conſtitutiones, per quas juſſimus, ut ſi quis mulierem in ſuo contubernio copulaverit non ab initio affectione maritali, eam tamen, cum qua poterat habere conjugium, & ex ea liberos ſuſtulerit: poſtea vero affectione procedente etiam nuptialia inſtrumenta cum ea fecerit, & filios vel filias habuerit: non ſolum eos liberos, qui poſt dotem editi ſunt, juſtos, & in poteſtate patris eſſe; ſed etiam anteriores, qui & iis, qui poſtea nati ſunt, occaſionem legitimi nominis præſtiterunt: quod obtinere cenſuimus, etſi non progeniti fuerint poſt dotale inſtrumentum confectum liberi, vel etiam nati ab hac luce fuerint ſubtracti —*. Loquitur igitur Author duntaxat de filiis ſpuriis, & ſingillatim de ſuppoſitis, vel ex adulterio procreatis. In his profecto locum habere quandoque poteſt bona fides, ſemel ac invincibiliter ignorent, vel ſuiſſe ſuppoſitos, vel genitos ex adulterio. De iiſdem Author conſtituit, quod ſi bona fide præſcripſerunt, non tenentur reſtituere acceptum; tenentur autem, ſi ante completam præſcriptionem incipiant eſſe poſſeſſores malæ fidei. Doctrina hæc eſt communis, communiſſima in materia præſcriptionis; nec invenio aliquid ſecus ſancitum in jure civili, vel canonico in odium hujuſmodi filiorum. Non intelligo iccirco qua ratione ductus ſcripſerit Fulg. Cuniliati To. 1. Tract. 9. de 7. Decal. præcepto cap. 6. §. 2. in fine — *Notando, quod filio ſpurio nulla præſcriptio ſuffragari queat reſpectu bonorum etiam plurimis annis poſſeſſorum, illegitimum priuſquam ſe naſceret —*. Ut id adferatur, neceſſum eſt aliquid proferre ex jure civili, vel canonico ita præſtituens. Si igitur hoc omnino deſideratur, ii filii, de quibus ſermo, communi præſcriptionis beneficio non ſunt privandi. Vide, ſi placet, Authorem in Angelica ver. *Adulterium* num. 6., Roſellam ver. ibidem *Adulterium* num. 3., & ver. *Præſcriptio* num. 14., alioſque.

Tertium Dubium. Utrum mulier inſtituere poſſit hæredes

redes filios ſuos ex adulterio ſuſceptos ?

Reſpondet Monaldus ubi ſupra, quod ſic, ſi conſuetudo ſit, quod poſſit quis inſtituere hæredem, quem voluerit, reſervata legitima filiis legitimis. Secus, ſi talis conſuetudo non eſt: Gloſſa tamen in cap. *Tanta* Extra *Qui filii ſint legitimi* videtur tenere, quod mater conſtituere poteſt hæredem natum ex adulterio; non autem pater cum ſolum patri hoc prohibeatur Authentica *Licet* C. *de naturalibus liberis*, & 32. q. 4. cap. *Dicat aliquis*. Et hoc tu tene, niſi adſit conſuetudo in contrarium, vel ſtatutum aliquod municipale: ſemper tamen reſervata legitima filiis legitimis, ſi eos habet.

(229) Quatuor in hac reſponſione ſua Author noſter conſtituit. Primum, quod filii ſpurii, & ſingillatim ex adulterio ſuſcepti, de quibus ſermo, non ſuccedunt in hæreditatem patris. Secundum, quod pater non poteſt eos hæredes inſtituere. Tertium, quod hæc inſtitutio matri non eſt prohibita, immo permiſſa. Quartum, quod in hoc attendi debet conſuetudo patria, ſi quæ reperiatur. Duo prima perſpicua ſunt in jure tum civili tum canonico. Civili quidem; nam Authentica *Quibus modis naturales efficiuntur ſui* Novella 89. cap. 15. — *Primum quidem omnis, qui ex complexibus (non enim hoc vocamus nuptias) aut nefariis, aut inceſtis, aut damnatis proceſſerit, iſte neque naturalis nominatur, neque alendus eſt a parentibus, neque habebit quoddam ad præſentem legem participium* —: & Authentica *licet* C. *de naturalibus liberis* — *Licet patri ſine legitima prole, ſeu parente, cui relinqui neceſſe eſt, decedenti, naturalibus totam ſubſtantiam ſuam, vel inter vivos largiri, vel in teſtamento tranſmittere. Quod ſi parentes duntaxat ei ſuperſint, legitima parte parentibus relicta, reliquum inter naturales diſtribui permittitur. Ab inteſtato vero, cum deſit ſoboles civilis, nec ſuperſit conjux legitima: ſi naturales ex concubina extant, quæ ſola fuerit ei indubitato affectu conjuncta, in duas paternæ ſubſtantiæ uncias ſuccedant, ut matri inter eos virilis portio, ſi ſupereſt, detur. Hujuſmodi enim naturales filios paſci boni viri arbitrio eſt neceſſe, ſive legitimi extant, & ſuccedunt, ſive conjuge viva quilibet alii ſunt hæredes. Hi ergo & parentibus parem præſtent, ſi opus ſit, pietatem. Sed qui ex damnato ſunt coitu, omni prorſus beneficio ſecluduntur* —: & Authentica *Ex complexu* C. *de inceſtis, & inutilibus nuptiis* — *Ex complexu nefario, aut inceſto, ſeu damnato, liberi, nec naturales ſunt nominandi, omnis paternæ ſubſtantiæ indigni beneficio, ut nec alantur a patre* —. Jure item Canonico

32. q. 4.

Digitized by Google

32. q. 4. cap. 9. – *Dicat aliquis, uxorem non habeo, ideo ancillam mihi ſociavi. Audi quid dicat Sriptura ad Abraham: Ejice ancillam & filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Si igitur ancillæ filius hæres non eſt; ergo nec filius eſt. Cur autem quæritur tale conjugium, de quo ſuſceptus filius nec ſucceſſionis poſſit hæres eſſe, nec ſanguinis? Nec enim habere poteſt hæreditatis conſortium, qui non habet originis privilegium. Cur, inquam, quæritur tale contubernium, de quo nati non filii ſint matrimonii ſed teſtes ſint adulterii* – Perbelle igitur Gloſſa omnia complectens, quæ ſuper hac re ſpectant ad filios hujus, vel alterius generis, in cap. *Tanta* in fine Extra *Qui filii ſint legitimi* – Nota, quod quidam filii dicuntur legitimi tantum, ut adoptivi, ſive arrogati, de quibus habes ſupra *de cognatione legali* cap. unico. Alii dicuntur legitimi, & naturales, ut nati ex legitimo matrimonio vero, vel putativo, ſive ab initio, ſive ex poſt facto. Iſti ſuccedunt parentibus ſuis, ſupra eod. cap. *Cum inter*, & infra eod. cap. *Ex tenore*, & ſupra eod. cap. 1., & C. *de legitimis hæredibus* per totum. Alii dicuntur naturales, & non legitimi, ut nati ex concubinis in domo. Iſti ſuccedunt in duabus unciis ab inteſtato, C. *de naturalibus liberis* Authentica *Licet patri*. Alii dicuntur ſpurii, ut nati ex adulterio, vel vulgo concepti ff. *de ſtatu hominum* L. *Vulgo*: & iſti in nullo ſuccedunt, nec inſtitui poſſunt a patre, ut in prædicta Authent. *Licet patri*, & 32. q. 4. cap. *Dicat aliquis*: nec ali debent de bonis paternis C. *de inceſtis, & inutilibus nuptiis* Authent. *Ex complexu* – Hactenus Gloſſa. Tertium, quod nempe mater hos ſpurios inſtituere poſſit hæredes, arguit Author tum hic, tum in Angelica ver. *Filius* num. 1. in fine, ex eo quod de hoc altum in lege ſilentium eſt. Regula eſt 195. ff. *de diverſis Regulis juris antiqui – Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent* –. Si igitur hujuſmodi inſtitutio per legem ſoli patri vetatur, matri per legem cenſetur eſſe permiſſa. Dico per legem; non enim in foro animæ laudarem, condemnarem immo matrem illam, quæ ſine juſta graviſſima cauſa filiis legitimis ſolam relinqueret legitimam, quam iiſdem non poteſt auferre, & ſpurium, cui nihil debet, faceret hæredem. Ultimum ſummæ æquitati innititur. Conſuetudo hæc, quod mater non poſſit ſpurium ſcribere hæredem in odium filiorum, qui ex legitimo matrimonio procreati ſunt, ſi alicubi eſſet, dubio procul foret ipſa multum laudabilis, & juri naturali quam maxime conſentanea, ut quiſque videt. Servanda igitur eſſet eo in caſu; immo optandum vehementer foret, quod ubique gentium lege patria id conſtitueretur: ne matres quaſi in injuriam Sacramenti publicum teſtimonium relinquant propriæ turpitudinis.

Vice-

Viceſimuſquintus Titulus ; qui eſt de Simonia, continet duas quæſtiones, ſeu duo Dubia.

Primum Dubium. Utrum acceptum ſimoniace ſit reſtituendum?

Reſpondet Panormitanus de Simonia in cap. *Ex tuæ*, quod aut pacto interveniente datur temporale pro ſpirituali, puta eligere, ordinare ſpiritualiter pro temporali, vel pro temporali omittere collationem ſpiritualem, puta non eligere, non ordinare, non ferre teſtimonium: & tunc de neceſſitate eſt reſtituendum. Aut non intervenit pactum, ſed ſolum habetur mens depravata: puta in animo determinat quis non præſentare, non eligere, niſi prius accipiat aliquid temporale: & tunc eſt Simonia mentalis, quæ per ſolam pœnitentiam aboletur, Extra *de Simonia* cap. ult.. Aut nec pactum intervenit, nec mens eſt depravata, ſed liberaliter aliquid datur, liberaliter item accipitur: & tunc nulla Simonia eſt cap. *Tua nos* ibidem, nec reſtitui debet acceptum. Aut demum dubia res eſt: an mens fuerit depravata, nec ne: & tunc quoad ſimoniam recurrendum eſt ad conjecturas; quoad reſtitutionem autem nulla erit obligatio.

(230) *Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum. Hæc autem contrahitur tripliciter ſecundum Gregorium, ſcilicet munere a manu, quod eſt pecunia: munere ab obſequio, quod eſt ſervitus indebita impenſa: munere a lingua, quod eſt favor. Tres autem ſunt differentiæ materiales Simoniæ. Prima eſt, quando venditur ſpirituale, ſicut ſunt Eccleſiæ Sacramenta. Secunda eſt, quando venditur annexum ſpirituali, ut eſt Præbenda, quæ ratione conſanguinitatis, ſive pretii, vel favoris datur, & obtinetur indigne. Tertia eſt, quando venditur*

ditur ſpirituale , & annexum ſpirituali , ut eſt prædicatio —. Ita S. Bonaventura prima parte Centiloquii ſect. 30. Hujus criminis malitiam egregie exponit idem S. Doctor in 4. Sentent. diſt. 15. art. 1. q. 4. ſcribens — *Dicendum , quod ille , qui emit , vel vendit ſpiritualia , aut credit ea pro pretio poſſe æſtimari , & valori rei terrenæ æquari , & pro pecunia poſſideri , & hæc eſt hæreſis manifeſta , & ſic æſtimavit Simon Magus . Tolit enim errat in fide , quia credit gratiam non eſſe gratiam . Aut ille , qui vendit , & emit , non credit , quod gratia Dei per pecuniam comparetur , ſed tamen ardent avaritia nititur aliquid aſſequi , vel impetrare per pecuniam , quod ad humanam ſpectat diſpenſationem : & ſic non eſt peccatum fidei , ſed morum : quoniam talis peroptime novit , & malefacit , ſicut & ille , qui fornicatur ſciens fornicationem eſſe peccatum , non errat in fide , ſed in via morum . Et ſic Simoniacus eſt avarus , & in peſſima ſpecie avaritiæ , nec eſt hæreticus proprie , ſed tamen a Sanctis hæreticus vocatur , ſive quia ad modum hæretici operatur , ſive quia prout hæreticus projicitur a Dei ſervitio , & cultu propter enorme ſcelus* .

Super Simonia tres habemus propoſitiones a Summis Pontificibus proſcriptas , quæ ſunt ſequentes .

Non eſt contra juſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis , quia collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica , pecunia interveniente , non exigit illam pro collatione Beneficii , ſed veluti pro emolumento temporali , quod ſibi conferre non tenebatur — ab Alex. VII. an. 1665. in ord. 22.

Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia , quando temporale non datur tamquam pretium , ſed duntaxat tamquam motivum conferendi , vel efficiendi ſpirituale : vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali , vel econtra — ab Inno. XI. an. 1679. in ord. 45.

Et id quoque locum habet , etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale ; immo etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis , ſic ut illud pluris æſtimetur , quam res ſpiritualis — ab eod. Pontifice in ord. 46.

Authores harum propoſitionum in extremum lapſi ſunt , ut Simoniæ faverent ; & in aliud oppoſitum extremum prolapſus eſt Joannes VVicléphus hac ſua propoſitione — *Omnes ſunt Simoniaci , qui ſe obligant orare pro aliis , eis in temporalibus ſubvenientibus* — quam propterea diris merito devovit an. 1418. Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 45.

Simonia alia eſt juris naturalis & divini , juris Eccleſiaſtici altera . Prima prohibita eſt , quia ſuapte natura mala ; ſecunda autem mala eſt , quia prohibita . Exemplum primæ eſt , ſi pro re temporali ematur , vel vendatur res natura ſua ſpiritualis , cujuſmodi ſunt Sacramenta , aut res ſpirituali annexa , cujus indolis ſunt Beneficia , vaſa ſacra , & hujus generis alia . Recta enim ratio dictat , rem ſacram indigne , & irreverenter tractari , ſimul atque datur pro re temporali . Merito igitur Apoſtolus Petrus Simoni Mago , qui primus omnium in Evangelica lege tantum ſcelus

Digitized by Google

patravit, reſpondit Act. 8. v. 20. — *Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri* —. Exemplum ſecundæ eſt, ſi quis ſine Superioris auctoritate permutet Beneficium cum Beneficio, aut vendat officia ad temporalem rerum Eccleſiæ adminiſtrationem ſpectantia, aut ſi litigantes ſuper re beneficiali propria auctoritate tranſactionem edant. Primum ſancitum fuit ab Urbano III. Extra *de rerum permutatione* cap. *Quæſitum — Generaliter itaque teneas, quod commutationes Præbendarum de jure fieri non poſſunt, præſertim pactione præmiſſa, quæ circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus, labem ſemper continet Simoniæ. Si autem Epiſcopus cauſam inſpexerit neceſſariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre perſonas, utpote quæ uni loco minus ſunt utiles, alibi ſe valeant utilius exercere* —. Secundum præſtitutum fuit ab Inno. III. Extra *de Simonia* cap. *Conſulere — Quicumque vicedominatum, vel aliam Eccleſiaſticarum rerum adminiſtrationem per pecuniam obtinere voluerint, tam ementes quam vendentes cum Simone percelluntur, & ab illa Eccleſia, in cujus contumeliam dare pecuniam, & accipere voluerunt, juſte excluduntur* —. Idem legere eſt 1. q. 1. cap. *Si quis Epiſcopus*, & ibid. q. 3. cap. *Salvator*. Tertium denique arguitur ex cap. *Conſtitutus* Extra *de tranſactionibus*, quod eſt Alex. III. — *Conſtitutus in noſtra præſentia G. Clericus ſua nobis aſſertione monſtravit, quod cum inter ipſum & A. Clericum ſuper Capella de Stratis controverſia emerſiſſet, tandem per tranſactionem ſopita fuit: & licet hinc inde fide præſtita firmata fuiſſet, eam tamen præfatus A. ſervare recuſat. Quia igitur hujuſmodi tranſactiones ſpeciem continent Simoniæ, mandamus, quatenus revocata tranſactione in irritum, cauſam audiatis.*

Simonia inſuper dividitur in mentalem, conventionalem, realem, & confidentialem. Mentalis ea cenſetur, quæ ſolo interno voluntatis actu peragitur ſine ullo pacto expreſſo, vel tacito. Dupliciter hæc poteſt contingere. Primo, dum quis unice deſiderat emere, aut vendere rem ſpiritualem, nihil interim executioni mandans. Secundo, dum aliquod munus ab obſequio, a manu, vel a lingua quis exterius offert intentione aliquid ſpirituale accipiendi medio illo munere, tamquam pretio, vel quaſi pretio, quin tamen exterius nec explicite, nec implicite indicet, ſe munus illud præbere tamquam pretium, vel quaſi pretium rei ſpiritualis. Conventionalis ea eſt, qua quis Simoniæ mentali pactum adjicit tacitum, vel expreſſum dandi, aut accipiendi aliquid temporale pro ſpirituali. Si conventio inita ex neutra parte reducatur ad actum, quia qui convenerunt, vel facti pœnitentia ducuntur, vel conventum nequeunt exequi, vocatur ſimonia conventionalis pura, & quantum ad pœnas Canonicas in eadem conditione eſt, ac Simonia mentalis. Si vero ab uno ex contrahentibus executioni mandetur dando temporale, vel ſpirituale conventum, tunc dicitur Simonia conventionalis mixta, ſeu ſemircalis, & vera Simonia eſt omnibus pœnis contra Simoniacos latis obnoxia. Realis Simonia

ea

Digitized by Google

ea dicitur, in qua poſt conventionem tacitam, vel expreſſam, contrahentes hic inde perficiunt, & implent quod ab iiſdem mutuo conſenſu fuit præſtitutum, ut unus det temporale, alter vero ſpirituale promiſſum, aut ſpirituali annexum. Confidentialis demum tunc habetur, cum quis Beneficium procurat eligendo, præſentando, reſignando, aut alio quovis modo, cum confidentia, ſeu pacto expreſſo, vel tacito, ut is, cui procuratur, reſignet vel procuranti, vel alteri, aut ut penſionem, vel fructus ex eo reddat. Quatuor modis hoc poteſt contingere, per acceſſum nempe, per ingreſſum, per regreſſum, & per lucrum. Per acceſſum dicitur, quando quis volens procurare Beneficium alicui nondum ætate capaci, illud alteri confert ea conditione, ut, cum ille capax erit, Beneficium eidem reſignetur. Dicitur per ingreſſum, cum quis Beneficium jam ſibi collatum ante captam poſſeſſionem alteri reſignat eo pacto, ut illud denuo ingrediatur, ſi alter moriatur, vel Beneficium dimittat. Per regreſſum dicitur, quando quis Beneficium, quod jam poſſidet, alteri reſignat ea conditione, ut ille ſibi, vel alteri idem Beneficium reſignet poſt aliquod determinatum tempus. Dicitur demum per lucrum, cum quis eligendo, præſentando, aut reſignando alteri Beneficium, procurat cum pacto expreſſo vel tacito, quod ſibi vel alteri ſolvatur aliqua penſio, aut detur aliqua pars fructuum. Monitum tamen hic Lectorem volo cum communi Doctorum, quod ad hanc Simoniam requiritur, ut acceſſus, ingreſſus, regreſſus, vel lucrum ſint circa idem Beneficium: quoniam ſi aliud Beneficium reſpicerent, non eſſet Simonia confidentialis, ſed conventionalis, aut realis. De hac confidentiali Simonia tota eſt Conſtitutio Pii IV., quæ eſt 85. in ordine, & incipit *Romanum Pontificem*, anno lata 1564., in cujus §.4. ita legitur — *Et inſuper univerſis, & ſingulis tam ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus etiam Epiſcopis, quam Prælatis, & Clericis, ac aliis prædictis, præſentibus, & futuris, ne deinceps ullo unquam tempore aliquas Eccleſias, Monaſteria, Dignitates, vel alia Beneficia, etiam de dicto jurepatronatus, ut præfertur, exiſtentia, aut fructus, vel penſiones, aut regreſſus, ſeu acceſſus in confidentiam prædictam, aut ad effectum reſervationum hujuſmodi ſibi poſtmodum cedentibus procurandarum, recipere præſumant: Cardinalibus videlicet, & aliis Prælatis hujuſmodi in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, reliquis vero ſub majoris excommunicationis latæ ſententiæ pœna, per contrafacientes eo ipſo incurrenda, a qua niſi a Nobis, & Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi nequeant, diſtrictius inhibemus* —. Et quia nonnulli hujuſmodi Conſtitutionem fraudibus eludere nitebantur: iccirco an. 1569. prodiit Conſtitutio Pii V. incip. *Intolerabilis*, quæ & ipſa eſt in ordine 85., in cujus §. 8. ſancivit Summus Pontifex — *Sed ne quiſquam etiam vana fiducia fretus, non intendendi contra ſe judicii in crimine perſeveret: utque hoc malum gravioris cenſuræ ſtimulo uſquequaque*

que prohibeatur, omnes & ſingulos, qui huc uſque Eccleſias, Monaſteria, Beneficia, fructus, penſiones, aliaſve res, intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, niſi ſtatim ad ſe reverſi, & reſipiſcentes celeri dimiſſione ſibi proſpexerint, & qui quid tale admiſerint in futurum, etiam omnibus & ſingulis aliis Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, adminiſtrationibus, Officiis, & Beneficiis obtentis, quæ pariter ſub dicta reſervatione comprehendi volumus, nec non fructibus, penſionibus, & aliis rebus Eccleſiaſticis, ac etiam Romanæ Curiæ, & aliis officiis temporalibus præſentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in juris ſubſidium excommunicationis ſententia innodamus, a qua nullus niſi in mortis articulo conſtitutus ab alio quam a Romano Pontifice abſolutionis beneficium valeat obtinere.

Pœnæ præcipuæ adverſus Simoniacos latæ ſunt. Primo, Excommunicatio Papæ reſervata ipſo facto incurrenda. Secundo, perpetua ſuſpenſio ab executione Ordinis, ſi ſermo ſit de ordinato Simoniace. Tertio, quod irrita ſit in Beneficiis quælibet electio, præſentatio, reſignatio, proviſio Simoniace facta: quod ſic proviſus ante quamlibet ſententiam illico teneatur Beneficium dimittere, omneſque perceptos fructus reſtituere. Quarto, quod inhabilis is ſit ad idem Beneficium exinde conſequendum; immo etiam ad cetera, quæcumque ea ſint, in caſu Simoniæ confidentialis, ut modo audivimus ex Conſtitutione Pii V. Hæc pene omnia exhibet Paulus II. Extraveg. com. *Cum deteſtabile*, quam hic recitare non erit abs re — *Cum deteſtabile ſcelus Simoniacæ pravitatis tam divinorum, quam Sacrorum Canonum auctoritas abhorreat, atque damnet, nos conſiderantes, quod plures pœnarum gravitas, quam Dei timor arcere ſolet a voluntate peccandi, ac ſummis deſideriis affectantes, ut horum peſtiferum vitium non ex uſu ſolum, ſed etiam ex mentibus hominum ſaltem propter pœnarum metum penitus evellatur: Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, ac etiam omnes & ſingulas excommunicationis, ſuſpenſionis, privationis, & interdicti ſententias, cenſuras, & pœnas dudum a Romanis Pontificibus prædictis, & pro talibus reputatis contra Simoniacos quomodolibet latas, & illos, qui cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint, etiamſi Cardinalatus, Patriarchali, Epiſcopali, Regali, Reginali, vel alia quavis Eccleſiaſtica, ſeu mundana dignitatibus præfulgeant, & eorum quemlibet tam manifeſtum, quam occultum, quas ipſo facto eos incurrere volumus, confirmantes, & innovantes Apoſtolica auctoritate, declaramus quod omnes illi, qui Simoniace ordinati fuerint, a ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi. Per electiones vero, poſtulationes, confirmationes, proviſiones, ſeu quaſvis alias diſpoſitiones, quas Simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant in Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, perſonatibus, Officiis Eccleſiaſticis, & quibuſvis Beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat*

ciat aliquis fructus ſuos, ſed ad illorum omnium, quæ percepit, reſtitutionem ſub animæ ſuæ periculo ſit adſtrictus. Statuentes præterea, quod univerſi & ſinguli etiam præmiſſis dignitatibus præditi, qui quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam commiſerint, aut quod illa fiat mediatores extiterint, ſeu procuraverint, ſententiam excommunicationis incurrant: a qua niſi a Romano Pontifice pro tempore exiſtente non poſſint abſolvi, præterquam in mortis articulo conſtituti. Et ut hujuſmodi labis contagio frequentius reprimatur, omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis ſecularibuſque perſonis cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictius injungimus, ut eos omnes, quos Simoniam hujuſmodi commiſiſſe, vel procuraſſe, aut in ea mediatores eſſe ſciverint, Pontifici prædicto, vel cui idem Pontifex duxerit committendum, per ſe, vel alios revelare quantocius non omittant. Pro revelatione hujuſmodi, etiamſi complices fuerint, non ſolum veniam a nobis, ſed etiam gratiam conſecuturi, ſi eorum judicio participes tanti criminis valeant coerceri. Quod ſi non fecerint, abſolvi non valeant, donec prædicta revelent, & complices hujuſmodi detecti arctius puniantur. Nulli ergo &c. Summum hoc Simoniæ flagitium improbarunt & ipſi Laici Imperatores; ſancitum eſt enim C. *de Epiſcopis, & Clericis* L. 31. — *Si quemquam vel in hac Regia Urbe, vel in cæteris Provinciis, quæ toto orbe diffuſæ ſunt, ad Epiſcopatus gradum provehi Deo auctore contigerit, puris hominum mentibus, nuda electionis conſcientia, ſincero omnium judicio proferatur. Nemo gradum Sacerdotii pretii venalitate mercetur: quantum quiſque mereatur, non quantum dare ſufficiat, æſtimetur. Profecto enim quis locus tutus, & quæ cauſa eſſe poterit excuſata, ſi veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? Quem murum integritatis, aut vallum fidei providebimus, ſi auri ſacra fames in penetralia veneranda proſerpat? Quid denique cautum eſſe poterit, aut ſecurum, ſi ſanctitas incorrupta corrumpatur? Ceſſet altaribus imminere profanus ardor avaritiæ, & a ſacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaque caſtus, & humilis noſtris temporibus eligatur Epiſcopus, ut, quocumque locorum pervenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Nec pretio, ſed precibus ordinetur Antiſtes; Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat: ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. Profecto enim indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus: cum ſane ſi quis hanc ſanctam & venerandam Antiſtitis ſedem pecuniæ interventu ſubiiſſe detegitur, ad inſtar publici criminis, & læſæ majeſtatis, accuſatione propoſita, a gradu Sacerdotii retrahatur. Nec hoc ſolum deinceps honore privari, ſed perpetuæ quoque infamiæ damnari decernimus, ut eos, quos par facinus coinquinat, & æquat, utroſque ſimilis pœna comitetur.*

Hiſce præhabitis deſcendo ad caſum ab Authore propoſitum. Dicit primo Author, quod ſi interveniat pactum dandi aliquo modo temporale pro ſpirituali, reſtituendum eſt quidquid Simoniace fuit acceptum. Perſpi-

ſpicuum id eſt cap. *De hoc* Extra *de Simonia*, quod eſt Alex. III. — *Regem autem, & Principes ejus debet inducere, ut ſi qua receperint a præfato Epiſcopo, ut ejus electioni præſtarent aſſenſum, Eccleſiæ Exonienſi ſine diminutione reſtituant, cum ea ſine gravi ſuæ ſalutis periculo retinere non poſſint* —. Item 1. q. 3. cap. 2. — *Si quis dator, vel acceptor Dei Eccleſias, vel Eccleſiaſtica Beneficia (quæ quidam Præbendas vocant) ſub pecuniæ interventu ſuſceperit, ſive dando emerit, ſive accipiendo vendiderit, a Simonis non excluditur perditione. Sed ſi perſeverans fuerit, perpetua mulctetur damnatione. Nam qui ſub Religionis obtentu Deo famulari voluerit, ſi quid accipit, & meritum perdit, & beneficio accepto fruſtratur. Rationis ergo vigore cogitur, quod injuſte receperit, reſtituere, & quicquid turpis lucri gratia receperat, non tenere* —. Hoc caput eſt S. Gregorii ad Epiſcopum Rothomagenſem, cui concinit Authentica *Quod pro hoc* C. *de Epiſcopis & Clericis* — *Quod pro hoc cenſu datum eſt, & pretium, quod expenſum eſt, reſtituatur Eccleſiæ, cujus Sacerdotium voluit comparare* —. Ratio eſt (ſcribit Anacletus in lib. 5. Decretal. tit. 3. §. 12. num. 291.), quia, cum talis non ſit Dominus, ſed diſpenſator tantum hujuſmodi rei ſpiritualis, juſſus a Domino Deo, ut gratis diſtribuat Matth. 10., Domino, & illi, a quo pro re ſpirituali temporale exigit, facit injuriam, peccatque contra juſtitiam; conſequenter ex jure divino ad reſtitutionem tenetur, ſi aliquid exigit —. Hæc ille.

Quum Alexander III. in capite nunc recitato decreverit, quod Simoniace accepta in caſu, de quo agebat, Eccleſiæ Exonienſi, cui injuria facta fuerat, reſtituerentur: inquiri poteſt, an ſic turpiter accepta ſemper ſint Eccleſiis reſtituenda? Doctores certe ſuper hac re non conveniunt, ut clare eruitur ex Anacleto cap. proxime laudato, Aſteſano lib. 6. tit. 55. art. 5., S. Antonino part. 2. tit. 1. cap. 5. §. 7., S. Barnardino Senenſi To. 1. ſerm. 39. art. 2. cap. 3. verſus finem. Placet ſummopere doctrina Gabr. Antoine de virtute Religionis cap. 5. art. 3. q. 20. reſp. 4. — Si Simonia ſit realis in materia beneficiali, Simoniace accepta debent reſtitui Eccleſiæ, in qua eſt Beneficium, vel pauperibus loci, etiam ante omnem ſententiam ex cap. 11. *de Simonia*, ubi dicitur, temporalia recepta pro dando aſſenſu electioni Eccleſiaſticæ reſtituenda eſſe illi Eccleſiæ, cum ea ſine gravi ſalutis periculo retineri non poſſint. Et eſt communis ſententia. Sed ſi Simonia non ſit in beneficiali materia, juxta multos accepta reſtitui debent ei, qui dedit: quia jure naturali res reddi debet ei, qui habet ejus dominium, niſi lex in pœnam ei reddi vetet. Sed qui dedit Simoniace, retinet dominium rei datæ, cum pactio Simoniaca ſit nulla, nec proinde jus ullum transferat: & lex non prohibet reddi, quod Simoniace datum eſt, niſi Simonia fuerit realis in beneficio. Nam in capite cit. ubi pecunia accepta dicitur reſtituenda eſſe non danti, ſed Eccleſiæ agitur ſolum de Simonia reali in Beneficio, nec idem ullibi ſtatuitur in aliis caſibus.

Unde

Unde hæc pœna, cum ſit quid odioſum, non debet extendi ultra caſus in lege expreſſos. Immo cap. 19. *de Simonia* præcipitur reddi pecuniam ei, qui Religionem Simoniace fuerat ingreſſus —. Hactenus ille. Accipe caput hoc poſtremo citatum, quod itidem eſt Alex. III. — *Veniens ad nos F. Presbyter propoſuit, quod Abbas & fratres ſancti R. noluerunt eum in Monachum recipere, quouſque triginta ſolidos dare conveneris: conventione autem facta ſequenti die eum Monaſticum habitum induerunt: & iidem Monachi triginta ſolidos, Abbas vero decem, & familia duodecim pro paſtu (aſſerentes hoc eſſe de conſuetudine Monaſterii) poſtularunt. Quoniam ergo factum hujuſmodi pernicioſum videtur, mandamus, quatenus, ſi ita eſſe inveneris, Abbatem, & Monachos ad reſtituendam pecuniam præfato F. tam indigne acceptam compellas, & Abbatem, & majores perſonas Monaſterii pro tantæ pravitatis exceſſu ab Officii executione ſuſpendens, præcipias dicto F., ut in alio Monaſterio in habitu Monaſtico Domino ſtudeat deſervire* —. Ait Antoine Eccleſiæ, in qua eſt Beneficium, vel pauperibus loci; plauſibilis enim videtur doctrina eximii Præſulis Franciſci Gennetti To. 2. Tract. ult. q. 8. in fine, dum expoſuit mentem Alexandri III. in cap. *De hoc* ſupra producto — Unde dici poſſe videtur, quod, dum Alexander III. dixit, reſtitutionem Eccleſiæ fieri debere, noluit tamen excludere pauperes, aut alia pietatis opera; ſed intendit ſolummodo ordinare id, quod in hoc particulari caſu fieri volebat, & quod revera magis conveniens videbatur —. Hæc ille. Præſertim quum S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 7. in corpore ſcripſerit — *Alio vero modo eſt aliquid illicite acquiſitum, quia ille quidem, qui acquiſivit, retinere non poteſt, nec tamen debetur ei, a quo acquiſivit: quia ſcilicet contra juſtitiam accepit, & alter contra juſtitiam dedit. Sicut contingit in Simonia, in qua dans & accipiens contra juſtitiam legis divinæ agit. Unde non debet fieri, reſtitutio ei, qui dedit, ſed debet in eleemoſynas erogari* —. Immo non diſplicet, quod docet Aſteſanus loco jam memorato — Secundum Greg. Naſon. ubi totum Capitulum deliquit, reſtitui debet ei, qui dedit. Sic intelligitur illud Extra eo. *Veniens*. Si autem unus, vel duo, vel aliquis extraneus deliquit, debet dari Eccleſiæ, in cujus injuriam data fuit. Sic intellige illud Extra eo. *De hoc* —. Hæc ille.

Dicit ſecundo Author, quod ſi nullum intervenit pactum, ſed tota malitia in animo elargientis eſt, qui non vult præſentare, aut eligere, niſi aliquid temporale accipiat, tunc unice conſurgit Simonia mentalis, quæ ſola pœnitentia, & animi contritione deletur. Et ſuper hac re Doctores reperio invicem diſſentientes. Certum eſt interim, Simoniam mentalem veram eſſe, propriamque Simoniam; id enim definivit Inno. III. Extra *de Simonia* cap. *Tua nos* — *Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non eſſent eum,*

niſi

niſi commoda temporalia perciperent, admiſſuri: ſine dubio tam ille, quam iſti apud diſtrictum Iudicem (qui ſcrutator eſt cordium . & cognitor ſecretorum) culpabiles judicantur –. Caſum quod reſpicit, ſecernerem acceptum ab accepto: quoniam ſi ſermo ſit de Beneficio, aliiſve ſimilibus acceptis, prævia Simonia mentali, nulli dubium, quod hæc reſtituenda non ſunt, neque dimittenda. Ita Gregorius IX. Extra *de Simonia* cap. ult. – *Conſultationi tuæ breviter reſpondentes, dicimus mandatum Apoſtolicum etiam ad Abbates extendi, & ad reſignationes ſpiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente, utrinque taliter acquiruntur (in quo caſu delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere Creatori) eos pro Simonia hujuſmodi non teneri* –. Ita S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6. ad 6. – *Dicendum, quod quoad Deum ſola voluntas facit Simoniacum, ſed quoad pœnam Eccleſiaſticam exteriorem non punitur ut Simoniacus, ut abrenuntiare teneatur, ſed debet de mala intentione pœnitere* –. Ratio ea eſt, quam profert Innocentius III. cap. *Tua nos* modo laudato – *Quia nobis datum eſt de manifeſtis tantummodo judicare* –. Si autem ſermo ſit de temporali, ſeu de pretio accepto prævia Simonia mentali in collatione alicujus rei ſpiritualis, vel ſpirituali annexæ: tametſi Auctor doctrinam hanc ſuam aliquantulum immutarit in Angelica ver. *Simonia ſeptimo* in principio, ſtatuens quod reſtituendum ſit in Simonia mentali juris divini, non autem in eadem Simonia juris poſitivi, & Eccleſiaſtici: arbitror nihilominus cum Anacleto in lib. 5. Decretal. tit. 3. §. 12. num. 300., in quacumque Simonia mentali onus hujuſce reſtitutionis exurgere ex juſtitia, & jure naturali: quum ſic accipiens agat contra mentem Domini legitime præcipientis, & injuriam faciat proximo. *Et quidem* (ait præfatus Author) *concluſio etiam procedit in Simonia mentali: quia, cum juxta dicta num. præcedenti obligatio reſtituendi Simoniace accepta procedat ex jure divino, non declinat illam, qui, quantumvis occulte, Simoniace & injuſte accipiendo, injuriam facit tertio. Confirmatur a pari de uſura mentali, utpote quæ de jure naturæ, & in conſcientia ante omnem Judicis ſententiam æque obligat ad reſtitutionem, ac manifeſta, textu claro cap. Conſuluit 9. de uſuris. Dices: cap. TUA NOS 34., & cap. finali hoc titulo expreſſe habetur, ob Simoniam abſque pacto externo commiſſam nullis ſubjacere juris pœnis, quod etiam nos diximus ſupra num. 234. Ergo nec oneri reſtituendi. Reſpondeo negando conſequentiam: quia onus reſtituendi temporalia Simoniace accepta non eſt pœna juris, ſed obligatio ex juſtitia, & jure divino procedens ob injuriam illatam tertio. Quæ obligatio etiam occultiſſima delicta afficit, hoc ipſo quod juris divini Conditor ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum, citato cap. TUA NOS hoc tit.* –. Cui nimium ſevera videtur iſthæc doctrina, is ſequatur oppoſitam benigniorem ſententiam. Per me id licet, dummodo oſtendat juri naturali eſſe conſentaneum, quod quis contra mentem Domini legitime præcipientis poſſit injuriam facere proximo, & recipere alienum in iis circumſtantiis ſibi indebitum. Dicit

Dicit tertio Author, quod, ſi nec intervenit pactum, nec aliqua prava intentio præcedit, tuta conſcientia retineri poteſt id, quod alter ſponte, & liberaliter elargitur. Nullum dubium ſuper hac re. Donationes omnino liberæ in eo, cui donare non eſt vetitum, nullo jure prohibentur. Si tamen hæ fierent, & reciperentur ante electionem, vel præſentationem, eſſent vehementiſſime ſuſpectæ, nec eas dicerem immunes a labe Simoniæ.

Dicit ultimo Author, quod in dubio Simoniæ pure mentalis nulla conſurgit obligatio reſtituendi. Conſectarium hoc eſt doctrinæ ab eodem ſupra traditæ, quod acceptum in Simonia pure mentali non ſit reſtituendum. Sed quum ipſe cum Anacleto verius judicaverim oppoſitum, & in dubiis tutior pars ſit eligenda, & poſſeſſio in hoc caſu ſtet pro lege: arbitror iccirco & ſic dubitantem, ſi gravi ratione ductus dubium nequeat deponere, teneri ad reſtituendum ſaltem pro rata dubii. Hoc tamen dictum volo, ſalvo meliori judicio.

Secundum Dubium. Utrum Principes laici, qui privilegio gaudent nominandi circa Beneficia, ut Rex Franciæ, & hujuſmodi, teneantur ad reſtitutionem, ſi accipiant pecuniam, ut electioni conſentiant, vel promotioni?

Reſpondet idem Panormitanus de Simonia in cap. *De hoc*, quod ſic, ſcilicet quod de neceſſitate tenentur pecuniam acceptam reſtituere illi Eccleſiæ, de cujus Præſule agebatur: quia in ejuſdem injuriam data eſt, ut patet ex textu prædicti capitis. Hoc nota contra eos Confeſſarios, qui eoſdem abſolvunt non impoſito onere reſtitutionis.

(231) Jam paullo antea protuli textum apertum in cap. ab Authore memorato, quod eſt Alex. III. Iterum nihilominus eundem audiamus — *Regem autem & Principes ejus debes inducere, ut ſi qua receperint a præfato Epiſcopo, ut ejus electioni præſtarent aſſenſum, Eccleſiæ Exonienſi ſine diminutione reſtituant, cum ea ſine gravi ſuæ ſalutis periculo retinere non poſſint*.

Quæres primo. An Simonia crimen ſit mere Eccleſiaſticum, cujus cognitio ad ſolum pertineat Eccleſiæ forum?

℞. Affirmative. En reſponſum Anacleti in lib. 2. Decretal. tit. 2. §. 7. num. 160. — Similiter quod Simonia ſit crimen mere Eccleſiaſticum, atque ideo Judex ſæcularis non poſſit aliquo modo ſe de eo intromittere, neque cognoſcere, tenet Abbas dict. cap. *Cum ſit generale* num. 20. hoc tit.,

Julius Clarus in pract. Criminal. lib. 5. §. *Simonia* num. 7., Farinaccius dict. quæſt. 8. num. 128. citans Doctores communiter. Et merito, nam Simonia dicitur hæreſis Can. *Quicumque*, & Can. *Cum liqueat* 1. q. 1., & cap. *Quotiens*, *de Simonia*, & alibi; ac proinde ſicut hæreſis eſt crimen mere Eccleſiaſticum, ita & Simonia –. Hactenus ille.

Quæres ſecundo. Utrum conferens bona ſua Eccleſiæ cum pacto, quod recipiatur in Canonicum, & ea ſibi retineat pro Præbenda, committat Simoniam?

℞. Affirmative. Reſponſum eſt Inno. III. cap. *Tua nos* Extra *de Simonia* – *Devotioni tuæ taliter reſpondemus, quod ſi quis Clericus cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona ſua, ut illa poſtmodum pro Præbenda retineat, & in Canonicum admittatur: hujuſmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit ſine vitio Simoniæ, cum in talibus omnis pactio, aut conventio ceſſare debeat juxta Canonicas Sanctiones* –. Quid interim aget, ut fiat Canonicus ſine Simoniæ vitio? En reſponſum ejuſdem Pontificis, qui ibidem ſequitur – *Si vero pure, ac ſine pacto, vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona ſua retinere ſibi liceat pro Præbenda, & Clerici ejuſdem Eccleſiæ pure conſentiant: hujuſmodi receptio fieri poterit abſque ſcrupulo Simoniacæ pravitatis.*

Quæres tertio. An liceat vendere jus patronatus alicujus rei ſpiritualis, puta Beneficii, Canonicatus &c.

℞. Dubio procul non licet ipſum vendere directe, ſicuti ſancivit Alex. III. cap. *De jure* Extra *de jure patronatus* – *Mandamus, quatenus ſi R. illud comparavit (cum inconveniens ſit vendi jus patronatus, quod eſt Spirituali annexum) contractum illum irritum eſſe decernas* –. Vendi tamen poteſt indirecte, & de uno ad alium transferri puta cum venditur pagus, cui tale jus eſt adnexum. Utrumque complectitur S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 4. ad 3. – *Jus autem patronatus per ſe vendi non poteſt, nec in feudum dari, ſed tranſit cum villa, quæ venditur, vel conceditur* –. Utrumque pariter exprimitur Inſtitut. Juris Canonici lib. 1. tit. 28. §. 13. *Sed ſi quis dato pretio hujuſmodi ſibi jus comparare auſus fuerit, talis contractus irritus erit, & inanis, niſi tale jus cum univerſitate rerum temporalium transferretur* –. Egregie Aſteſanus noſter lib. 6. tit. 55. art. 9. verius finem agens de quibuſdam, quæ annexa ſunt ſpiritualibus. & num. 3. inquirens – Utrum liceat vendere jus patronatus? Circa tertium reſpondeo, quod non, ſcilicet in ſpirituali. Hoc enim eſſet Simonia Extra *de jure patronatus*, *de jure*. Bene tamen tranſit cum univerſitate, ſive villa vendita in univerſali, niſi excipiatur, ut eo. tit. *ex litteris*, & cap. *Cum ſecundum*, ſicut etiam tranſit Eccleſia, ut dicitur ibidem. Et ſicut jus patronatus non poteſt vendi, ita etiam nec in feudum dari: & ſi villa majori pretio venderetur propter jus patronatus, eſſet Simonia: quia talis venditio attingeret aliquo modo ipſum jus patronatus –. Hæc ille.

Quæ-

Quæres quarto. An ſine vitio Simoniæ liceat dare, vel promittere alteri aliquid temporale, ut faciat aliquod opus ſalutare in ſui utilitatem: puta audiat ſacrum, ſuſcipiat Sacramenta, oret pro ipſo?

℟. Huic quæſito reſpondet S. Thomas 1. 2. q. 100. art. 3. ad 2. — Dicendum, quod illi, qui dant eleemoſynam pauperibus, ut orationum ab ipſis ſuffragia impetrent, non eo tenere dant quaſi intendentes orationes emere, ſed per gratuitam beneficentiam pauperum animos provocant ad hoc, quod pro eis gratis, & ex charitate orent. Prædicantibus etiam temporalia debentur ad ſuſtentationem prædicantium, non autem ad emendum prædicationis verbum. Unde ſuper illud 1. ad Timoth. 5. — *Qui bene præſunt Præsbyteri &c.* dicit Gloſſa — *Neceſſitatis eſt accipere unde vivitur, charitatis eſt præbere: non tamen venale eſt Evangelium, ut pro his prædicetur. Si enim ſic vendunt, magnam rem vili vendunt pretio* — . Similiter etiam aliqua temporalia dantur Deum laudantibus in celebratione Eccleſiaſtici officii ſive pro vivis, ſive pro mortuis, non quaſi pretium, ſed quaſi ſuſtentationis ſtipendium. Et eo etiam tenore pro proceſſionibus faciendis in aliquo funere aliquæ eleemoſynæ recipiuntur. Si autem hujuſmodi pacto interveniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis, vel venditionis, Simoniacum eſſet. Unde illicita eſſet ordinatio, ſi in aliqua Eccleſia ſtatueretur, quod non fieret proceſſio in funere alicujus, niſi ſolveret certam pecuniæ quantitatem: quia per tale ſtatutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi. Magis autem licita eſſet ordinatio, ſi ſtatueretur, quod omnibus certam eleemoſynam dantibus talis honor exhiberetur: quia per hoc non præcluderetur via aliis exhibendi: & præterea prima ordinatio habet ſpeciem exactionis, ſecunda autem habet ſpeciem gratuitæ recompenſationis — . Hactenus S. Thomas. Ex Angelica hujuſmodi doctrina quiſque videt, quod ſi temporale detur prævio pacto civili, & tamquam pretium, vel quaſi pretium, Simoniam ſapit. Si autem tribuatur nullo præhabito pacto civili, & oneroſo, non tamquam pretium, ſed veluti eleemoſyna, in ſuſtentationem pauperum, aut Miniſtrorum Eccleſiæ, ſicuti communiter fit ab omnibus Chriſtifidelibus: id eſt ab omni Simoniæ labe prorſus liberum. Doctrinam hanc præ oculis habeant pauperes, & Eccleſiæ Miniſtri: quia tametſi verum ſit, quod qui altari inſervit, de altari vivere poteſt, veriſſimum etiam eſt, quod orationes, & Eccleſiaſtica officia vendi proprie non poſſunt abſque turpi vitio Simoniæ: ſicuti perſpicue Bonifacius Summus Pontifex reſpondens Calaritanæ Eccleſiæ Cœnobitis, qui quum elegiſſent in Abbatem proprii Monaſterii divitis Monachum alterius Monaſterii pauperis, non poterant ipſum habere, niſi ſub hac conditione, quod Monaſterio pauperi, ad quod ſpectabat Abbas electus, aliqua conferrent — *Quam pio mentis affectu* (1. q. 2. cap. 1.) *Fratres chariſſimi veſtræ deſtitutioni Romana compatiatur Eccleſia, vobis fortaſſis eſt incognitum: ſed cognitori omnium non incognitum habetur. Dubita-*

tioni autem veſtræ quod idoneum demus reſponſum, Deum teſtificor; ipſa quoque me dubitatio reddit anxium, & ineptum. Nuſquam enim legimus Domini diſcipulos, vel eorum miniſterio converſos quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interventu provocaſſe, niſi forte de pauperum alimento quis inconcinne proponat, quorum nulli, cujuſcumque profeſſionis eſſet, victualia negabantur. Scimus equidem, quod omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens a Patre luminum, a quo bonæ voluntatis donum accipit, qui functio deliberationis arbitrio gratis Deo ſervire diſponit. Reſtat ergo, ut qui pro aliqua Eccleſiaſtica ſuſceptione munus accipit, donum Dei, quod a Patre luminum deſcendere debuit, vendat: munus autem largiens importunus emat. Quid autem de divini doni venditoribus, vel emptoribus conſequatur, concludi neceſſe non eſt. Cavete ergo fratres, quam ſit ambiguum quod petiiſtis conſilium, quod quidem ſecundum veſtræ voluntatis propoſitum nulla invenimus ratione confirmatum. Veruntamen, ſi veſtræ neceſſitati adeo eſt opportunus, quem reperiſtis, dum tamen omnis abſit pactio, omnis ceſſet conventio, nullaque veſtræ Eccleſiæ fiat diſtractio: accedat gratis, Deo ſervire incipiat, ſuique regiminis devote geſtet obſequium, & poſtmodum vos quaſi ſubſidii gratia, aliqua ſuæ Eccleſiæ munera largiri fratrum ſolatio Romana permittit Eccleſia.

Dices. Si abſque vitio Simoniæ elargiri poteſt aliquod temporale tamquam eleemoſyna, in ſuſtentationem alterius, immo tamquam quid provocans, ut loquitur S. Thomas, dum ſermo eſt de functionibus Eccleſiaſticis, de orationibus, & hujus generis aliis: quid ni idem fieri poterit in collatione Beneficii?

℞. Egregia ſunt diſcrimina, quæ adfert Franc. Gennettus To.2. Tract.2. cap.3. q.28. Ea igitur accipe -- Ratio diſparitatis eſt, primo, quia cum collator beneficii teneatur illud conferre gratis, committit Simoniam, quoties illud confert intuitu alicujus temporalis commodi; qua de cauſa etiam qui dat aliquid ad inducendum collatorem, ut ſibi conferat Beneficium, committit pariter Simoniam, cum velit pecunia comparare rem ſpiritualem, vel ſpirituali annexam, in quo conſiſtit Simonia. At vero qui dat Sacerdoti eleemoſynam, ut celebret miſſam, non ipſum inducit ad faciendam rem prohibitam, cum licitum ſit miniſtrantibus altari aliquid accipere ad neceſſariam vitæ ſuſtentationem. Altera differentia eſt, quia dans pecuniam pauperi, ut pro ſe Deum oret, non vult comparare ſpirituale pro temporali; ſed ſolum actibus Religionis impetrare a Deo, qui Dominus eſt donorum ſuorum, gratiam, quam cupit, quod utique licitum eſt. At vero qui dat pecuniam ad inducendum collatorem, ut conferat Beneficium, vult illud pecunia obtinere, & collatori ſuadere, ut conferat Beneficium intuitu rei temporalis, quod tamen tenetur conferre gratis: & ita ſpeciem habet ſimulatæ venditionis. Præterea is, qui dat pecuniam, ut celebretur miſſa, ſatisfacit obligationi comuni omnium fidelium dandi neceſ-

ſariam

ſariam ſuſtentationem iis, qui ſpiritualia miniſtrant: quia, ut ait Apoſtolus (1. ad Cor. 9. v. 14.) — *Ita & Deus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* — Et paullo ſuperius dixerat idem Apoſtolus (v. 11.) *Si nos ſpiritualia vobis ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus* — ? Quare nulla prorſus venditionis ſpecies ibi apparet: quia cum hoc modo datur aliquid Sacerdoti ad miſſam celebrandam, aut pauperi ad orandum Deum, offertur Deo pars aliqua bonorum, quæ ab ipſo conceſſa ſunt, & eleemoſyna datur ad adjuvandum proximum, Deique gratiam conſequendam, quod ab omni prorſus ſpecie Simoniacæ labis eſt alienum. Denique magnum certe diſcrimen debet eſſe inter hæc duo dona; quandoquidem Deus & Eccleſia volunt, ut larga erogatione temporalium peccatorum veniam, & Dei gratiam impetremur: & econtrario prohibent, ne velimus per pecuniam parare nobis viam ad Beneficium Eccleſiaſticum conſequendum, quod utique gratis conferri debet juxta illud — *Gratis accepiſtis, gratis date* —. Hactenus Gennettus.

Quæres quinto. Utrum ante ſententiam Judicis dimittere quis debeat, quod Simoniace accepit?

℞. Nulli dubium, quod ſi agatur de Beneficiis, aliiſque rebus Eccleſiaſticis, cognita ſimonia ſtatim dimittenda hæc ſunt — *Electiones, poſtulationes, confirmationes, & quævis proviſiones Simoniacæ Eccleſiarum, Monaſteriorum, Dignitatum, Officiorum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcumque deinceps factæ, nullæ ſint ipſo jure, nullumque jus cuiquam acquiratur, nec promoti, confirmati, aut proviſi faciant fructus ſuos, ſed ad illorum reſtitutionem tamquam inique ablata percipientes teneantur* —. Ita Martinus V. in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 43. — *Per electiones vero, poſtulationes, confirmationes, proviſiones, ſeu quaſvis alias diſpoſitiones, quas Simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino careant in Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, perſonatibus, Officiis Eccleſiaſticis, & quibuſvis Beneficiis, aut aliquo eorum culquam jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus ſuos, ſed ad illorum omnium, quæ percepit, reſtitutionem ſub animæ ſuæ periculo ſit adſtrictus* —. Ita Paulus II. in Extravag. com. *Cum deteſtabile* jam ſupra ex integro recitata —. *De Regularibus Canonicis, ſeu Monachis nos conſulere voluiſtis, qui per Simoniam ingreſſum ipſis ſcientibus habuerunt. Unde cum ſuper hoc auctoritates multæ reperiantur expreſſæ, non aliud quam ſtatutum eſt reſpondemus, ut locum, quem taliter adepti ſunt, omnino dimittant, & ſolitudines, ſeu alia Monaſteria diſtrictiora adeant, in quibus tam execrabilem exceſſum [illegible] intermiſſione deplorent* —. Ita Clemens III. Extra *de Simonia* cap. 25. — *Ea, quæ a Sanctis Patribus de Simoniacis ſtatuta ſunt nos quoque & judicio Sancti Spiritus, & Apoſtolica auctoritate firmamus. Quicquid ergo vel in Sacris Ordinibus, vel in Eccleſiaſticis rebus, vel data, vel promiſſa pecunia acquiſitum eſt, nos irritum eſſe, & nullas unquam vires habere cenſemus* —. Ita Urbanus II. 1. q. 3. cap. 5.

Per

Per jura huc uſque producta quod obtinetur Simoniace nullum jus confert obtinenti, viribus omnino caret, irritum eſt, & inique ablatum. Atqui irrita, & inique ablata in conſcientia, & ante quamcumque Judicis ſententiam dimittenda ſunt, & reſtituenda, ſicuti patet de furtis. Ergo etiam quod obtinetur Simoniace. Si poſtmodum agatur de aliis rebus ſpiritualibus, puta de Sacramentis, de Ordinibus ſacris, de Religioſa profeſſione, de conſecratione altarium &c., Colletus in ſuis Inſtitut. *de Simonia* cap. 4. art. 3. concluſ. 2. arbitratur, hæc in jure Canonico ante Judicis ſententiam non eſſe reſtitutioni obnoxia. Ratio ipſius eſt: quia afferri non poteſt textus, in quo hæc pœna ſit impoſita: & etiam quia valide collata hæc ſunt, licet Simoniace. Bona tamen tanti Scriptoris pace, cum Clemens III. in cap. nunc laudato, loquens de ingreſſu Simoniaco in Monaſterium, dixerit — *Omnino dimittant* —: quum Urbanus II. in cap. itidem modo recitato, loquens de Sacris Ordinibus Simoniace acceptis, dixerit: *nullas unquam vires habere*: arbitror idem eſſe conſtituendum de quacumque re ſpirituali Simoniace conſecuta. Id tamen intellige cum proportione accomoda: ut, quia Chriſtus eſt, qui baptizat, Chriſtus eſt, qui ordinat, Chriſtus eſt, qui votum acceptat in Religioſa profeſſione editum, valide quis ſit baptizatus, ordinatus, profeſſus, etſi Simoniace, ſed ſtatim teneatur dimittere privilegia exteriora inde ſequentia, puta executionem ordinum, & habitationem in loco ſuæ profeſſionis: & quia Eccleſia eſt, quæ Beneficia confert, Dignitates, Officia, &c., ſic proviſus teneatur dimittere, & exercitium, & quicquid accepit Simoniace.

Quærea ſexto. An hoc locum habeat in eo, qui Beneficium Simoniace obtinuit ipſo inſcio?

℞. Ita ſane. Definitum id fuit a Celeſtino III. Extra *de Simonia* cap. 27. — *Nobis fuit ex parte tua intimatum, quod, cum quatuor eſſent a Capitulo conſtituti, qui debebant quendam eligere in Plebanum: amici ejus, de cujus electione ſpes habebatur, uni vel omnibus eligentium promiſerunt ſe pecuniam ſoluturos, eo tamen ignorante, qui hujuſmodi promiſſione interveniente poſtmodum eſt electus. Quia igitur ſuper hoc conſulere nos voluiſti, conſultationi tuæ breviter reſpondemus, quod niſi conſtaret illos, qui promiſſum tale fecerunt, per fraudem in diſpendium illius, qui eligendus erat, id malitioſe feciſſe: quamvis ipſe promiſſionis conſcius non fuerit, ejus tamen electio tamquam Simoniaca pravitate præſumpta eſt penitus reprobanda* —. Ratio eſt, quia in hoc caſu adhuc verificatur, quod detur ſpirituale pro re temporali: & Eccleſia, quæ judicat de externo, jure præſumit adverſus ſic electum, & promotum.

Poſtulabis. An ſic proviſo faveat Regula Cancellariæ Apoſtolicæ de triennali poſſeſſione ad præſcribendum?

℞. Regulæ Cancellariæ ſunt certæ Conſtitutiones Apoſtolicæ, quas ſinguli Pontifices a principio ſui regiminis circa cauſas beneficiales, & Judicia-

dieiales facere, vel a Prædeceſſoribus ſuis jam factas renovare, augere, vel minuere conſueverunt. Ita Ferraris ver. *Cancellaria* num. 5. Earum numerum reduxit ad ſeptuaginta duas Clemens XI. in ſua Conſtitutione lata an. 1700. die 14. Decembris, quæ incipit — *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*, & quam de verbo ad verbum recitant Anacletus in lib. 3. Decretal. tit. 5. §. 16., & Ferraris ver. *Beneficium* art. 9. num. 10. Ad præſens quod ſpectat, Regula eſt, cui titulus *De triennali*, num. 36. hiſce verbis concepta — *Item ſtatuit, & ordinavit idem D. N., quod ſi quis quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica qualiacumque ſint abſque Simoniaco ingreſſu, ex quovis titulo Apoſtolica, vel ordinaria collatione, aut electionis hujuſmodi confirmatione, ſeu præſentatione, & inſtitutione illorum, ad quos beneficiorum hujuſmodi collatio, proviſio, electio, & præſentatio, ſeu quævis alia diſpoſitio pertinet, per triennium pacifice poſſederit (dummodo in Beneficiis hujuſmodi, ſi diſpoſitioni Apoſtolicæ ex reſervatione generali in corpore juris clauſa reſervata fuerint, ſe non intruſerit) ſuper eiſdem Beneficiis taliter poſſeſſis moleſtari nequeat, nec non impetrationes quaſlibet de Beneficiis ipſis ſic poſſeſſis factas, irritas, & inanes cenſeri debere decrevit, antiquas lites ſuper illis motas penitus extinguendo* —. Hiſce præhabitis, accipe reſponſum, quod eſt Gabr. Antoine *de virtute Religionis* cap. 5. art. 3. q. 20. reſp. 1. — Secundum varios ignoranti Simoniam ab alio commiſſam non favet Regula Cancellariæ de triennali poſſeſſione ad præſcriptionem: quia expreſſe exigit, ut poſſeſſio ſit *abſque Simoniaco ingreſſu*. Sed multi alii docent, eum, qui mediante tertii Simonia Beneficium accepit, poſſe illud retinere, ſi integro triennio hanc Simoniam ignorarit: quia illa verba *abſque Simoniaco ingreſſu* videntur in rigore requirere, ut Simonia ſe teneat ex parte ingredientis Beneficium: nam licet collatio ſit Simoniaca, ingreſſus tamen, ſeu actio, qua proviſus ingreditur, non eſt Simoniaca: nec ipſa punitur, ſed actio mediatoris, quæ fuit Simoniaca; neque hæc appellatur ſtricte ingreſſus, ſed eſt potius aperitio portæ, ut alter ingredi queat. Ita Cabaſſutius, Leſſius, Layman, Delugo, aſſerens hanc eſſe communem ſententiam, & pro ea referens Gomez, Rebuff., & alios. Verum conſuli debet uſus Curiæ Romanæ. Hactenus ille. Accedit, quod, ſi ſecus eſſet, in nullo caſu haberet locum Regula Cancellariæ. Non in caſu Simoniæ mentalis: quia per hanc quis non tenetur dimittere Beneficium, ut ſupra oſtendi. Non in caſu Simoniæ propriæ: quia per hanc poſſeſſio ſemper eſt cum Simoniaco ingreſſu. Non in caſu Simoniæ alienæ, quam eligendus ſcit, & adprobat, propter eandem rationem: quoniam ex Regula 72. Juris in Sexto — *Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum* —. Supereſt igitur, ut locum habeat in caſu, de quo agitur, in Simonia nempe aliena ab electo prorſus ignorata.

Quæres ſeptimo. An locum itidem habeat in eo, qui conſulto prohibuit, ne aliquid daretur a quoquam?

℞. Ne-

℞. Nequaquam. Definitum id pariter fuit ab Inno. III. Extra *de Simonia* cap. 33. — *Quamvis autem ſecundum Sacrorum Canonum inſtituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Eccleſias per pecuniam ſunt adepti, eas dimittere teneantur: quia tamen longe diverſum eſt non præbere conſenſum, & expreſſum aliquid prohibere: taliter duximus reſpondendum, quoniam ex eo quod contra prohibitionem, & voluntatem tuam, a qua poſtmodum minime receſſiſti, aliquis te penitus ignorante promiſit pecuniam, & exſolvit, præſertim cum is nulla ſit tibi conſanguinitate conjunctus, nihil debet tibi ad pœnam, vel culpam, ſicut credimus, imputari, niſi poſtea conſenſeris, pecuniam ſolvendo promiſſam, aut reddendo ſolutam: alioquin contingeret, quod alicujus factum inſidias inimico parantis ei damnoſum exiſteret, cui penitus diſpliceret: & ſic aliquis de fraude ſua commodum reportaret* —. Ratio eſt, quia contra expreſſe prohibentem, & in prohibitione perſeverantem, præſumi non poteſt conſenſus.

Quæres octavo. An, ſi inimicus conſulto pecuniam daret, vel promitteret, ut alterius electionem inficeret, electus fraude cognita teneatur dimittere Beneficium?

℞. Minime gentium. Ita reſpondit Celeſtinus III. in cap. *Nobis* modo recitato quæres ſexto — *Niſi conſtaret illos, qui promiſſum tale fecerunt, per fraudem in diſpendium illius, qui elige-'us erat, id malitioſe feciſſe* —. Et quidem jure optimo: quoniam, ſi ſecus eſſet, impii homines impedire poſſent, & fruſtrare cujuſcumque ſanctiſſimi Præſulis electionem.

Quæres nono. Quis diſpenſare poteſt cum eo, qui Beneficium conſecutus eſt Simoniace?

℞. Aut is Beneficium conſecutus eſt per Simoniam alienam, aut per Simoniam propriam. Si per alienam, quam nec ſcivit, nec ratam habuit, & agatur de Beneficio ſimplici, diſpenſare poteſt Epiſcopus, dummodo electus Beneficium prius reſignet. Si poſtmodum agatur de Beneficio curato, vel de Prælatura, arbitrantur Anacletus in lib. 5. Decretal. tit. 3. §. 14. num. 37., & Ferraris ver. *Simonia* art. 4. num. 19. 20., Epiſcopum pariter diſpenſare poſſe demto caſu, in quo talis electio jam fuit per ſententiam reprobata. Id eruunt ex Greg. IX. cap. *Si alicujus* Extra *de electione* — *Si alicujus electionem propter Simoniam eo ignorante, ac ratam non habente commiſſam, contigerit reprobari, cum eo ſuper Prælatione, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non poteſt Epiſcopus diſpenſare. Quamvis circa eum, qui ignoranter recipit ſimplex Beneficium, per Simoniacam pravitatem, poſt liberam reſignationem Epiſcopi diſpenſatio toleretur* —. Confirmari id poteſt ex Celeſtino III. Extra *de Simonia* cap. *Nobis*, qui conſultus de eo, qui per Simoniam alienam, & ab ipſo ignoratam, fuerat promotus, cujuſque electio jam fuerat per ſententiam reprobata, reſpondit — *Ad ultimum, quod in fine conſultationis tuæ invenimus, hoc duximus reſpondendum, quod aliquis in Eccleſia cujuslibet Prælatum electus, & ut di-*

ctum

tum eſt per pravitatem Simoniacam reprobatus, ab Epiſcopo ſuo diſpenſationem aliquam obtinere de jure non poteſt —. In hoc caſu electus ſine mora reſignare debet Beneficium, Beneficium alteri conferri debet. Quod ſi poſtmodum contingat per mortem electi, vel alia de cauſa, iterum vacare: nil prohibet, quod tunc conferatur ei, qui per Simoniam ab alio, ipſo inſcio, commiſſam Beneficium reſignare fuit coactus; delictum enim hujus Simoniæ purgatur per intermediam perſonam, ut appoſite Gloſſa in cap. *Si alicujus* modo laudatum, & ſignate in verba — *Illa vice*. At ſi de Simonia agatur propria, quam commiſit electus, vel ab altero commiſſa eſt, ipſo ſciente vel ſaltem adprobante: ſolus in hac diſpenſare poteſt Summus Pontifex, ut uno ore Canoniſtæ, & colligitur ex cap. *Quicumque* 1. q. 5. — *Illi vero, qui per ſe ipſos, cum jam majoris eſſent ætatis, nefanda ducti cupiditate eas emerunt, ſi in aliis Eccleſiis canonice vivere voluerint, ſervatis propriis ordinibus, pro magna miſericordia ibi eos miniſtrare permittimus. Quod ſi ad alias fortaſſis transferri non potuerint, & in eis canonice vivere promiſerint, minoribus contenti, ad Sacros Ordines non accedant, ſalva tamen in omnibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate*.

Quæres decimo. An ſit Simonia alicui conferre, vel procurare Beneficium ratione conſanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ?

℟. Huic quæſito perbene reſpondet S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 5. ad 2. — *Dicendum, quod ſi aliquis aliquid ſpirituale alicui confert gratis propter conſanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem, eſt quidem illicita, & carnalis collatio, non tamen Simoniaca: quia nihil ibi accipitur. Unde hoc non pertinet ad contractum emptionis, & venditionis, in quo fundatur Simonia. Si tamen aliquis det Beneficium Eccleſiaſticum alicui hoc pacto, vel intentione, ut exinde ſuis conſanguineis provideat, eſt manifeſta Simonia* —. Hoc poſtremum fuſius exponit idem S. Doctor in 4. diſt. 25. q. 3. art. 3. ad 7. — *Qui dat ratione conſanguinitatis Præbendam, ſi intendit aliquod bonum in ſe ipſum redundans ſic, quod magnificetur per hoc, & nobilitetur domus ſua; vel quod ipſe in conſanguineis ſit fortior, & ſic ipſe aliquid accipere ſperat, pro quo ſpiritualia dat, Simoniam committit* —. Intentio igitur conferentis expendenda eſt, & ſecundum eam ferri debet judicium. Candide tamen fateor collationes hujuſmodi non vacare periculis.

Quæres undecimo. An Epiſcopus ſine Simonia poſſit alicui conferre Beneficium intuitu obſequii ſibi præſtiti.

℟. Si hujuſmodi obſequia referuntur ad ſpirituale, & ad bonum Eccleſiæ Epiſcopo commiſſæ, puta dum quis exercet munus Vicarii Generalis, Promotoris, Concionatoris &c.: illis, qui talia agunt, nedum abſque Simonia Epiſcopus Beneficia confert, ſed quodam modo iiſdem ea conferre tenetur, ut ad rem S. Gregorius 12. q. 2. cap. 67. *Eccleſiaſticis utilitatibus deſudantes Eccleſiaſtica dignum eſt remuneratione gaudere, ut qui ſe volun-*

tarlis obſequiorum neceſſitatibus ſponte ſubjiciunt, digne noſtris proviſionibus conſulentur —. At ſi hæc obſequia omnino temporalia ſunt, ut curam gerere patrimonii ipſius Epiſcopi, aut ejuſdem conſanguineorum: collatio Beneficii intuitu eorundem facta, Simoniaca eſt, ut perſpicue S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 5. ad 2. — *Si vero ſit inhoneſtum obſequium, vel ad carnalia ordinatum (puta quia ſervivit Prælato ad utilitatem conſanguineorum ſuorum, vel patrimonii ſui, vel ad aliquid hujuſmodi) erit munus ab obſequio, & eſt Simoniacum* —: Quoniam talia officia perſonam non reddunt Beneficio dignam. Docte iccirco, & prudenter more ſuo S. Carolus Borromæus in Conc. Mediolan. 2. tit. Quæ pertinent ad collationem Beneficiorum — *Ut omnis ad Simoniam aditus intercludatur, monemus, & obteſtamur Epiſcopos, alioſque, quibus eſt jus conferendi Beneficia, ut familiaribus ſuis certam mercedem conſtituant, ne illi hoc ſubſidio deſtituti Beneficia Eccleſiaſtica tamquam ſuæ operæ & laboris pretium, precipue ſibi proponant. Fraudari tamen Eccleſias nolumus probatorum hominum miniſterio, ſi qui ſint in eorum familia, quorum doctrinæ, & pietati utiliter ſacrum munus committi poſſit*.

Quæres duodecimo. Utrum Simoniacum ſit aliquid accipere ob ingreſſum in Religionem?

℞. Id obiecerunt Fratribus Minoribus nonnulli, qui ipſo ferme Ordinis initio iiſdem non favebant, eo quia permittebant, quod Moniales S. Claræ aliquid ea occaſione acciperent, non intuitu Religioſæ veſtitionis, & profeſſionis, ſed titulo alimentorum. Iſtis reſpondit S. Bonaventura in ſuo libello Apologetico quæſt. 18., quam hic integram exſcribo — *Cum ergo ſitis informatores earum, quare permittitis, quod plures apud eas impure, ideſt per pecuniam recipiuntur, quæ, ſi nihil ſecum ferrent, nullatenus reciperentur, & aperte Simonia videtur. Reſpondeo. Si illud alii faciunt, de hoc non a nobis, ſed ab illis eſt ratio exigenda. Sed tamen ut ſatisfaciamus quærentibus, ſciendum, quod quantum ſpectat ad hanc materiam, quadruplex eſt forma recipiendi ad Ordinem qualemcumque. Prima, quando aliquis recipitur nec pro pecunia, nec cum pecunia, ſed pure pro Deo: & iſta eſt puriſſima coram Deo, & hominibus. Secunda, quando aliquis recipitur non pro pecunia, ſed cum pecunia, ita ut ſi nihil afferret, tamen reciperetur pro Deo: & ſimiliter hoc purum eſt coram Deo, ſed eſt caute agendum coram hominibus, ne detur eis occaſio ſcandali, & ne ſit ibi affectus avaritiæ infectus ex ſpe lucri. Tertia, quando quis recipitur non pro pecunia, nec tamen reciperetur ſine pecunia, eo quod non habent aliter ei, qui eum recipiunt, in neceſſitatibus corporis providere, cum tenues facultates domus vix ſufficiant jam receptis, nec ad eas audeant plures recipere, & iſtas ſuis neceſſitatibus ſpoliare: ita quod talis perſona, quæ ſic recipitur, ſi abundaret locus, ſine pecuniis reciperetur. Similiter aliquis duxit uxorem propter divitias ejus, vel nobilitatem, quæ habet naſum: nec tamen propter*

pter hoc ducit eam, quia naſum habet, quam tamen ſi naſo careret, nullatenus duxiſſet: & hoc non eſt impurum, licet non appareat forſitan pulchrum. Quarta, cum aliquis recipitur amore pecuniæ, ita quod ſi poſſent illam pecuniam habere ſine perſona iſta, non reciperent perſonam, ſed ut habeant pecuniam, perſonam recipiunt: & hoc penitus impurum eſt, & Simoniacum, quia ibi pecunia cauſa eſt receptionis perſonæ, & non econverſo. Ubi ergo recipitur perſona propter pecuniam, Simonia eſt, quia ibi venditur ſpirituale, ideſt conſortium ſpiritualis Societatis pro temporali, ſcilicet pro pecunia. Et hoc plerique faciunt etiam ex mera inopia, optantes aliquem venire cum pecunia, quem reciperent, ut eorum inopia repararetur, vel debita contracta ſolverentur, vel bona concupita emerentur, vel ædificia conſtruerentur. De talibus dicit Eccleſiaſticus (27.) Propter inopiam multi deliquerunt. Ubi vero pecunia recipitur propter perſonam, quam alias libenter reciperent, ſi haberent unde eam paſcerent, non videtur eſſe Simonia: dummodo forma cum intentione concordet, & hoc modo ſuſtinemus, quod Sorores S. Claræ recipiunt pecuniam cum perſonis, ſi quando oportet eas plures perſonas recipere, quam de facultatibus Monaſterii congrue valeant ſuſtentari —. An autem noſtra hac ætate Monaſteria Sanctimonialium habenda ſint ejus indolis, cujus a S. Bonaventura exhibentur Monaſteria S. Claræ; & an experientia doceamur, nullum reperiri adeo opulentum, quod ad reparanda quotidiana ſuorum redituum decrementa, non egeat novarum dotium acceſſione: Vide Benedictum XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 11. cap. 6. num. 1., & ſeq. Magni certe fieri debet, quod ſuper hac re conſtituit S. Carolus Borromæus, quo certe non alius ſolertior ſacrorum Canonum Cuſtos, purioris diſciplinæ tenacior, & Concilii Tridentini fidelior interpres. Is enim in Conc. Provinciali Mediolan. primo part. 3. an. 1565. veluti jam certum ponit, a ſingulis Monialibus in ipſo Monaſterii limine aliquam pecuniæ ſummam penes probum virum deponi, profeſſionis tempore Monaſterio tradendam, inquiens part. 1. Act. Eccleſ. Mediol. pag. 47. — *Quod, profeſſione facta, eleemoſynæ gratia ad profeſſam ſuſtentandam Monaſterio datur, id quo tempore puella Religionis habitum ſuſcipiet, apud virum Monialibus, & earum Superiori probatum deponatur, ut nullo impedimento tum Monialibus præſto eſſe poſſit* — Et in Concilio Mediol. ſecundo an. 1569. cap. 2. inter capita quædam ad Moniales pertinentia part. 1. Act. Eccl. Mediol. pag. 75. ab Epiſcopo præſcribi voluit eleemoſynam dotalem a ſingulis Monialibus alimentorum nomine Monaſterio penſitandam, inquiens — *Epiſcopus præterea tum impenſas æſtimet, quæ & in Religionis ingreſſu, & tempore profeſſionis fieri ſolent pro veſtitu, aut pro aliis rebus ad ipſius puellæ, vel Monaſterii uſum, commoditatemve pertinentibus: tum pecuniæ etiam ſummam præſcribat, quam puella alimentorum nomine Monaſterio det: niſi cenſus, aut alia bona immobilia, quorum annui fructus ejuſdem judicio, ad ea alimenta ſatis ſint, Monaſterio attribuantur.*

VIceſimus ſextus Titulus, qui eſt de Pœnis, continet tres quæſtiones, ſive tria Dubia.

PRIMUM DUBIUM. Utrum pœna appoſita inter contrahentes poſſit exigi?

Reſpondet Panormitanus in cap. *Suam* Extra *de pœnis*, quod ſic per prædictum caput, & per cap. *Conſtitutus* ibidem, etiamſi excederet principale ſecundum Innocentium, niſi ſit in fraudem uſurarum, quia tunc non licet. Et de hoc vide in Contractibus Dubio 13. tertii verbi definitionis uſuræ.

(232) *Pœna eſt noxæ vindicta*, ff. *de verborum ſignificatione* num. 131. — *Inter multam autem, & pœnam multum intereſt: cum pœna generale ſit nomen, omnium delictorum coercitio; multa ſpecialis peccati, cujus animadverſio hodie pecuniaria eſt: pœna autem non tantum pecuniaria, verum capitis, & exiſtimationis irrogari ſolet: & multa quidem ex arbitrio ejus venit, qui multam dicit; pœna non irrogatur, niſi quæ quaque lege, vel quo alio jure ſpecialiter huic delicto impoſita eſt: quin immo multa ibi dicitur, ubi ſpecialis pœna non eſt impoſita* — ff. ibidem. Pœna alia eſt criminalis, civilis altera. Criminalis ea eſt, quæ tendit ad vindictam publicam, ipſique proprie convenit definitio pœnæ ſupra recitata. Civilis minus proprie dicitur pœna, quia non infligitur ob vindictam publicam, ſed propter privatum commodum partis læſæ: & dividi ſolet in legalem, judicialem, & conventionalem. Legalis dicitur, quæ infligitur a lege: judicialis, quæ a Judice: conventionalis, quæ ex partium conventione. Pœna item alia eſt ordinaria, extraordinaria altera. Ordinaria dicitur, quæ inflicta eſt expreſſe a lege, vel a Judice, aut legitima fuit conſuetudine inducta. Dicitur autem extraordinaria, ſeu arbitraria, quæ nulla lege, nulla conſuetudine ſancita eſt, ſed prudenti, & juſto imponitur Judicis arbitrio. Pœna demum alia eſt latæ, alia ferendæ ſententiæ. Prima dicitur, quæ incurritur ipſo facto, ſola criminis perpetratione, ſola tranſgreſſione mandati, vel legis, ante quamcumque Judicis condemnantis ſententiam. Secunda ea eſt, quæ a delinquente ſtatim non incurritur, ſed requirit ſententiam Judicis condemnantis, ut delinquens cenſeatur in eam incidiſſe. Author in præſenti loquitur de pœna civili, eaque conven-

ventionali, quam partes contrahentes ſibi invicem imponunt. Hanc illæſa conſcientia imponi poſſe invicte demonſtrant cap. *Conſtitutus*, & cap. *Suam* ab Authore laudata, quæ ambo ſunt Innocentii III. In primo declarat Summus Pontifex, quod ſi uterque contrahentium agit contra contractum, uterque poteſt exigere pœnam ad invicem in conventione promiſſam. In ſecundo conſtituit, quod obligatus ad certam quantitatem quadam determinata die ſub pœna ſolvendam, non tenetur ad integram pœnam, ſi partem ſolvit intra terminum. En primum — *Licet autem in iſtrumento Epiſcopi Lavitani expreſſa fuerit certa pœna, quam pars contractum non ſervans ſolveret obſervanti: cum tamen utraque pars veniſſe contra illum ex confeſſione propria convincantur, eum & pars veſtra ſubtraxerit Epiſcopo penſionem, & Epiſcopus procurationem exegerit ab eadem Eccleſia, ſicut Oeconomus propoſuit memoratus, utramque partem ab ea reddimus abſolutam* —. En ſecundum — *Suam ad nos Rectores Clericorum S. Fortunati querimoniam tranſmiſerunt, quod cum tibi eſſent in quadraginta libris per quoddam arbitrium condemnati, eſſetque pœna triginta librarum appoſita, niſi eas ſolverent in termino conſtituto, tandem triginta tribus libris in termino perſolutis, occaſione ſeptem reſiduarum per quaſdam noſtras literas veritate tacita impetrans, obtinuiſti eos in præfatis triginta libris tibi per delegatum Judicem condemnari. Quia igitur te non decet in tantum Pontificalis modeſtiæ oblivviſci, ut inhoneſtis quæſtibus anhelando deſideres eum aliena jactura ditari, mandamus, quatenus, ſeptem librarum ſolutione contentus, ſuper pœna triginta librarum memoratos Rectores de cetero non moleſtes*.

Diſputari hic ſolet, an in mutuo hæc pœna poſſit apponi. De hac re multa dixi cum Authore in Anecdoto *de Contractibus* pag. 82. & ſeq. pag. item 107., & ſeq. Ea igitur potes conſulere. Unice ipſe proferam S. Antoninum, & S. Bernardinum, qui ambo cum Authore affirmativam tuentur ſententiam. Sanctus quidem Antoninus part.2. tit.1. cap.7. §.22. ſcribens — Quid de pœna appoſita in contractu mutui: puta ſi non reſtituit inde ad certum tempus, ſolvat tantum recipiens mutuum ultra capitale: numquid poteſt peti talis pœna abſque uſura? Reſpondeo ſecundum Raymundum. Si pœna fuit a Judice impoſita propter puniendam contumaciam debitoris, qui non ſolvit in termino, cum poſſet, non eſt uſura. Arguitur 23. diſt. cap. *Quamquam*, & ff. *de regulis juris* L. *Qui auctore*. Si etiam pœna ſit de conſenſu partium in contractu appoſita, ad hoc ſcilicet, ut ſaltem metu pœnæ debitum ſolvatur, uſura non committitur, niſi a principio fuerit prava intentio. Arguitur Extra *de arbitris* cap. *Dilecti*. Sed tamen præſumitur in fraudem, ſi ille alias conſuevit eſſe uſurarius, vel ſi per ſingulos menſes, vel annos dicatur pœna committi. Arguitur cap. eod. Stabitur tamen in judicio ejus confeſſioni, & maxime in foro conſcientiæ. Idem Hoſtienſis. Tamen in omni eventu non videtur honeſtum petere pœnam; immo nec etiam licitum, quando debitor ſine culpa ſua factus eſt impotens

ad

ad ſolvendum. Et ideo puniri non debet. Et idem videtur dicendum de eo, quod dictum eſt ſupra §. ante praecedentem, quantum ad lucrum ceſſans, quod ſcilicet non debeat illud exigi, quando ex impotentia ille non ſolvit. Ultra praedictas poenas poſitas, ſcilicet judicialem, quae infertur a Judice, & conventionalem, quae ponitur in contractu de conſenſu partium, eſt & tertia poena, quae dicitur legalis, vel canonica, de qua habetur 12. q. 2. cap. *In legibus*, & in diverſis Civitatibus ponuntur certae poenae pecuniariae, ſicut v. g. cum ſtatutum eſt alicubi, quod tutor de pecuniis pupilli, quae perveniunt ad manus ejus, teneatur emere poſſeſſionem, vel reſpondere ei ad rationem quinque pro centenario. Si igitur tutor pecuniam pupilli exponat pro factis ſuis, vel faciat negotiationes pro ſe, tenetur utique dare pupillo quinque pro centenario, etiamſi cum illo nihil eſt lucratus: ex quo nomine ſuo, non pupilli, eſt negotiatus cum eis. Juſte enim hoc ſtatutum eſt, ne tutores ex malitia, vel negligentia ſint infidi pupillis, & male tractent ſubſtantias eorum, ſicut frequenter fit. Nec poteſt conqueri tutor, ſi inde non eſt lucratus: quia potuit emere de illis pecuniis poſſeſſiones, vel nomine pupillorum exponere in juſtis & licitis mercantiis; & tunc lucrum & damnum eſſet pupillorum fideliter agendo —. Sanctus quoque Bernardinus To. 2. Serm. 42. art. 3. cap. 1. verſus medium — Tertia vero poena eſt conventionalis, ideſt de conſenſu partium appoſita, ut ſaltem poenae metu debitum certo die ſolvatur: & hanc etiam licet exigere, Extra *de arbitris* cap. *Dilecti*, 12. q. 2. cap. *Fraternitas*. Apponitur autem talis poena, ut pacta ſerventur, Extra *de poenis* cap. *Conſtitutus*, dum tamen intentio ſit recta. Quia, ut praediximus, ſi creditor ea intentione det mutuum, quia credit, aut ſperat poenam eſſe ſolvendam: tunc non aboletur vitium uſurae, quum ipſe mutuet cauſa lucri, & quum ipſe ſperet lucrari poenam; quae quidem ſpes deſtruit ejus liberalitatem, & gratuitum mutuum. Praedictis concordat Hoſtienſis, & addit, quod conventionalis poena praeſumitur eſſe uſura, quando ſcilicet talis ſolet exercere uſuras, aut ſtipulatur poenas in menſes, vel ſingulos annos, in Authent. *Ne quis mutuum dans agricolis* Collat. 4. poſita C. *de uſuris*, Authent. *ad haec*. De intereſſe etiam lucri talis detentionis ſecundum quoſdam tenendum eſt idem, quod in praecedenti capitulo dictum eſt. Tamen in omni eventu petere poenam non videtur honeſtum, immo nec licitum: quando ſcilicet ſine ſua culpa factus eſt impotens ad ſolvendum, vel ad promiſſa ſervandum; quare puniri non debet. Unde ſi abſque dolo & fraude in contractu poena appoſita fuit, quod, ſi in tali termino, ſeu loco non ponit merces, ſubeat talem poenam: ſi ex eo quod non habuit merces damnificatus eſt, videtur quibuſdam, quod poſſet petere ſaltem uſque ad intereſſe, niſi ille fuiſſet legitime excuſatus: quia tunc eum non licet gravare.

Secundum Dubium. Utrum tota poena poſſit exigi per ſe principaliter? Re-

Reſpondet Panormitanus, ubi ſupra, quod aut obligatio eſt individua, aut dividua. Si obligatio individua eſt, tunc ſolutio partis non tollit, nec minuit pœnam L. *Hæredes* §. *An ea ſtipulatio* ff. *Familiæ erciſcundæ*, & ff. *de verborum obligationibus* L. ead. §. *Cato* in principio: & dicitur obligatio individua, quando ſolutio partis non affert totam commoditatem: puta promiſi tibi ſcribere librum unum ſub pœna: reſcripſi medium: non tollit pœnam, quia medietas ſcripta non affert tantam utilitatem ſecundum partem, ſicut tota ſcriptura ſecundum totum. Si vero obligatio dividua eſt, quæ tunc eſt, quando ſolutio partis affert tantam commoditatem ſecundum partem ſicut ſolutio totius ſecundum totum: puta promiſi tibi ſcribere duos libros diverſarum facultatum: ſcripſi unum: tunc pœna non poteſt exigi niſi pro parte, quia ſecundum partem habes totam commoditatem ipſius. In hoc communiter concordant Doctores in dict. cap. *Suam*, & Gloſſa ibi, & in cap. *Dilecti* Extra *de arbitris*, & magis clare Bartolus in L. *Stipulantes non dividuntur*, & in L. 4. §. *Cato* ff. *de verborum obligationibus*, & Gloſſa in L. *Si ſervus* ff. *Si quis cautionibus*.

(233) Perſpicuum id eſt ac æquiſſimum, nec ulla indiget explanatione. Unice igitur profero quod ſcriptum eſt ff. *de verborum obligationibus* L. eadem §. 1. – *Cato lib. 15. ſcribit, pœna certæ pecuniæ promiſſa, ſi quid aliter factum ſit, mortuo promiſſore, ſi ex pluribus hæredibus unus contra quam cautum ſit, fecerit: aut ab omnibus hæredibus pœnam committi pro portione hæreditaria, aut ab uno pro portione ſua. Ab omnibus ſi id factum, de quo cautum eſt, individuum ſit, veluti iter fieri: quia quod in partes dividi non poteſt, ab omnibus quodammodo factum videretur. At ſi de eo cautum ſit, quod diviſionem recipiat, veluti amplius non agi: tum eum hæredem, qui adverſus ea fecit, pro portione ſua ſolum pœnam committere.*

TERTIUM DUBIUM. Utrum ſolutio pœnæ juris, vel ſtatutorum, neceſſaria ſit in conſcientia?

Re-

Reſpondet Panormitanus *de uſuris* in cap. *Tua nos*, quod non, niſi poſt condemnationem, ſicut dicit Gloſſa ſingularis in cap. *Fraternitas tua* 12. q. 2. Nec obſtat dictum Theologorum, quod refert Joannes Andreæ in cap. 2. *de uſuris*, & Federicus in Conſilio 21. videlicet quod lex condita ab habente poteſtatem non continens manifeſtam iniquitatem debet ſervari in foro conſcientiæ : quia debet intelligi, quando non ceſſat ratio legis in foro animæ, ſeu quando eadem eſt ratio in utroque foro; aliter ſecus, ut in cap. *Tua nos* Extra *de ſponſalibus*: quod bene notandum eſt pro Regula.

(234) En verba Panormitani loco citato num. 12.– Item quia in foro animæ non habet locum ſolutio pœnæ : ſatis eſt ſatisfacere, ut dicit Gloſſa ſingularis 12. q. 2. cap. *Fraternitas*, & ſequitur Federicus, & Joannes Andreæ ubi ſupra: nam, quod lex condita ab habente poteſtatem non continens manifeſtam iniquitatem debet ſervari etiam in foro animæ, debet intelligi, quando non ceſſat ratio in foro animæ, ſeu eadem eſt ratio in utroque foro; alias ſecus, ut in cap. *Tua*, *de ſponſalibus*. Et hoc bene notabis – ~~Hactenus ille. En quod~~ habet Gloſſa ab Authore indicata in fine illius Capitis – *Quæſitum fuit, ſi aliquis confeſſus fuit, ſe furtum feciſſe, Sacerdoti ſuo, an in pœnitentia debet ei injungi, ut illam rem reſtituat cum pœna? Reſpondeo, quod non* –. Et reipſa – *Pœna manifeſti furti, quadrupli eſt, tam ex ſervi, quam ex liberi perſona, nec manifeſti, dupli* – Inſtitut. *de obligationibus quæ ex delicto naſcuntur* §. 5.. Ad hanc pœnam certe non tenetur quis in foro animæ antequam a Judice condemnetur ; ſatis quippe eſt, quod Dominum ſervet indemnem, reſtituendo ei quod accepit, damnaque omnia compenſando, quæ paſſus eſt Dominus. Recole Annotationem 131., & in ea alia exempla reperies rem hanc mirifice confirmantia. Dixi ibi cum Gennetto, quod ſi animal damnum inferat proximo, & hoc contingat abſque ulla Domini culpa, non tenetur Dominus ad pœnam juris, neque ad compenſandum damnum, niſi poſt ſententiam Judicis. Dixi ibi cum eodem eximio Præſule, quod ſi famulus aliquid projiciendo de feneſtra Domini alicui noceat, & hoc non contingat culpa Domini, ſeu heri, hærus in conſcientia non tenetur ſolvere nec pœnam juris, nec damnum, niſi prius accedat Judicis ſententia. Dixi ibi cum eodem, quod idem ſtatuendum eſt de eo, qui cauponæ præeſt, de gubernatore navis, & ejuſdem generis aliis; aliud enim eſt forum fori, aliud forum conſcientiæ. Primum ſemper præſumit culpam, etſi hæc quandoque

non

non habeatur; & iccirco ſemper infligit pœnam a jure ſancitam ob bonum publicum. Secundum autem præſumptioni non innititur, ſed veritati; quapropter ſimul atque non interveuit culpa, pœnam non infligit. Quod ſi ob culpam unice præſumptam ſequatur ſententia Judicis: obtemperare tunc debet condemnatus, & ſolvere; ſecus omnia ſus deque verterentur, & ſub prætextu quod nulla intervenit culpa, qualibet ſententia ſuo fruſtraretur effectu non ſine ſummo totius Reipublicæ incommodo.

Cave tamen, ne ex hoc inferas nullam legem pœnalem obligare in conſcientia, niſi prius accedat ſententia Judicis condemnatoria, vel declaratoria. Id quidem veriſſimum eſt, ſi in lege non exprimatur, quod pœna, & pœnæ ſolutio ipſo facto ante ſententiam Judicis incurrantur: cujus indolis ſunt exempla modo producta, cujus indolis ſunt ferme omnes pœnæ in jure, & in ſtatutis præſtitutæ. Aſt ſi in lege, aut in ſtatuto id exprimatur, vere ſcripſit Antoine cum communi Doctorum *de legibus* ſect.3. cap. 8. q. 2. – Ex communi ſententia reus tenetur ante ſententiam Judicis etiam declaratoriam ſubire pœnas ipſo facto latas, ſive illæ pœnæ ſint paſſivæ, quæ nullam rei actionem requirant, ut ſunt cenſuræ, irregularitates, privatio vocis paſſivæ, & activæ, irritationes contractuum, inhabilitas: ſive ſint activæ, ſed moderatæ, ut ſunt recitatio aliquarum precum; jejunium, moderata corporis caſtigatio, mulcta pecuniaria, & ſimiles. Conſtat primo, ex communi Eccleſiæ ſenſu, & uſu. Secundo quia legiſlator poteſt per ſuam legem infligere, & exequi pœnas hujuſmodi, quoties hic modus infligendi, & obligandi ad illas neceſſarius eſt, aut valde expedit bono communi, ſicut reipſa ſæpe expedit. Tertio, non minor eſt poteſtas obligativa in lege, quam in ſententia Judicis: cum lex ſit actus immediate procedens a Principis poteſtate; ſententia vero ſit a poteſtate delegata Principis: & legiſlator poteſt per ſuam legem infligere, & exequi pœnam, quam poteſt per Judicem, qui ab eo totam ſuam poteſtatem accipit, quando per talem modum exequendi pœnam, pœna non redditur nimis acerba, & moraliter impoſſibilis. Ergo ſi reus tenetur ſubire & exequi pœnam per ſententiam Judicis inflictam, tenetur etiam ſubire, & exequi pœnam per legem inflictam, ſi illa pœna, ut ſtatim & ante omnem ſententiam a reo perſolvenda, non ſit nimis acerba, & moraliter impoſſibilis. Quod addo, quia lex humana debet eſſe tolerabilis, & accommodata imbecillitati, ac conditioni humanæ; alioquin eſſet occaſio multarum tranſgreſſionum, & ideo magis obeſſet, quam prodeſſet. Ex communi ſententia reus non tenetur ante ſententiam declaratoriam ſubire pœnam ipſo facto latam, quæ executioni mandari nequit ſine actione rei, ſi illius executio ſit admodum acerba, & difficilis, ut confiſcatio omnium bonorum, privatio Beneficii juſte poſſeſſi &c., niſi addantur aliæ voces plus ſignificantes v. g. ut nulla alia præmiſſa monitione, & ante omnem declarationem, & promulgationem ſententiæ ſit privatus Beneficio &c., quia pri-

primo communis uſus tales leges ſic interpretatur : & aliunde voces *ipſo facto* , *ipſo jure* in illis legibus poſitæ ſufficientem effectum habent : nam ſignificant ad pœnam ſtatutam contrahendam non requiri ſententiam condemnatoriam , ſed ſufficere declaratoriam , faciuntque , ut pœna illa extendatur , ac retro trahatur uſque ad diem commiſſi criminis : ita ut alienatio v. g. bonorum a die commiſſi criminis facta reſcindi queat . Secundo cap. 19. *de hæreticis* in Sexto , cum ſtatutum eſſet bona hæreticorum eſſe ipſo jure confiſcata , mox additur , ne executio confiſcationis fiat ab ullo Principe ſæculari , donec a Judice competente ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata --. Hactenus Antoine . Nec te conturbet , quod titulo proxime præcedente quæres quinto dixerim , quod Beneficia Simoniace accepta illico ſint dimittenda ante quamcumque ſententiam Judicis ; hic autem doceat Antoine , non eſſe dimittenda niſi per ſententiam Judicis declaratoriam . Illic locutus ipſe ſum de Beneficio injuſte accepto , & poſſeſſo , ſicuti fit a Simoniace electis . Hic vero loquitur Antoine de Beneficio juſte poſſeſſo , quod propter delictum poſterius dimittere quis non tenetur , niſi accedat declaratoria Judicis ſententia . Super doctrina tradita ab Antoine vide etiam , ſi placet , Anacletum in lib. 1. Decretal. tit. 2. §. 10. num. 226. & ſeq. , nec non Ferraris ver. *Lex* art. 2. num. 37. & ſeq.

Vice-

VIceſimus ſeptimus Titulus, qui eſt de Præſcriptione, & Uſucapione, continet duas quæſtiones, ſeu duo Dubia.

Primum Dubium. Utrum præſcribens rem alienam, & poſtea cognoſcens eſſe alienam, teneatur eam de neceſſitate reſtituere?

Reſpondeo, quod, quum præſcriptio jus quoddam ſit ex tempore cum titulo poſſeſſionis rerum immobilium, aliquando dominium utile, aliquando actionis utilitatem, aliquando legitimæ exceptionis cauſam tribuens, *16.* q. *3.* cap. *Poſt*, & C. *de præſcriptione triginta, vel quadraginta annorum* L. *Si quis emptionis*, & Extra *de præſcriptionibus* cap. 1. §. finali: nulli dubium, quod non tenetur, ut ex ipſa definitione patet. In hoc concordant communiter Canoniſtæ. Aliqui Theologi videntur ſentire oppoſitum; ſed meo judicio non ita ſentiunt, & unice dicunt, præſcriptionem non excuſare in hoc caſu: ſcilicet cum quis bona fide litigans cum aliquo, obtinet pro ſe ſententiam, quia pars adverſa, tametſi juſtam haberet cauſam, defectu probationum coacta fuit ſuccumbere. Iſte enim, qui pro ſe ſententiam habuit, ſi completa præſcriptione cognoſcat rem fuiſſe alienam, tenetur eam reſtituere ſecundum eoſdem Theologos. Et bene in iſto caſu: quia hoc idem probari poteſt per textum Inſtitut. *de exceptionibus* §. *Item ſi in judicio*, & multo magis per caput primum Extra *de præſcriptionibus*: quia ſicut contra Eccleſiam non currit præſcriptio, dum caret defenſione, vel legitimo impedimento non poteſt agere contra detinentem ſua: ſic in propoſito caſu. Nam iſte legitimo detinetur impedimento, ſcilicet proba-

tionum, & non negligentia, ad quam puniendam inducta eſt præſcriptio. Generaliter iccirco tene in conſcientia, quod excepto hoc caſu præſcribens non tenetur ad reſtitutionem: dummodo in præſcriptione iſta quatuor concurrant. Primo, bona fides, quia ſcilicet credit tradentem rem verum eſſe rei Dominum, licet erret in facto, L. *Bonæ fidei* ff. *de verborum ſignificatione*. Et licet poſtmodum dubitet, ſi tamen quærat, & non inveniat, dubium hoc non obſtat: dummodo conſcientiam non habeat, quod res ſit aliena, cap. *Quoniam*, & cap. *Vigilanti* Extra *de præſcriptionibus*. Secundo, titulus, niſi ſit poſſeſſio tanti temporis quod non extet memoria in contrarium, cap. *Epiſcopum*, *de præſcriptionibus* Lib. Sexto. Tertio, continua poſſeſſio, ſcilicet decem annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes, vel triginta, aut quadraginta ſecundum quod res requirit. Quarto res, quæ præſcribi poſſit: nam multa ſunt, quæ non poſſunt præſcribi, ut decimæ altaris, obedientia Prælato debita, matrimonium in quarto gradu. Item ea, quæ precario poſſidentur alieno nomine; coloni pariter, uſurarii, & creditores pignoris non poſſunt præſcribere. Multa quoque alia, quæ videre potes in Petro Caſuel tit. *de præſcriptionibus* diffuſe. Si quis tamen in hoc haberet conſcientiam erroneam, eamque non poſſet deponere; tunc teneretur reſtituere, licet debito modo præſcripſiſſet.

(235) Præſcriptio generatim accepta idem redolet ac exceptio, qua alterius actio, ſeu intentio excluditur. Proprie autem exceptio eſt peremptoria, qua bonæ fidei poſſeſſor poſt decurſum temporis a lege definiti repellere poteſt Dominum rem ſuam priſtinam repetentem, aut antiquo ſuo jure uti volentem. Veteres cum Authore noſtro diſtinguebant præſcriptionem ab uſucapione, ſicuti reipſa eam diſtinxit Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. §. *de ſecundo*. Dum de immobilibus ſermo erat, præſcriptionem eam appellabant; uſucapionem autem, dum agebatur de mobilibus. Sed jam ubique receptum eſt, hæc duo vocabula indiſtincte uſurpare tum in immobilibus, tum in ſe moventibus, cum in utriſque vocabulum uſucapionis uſurpetur

Iuſti-

Inſtitut. *de uſucapionibus, & longi temporis præſcriptionibus* ſub initio. Præſcriptio, ſeu uſucapio jure civili primum fuit inducta ff. *de uſurpationibus & uſucapionibus* L. 1. — *Bono publico uſucapio introducta eſt, ne ſcilicet quarumdam rerum diu, & fere ſemper incerta dominia eſſent: quum ſufficeret Dominis ad inquirendas res ſuas ſtatuti temporis ſpatium* —. Et poſtmodum a' jure Canonico adprobata fuit, & conſecrata Extra toto tit. *de præſcriptionibus*, in cujus cap. 5. nempe *Vigilanti*, inquit Alex. III. — *Ephefinus enim legiſlator ſolum propter vitandam miſerorum ſegnitiem, & longi temporis errorem, & confuſionem, primus tricennali, vel quadragenali præſcriptioni vigorem legis impoſuit* —. Præſcriptionem tamquam quid iniquum rejecerunt, improbaruntque hæretici non pauci, quos tamen non ſequuntur doctiores inter ipſos, puta Ugo Grotius, Samuel Puſendorfius, Vitriarius, aliique. Et quidem jure optimo: quoniam ad rem Scotus loco proxime memorato — *Si lex juſta potuit juſte determinare prima dominia, & non minor eſt auctoritas legis, vel Principis, quod habeo hic pro eodem, poſt diviſionem dominiorum, quam ante. Ergo propter eandem cauſam, & eundem finem poteſt juſte transferri dominium poſtquam fuerat alicui appropriatum* —. Addo cum eodem ibidem — *Probatur etiam per rationem dupliciter. Primo ſic. Juſte poteſt illud ſtatui a legiſlatore, quod eſt neceſſarium ad pacificam converſationem ſubditorum. Sed dominium rei neglectæ, ſicut negligitur in præſcriptione, & uſucapione, transferri in occupantem, eſt neceſſarium ad pacificam converſationem civium: quia, ſi non transferretur dominium in illum occupantem, ſed remaneret apud primum poſt quantumcumque tempus, eſſent lites immortales: nam poſt quantumcumque tempus ille, qui neglexit, vel hæres ejus repeteret illam rem neglectam ab alio, vel aliis quantocumque tempore occupatam; & eſſent tales lites, quod impoſſibile eſſet eas decidere, quia nec probationem ſufficientem haberent: & ex talibus litibus perpetuis eſſent contentiones, & forſitan odia inter litigantes: & ſic tota pax Reipublicæ perturbata. Secunda ratio eſt: quia legiſlator poteſt juſte per legem punire tranſgredientem, cujus tranſgreſſio vergit in detrimentum Reipublicæ, etiam pœna corporali. Ergo multo magis pecuniaria, & hoc applicando eam fiſco. Ergo pari ratione poteſt eum punire pœna tali, applicando illud, in quo punitur, alicui, qui in hoc eſt miniſter legis. Sed negligens rem ſuam tanto tempore, tranſgreditur ita quod ejus tranſgreſſio eſt in detrimentum Reipublicæ, quia impedimentum pacis. Ergo juſte poteſt lex, ſicut rem illam neglectam applicare fiſco, ita ad majorem pacem transferre illam in illum, qui tanto tempore occupavit tamquam in miniſtrum legis. Et ex hoc patet, quomodo debet intelligi illa præſumptio juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio: quod ſcilicet ſic negligens rem ſuam habuit eam pro derelicta. Etſi enim hoc non ſit verum in re; tamen legiſlator punit illum ac ſi habuiſſet eam pro derelicta: quia in aliquo aſſimilatur habenti pro derelicta, & illud, in quo aſſimilatur derelinquenti, juſte*

requi-

requirit ſimilem pœnam —. Ex hac doctrina infer, quod præſcriptio non ſolum inducta eſt ad puniendam Domini negligentiam, ſed etiam ob alias cauſas, & præſertim ne diu incerta eſſent rerum dominia, ad lites perpetuas evitandas, & ne poſſeſſores immortali timore tenerentur, textu aperto ff. *Pro ſuo* L. 5. — *Uſucapio rerum etiam ex aliis cauſis conceſſa, interim propter ea, quæ noſtra exiſtimantes poſſideremus, conſtituta eſt, ut aliquis litium finis eſſet* —: & C. *de præſcriptione* 30. *vel* 40. *annorum* L. *Cum notiſſimi* in principio — *Noſtræ proviſionis eſſe perſpeximus, hoc quoque emendare, ne poſſeſſores ejuſmodi prope immortali timore teneantur.*

Præſcriptio, quæ recte definitur — *Acquiſitio ſeu adjectio dominii rei alienæ, & peremptio alieni juris per continuationem poſſeſſionis tempore & modo a lege præſtituto* —, per jus civile non ſemper eodem tempore implebatur; primum enim minori tempore fiebat, & poſtmodum tempus longius poſtulavit. Perſpicuum id habes Inſtitut. *de uſucapionibus* ſub initio — *Jure Civili conſtitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui Dominus non erat, cum crederet eum Dominum eſſe, rem emerit, vel ex donatione, aliave quavis juſta cauſa acceperit, is eam rem, ſi mobilis erat, anno ubique uno, ſi immobilis, biennio tantum in Italico ſolo uſucaperet, ne rerum dominia in incerto eſſent. Et quum hoc placitum erat, putantibus antiquioribus, Dominis ſufficere ad inquirendas res ſuas præfata tempora: nobis melior ſententia reſedit, ne Domini maturius ſuis rebus defraudentur, neque certo loco beneficium hoc concludatur. Et ideo Conſtitutionem ſuper hoc promulgavimus, ~~quæ tantum eſt, ut res quidem~~ mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis poſſeſſionem (ideſt inter præſentes decennio, inter abſentes viginti annis) uſucapiantur: & his modis non ſolum in Italia, ſed etiam in omni terra, quæ noſtro imperio gubernatur, dominia rerum, juſta cauſa poſſeſſionis præcedente, acquirantur* —. Dum audis res mobiles, & immobiles, mobilium nomine eas intellige, quæ loco moveri poſſunt, ut pecunia, veſtis, navis, animalia, & hujus generis alia: immobilium vero eas, quæ loco non moventur, ut domus, agri, vineæ, & hujuſmodi, quibus adde cenſus, juſpatronatum, privilegia, & alia ejuſdem indolis, quæ fixa ſunt, & fructum afferunt, ſicuti definivit Clemens V. *de verborum ſignificatione* in Clementina *Exivi* ultra medium, loquens de Regula Fratrum Minorum — *Cumque annui reditus inter immobilia cenſeantur a jure, ac hujuſmodi reditus obtinere paupertati, & mendicitati repugnet: nulla dubitatio eſt, quod prædictis Fratribus reditus quoſcumque, ſicut & poſſeſſiones, vel eorum etiam uſum (cum eis non reperiatur conceſſus) recipere, vel habere, conditione conſiderata ipſorum, non licet* —. Tempus ad præſcribendum in lege ſancitum, decennii ſcilicet in rebus immobilibus inter præſentes, & vicennii inter abſentes: ipſum intellige dum ſermo eſt de privatis hominibus: ipſum pariter intellige de præſcriptione ordinaria cum titulo, & bona fide. Quoniam ſi adſit quidem bona fides, ſed deſit titu-

lus,

lus, tunc locum habet præſcriptio extraordinaria, quæ inter privatos triginta annis abſolvitur, C. *de præſcriptione* 30. *vel* 40. *annorum* L. *Sicut in rem* in principio -- *Si qua res, vel jus aliquod poſtuletur, vel perſona qualicumque actione, vel perſecutione pulſetur, nihilominus erit agenti triginta annorum præſcriptio metuenda* --. Dicebam in rebus immobilibus: quia in ſe moventibus ſive agatur de privatis hominibus, ſive de locis Religioſis, ſive de Eccleſia ipſa Romana, præſcriptio eodem temporis ſpatio, triennio ſcilicet, abſolvitur, ut communior Doctorum ſententia conſtituit, eo quia C. *de ſacroſanctis Eccleſiis* Authent. *Quas actiones* ſcriptum eſt -- *uſucapione triennii, vel quadriennii præſcriptione in ſuo robore durantibus* --, & hæc eadem Authentica in Canonem translata eſt 16. q. 3. cap. penult. in fine. In rebus quidem immobilibus: nam quoad iſtas, ſi ad Romanam Eccleſiam ſpectent, centum anni requiruntur ad præſcribendum, textu aperto ead. Authentica -- *Sola Romana Eccleſia gaudente centum annorum ſpatio, vel privilegio* --: ſi ad alias pertineant Eccleſias, quod item dictum volo de Monaſteriis, Hoſpitalibus, aliiſve locis piis, ea ſi demas, quæ ſpeciali forte privilegio gaudent, anni requiruntur quadraginta, quibus ſolis abſolvitur præſcriptio. Ita Alex. III. Extra *de præſcriptionibus* cap. 4. -- *De quarta decimæ, & oblationis defunctorum Clericus ab impetitione Epiſcopi quadragenaria præſcriptione temporis ſe poſſe tueri videtur. Niſi forte interim paſtoralis ſedes caruiſſet paſtore, qui jura Eccleſiæ ſuæ exigere debuiſſet. Nam Romana Eccleſia tricennalem præſcriptionem contra Eccleſiam non admittit* --. Ita idem Summus Pontifex ibid. cap. 8. -- *Illud autem te ſcire volumus, & tenere, quod adverſus Eccleſiam minorem præſcriptionem, quam quadraginta annorum Romana Eccleſia non admittit, licet quidam Canones comprobent tricennalem: & Eccleſia ſe poteſt adverſus Eccleſiam quadragenaria temporis præſcriptione tueri de re illa, quam inconcuſſe quadraginta annis noſcitur poſſ. diſſe. Verum ſi de præſcriptione, & interruptione inter partes fuerit mota quæſtio, ab utraque parte teſtes recipi debent: & ſi probata fuerit interruptio, præſcriptio non tenebit.*

Nollem tamen credas, jus Canonicum ſuper hac re adprobaſſe, ratumque habuiſſe quicquid in jure Civili fuerat conſtitutum. Non ita ſane. Jure civili ſancitum eſt, quod in præſcriptione ordinaria ſufficiat bona fides ab initio, nihilque præſcriptioni noceat, ſi ante hujus complementum quis fiat poſſeſſor malæ fidei; & iccirco hæredem, qui probe ſcit rem eſſe alienam, hanc præſcribere propter bonam fidem, quam defunctus habuit ab initio, textu expreſſo C. *de uſucapione transformanda* L. unica circa medium -- *Hoc tantummodo obſervando, ut in his omnibus caſibus eam bona fide capiat, ſecundum quod exigit longi temporis præſcriptio, & ut continuetur ei poſſeſſio etiam anterioris juſti poſſeſſoris, & connumeretur in decennium, vel viginti annorum ſpatium, vel tricennium. Quod & in rebus mobilibus obſervandum eſſe cenſemus ut in omnibus juſto titulo poſſeſſionis antecef-*

teceſſoris juſta detentio, quam in re habuit, non interrumpatur ex poſteriore forſitan alienæ rei ſcientia, licet ex titulo lucrativo ea capta eſt —: & Clarius Inſtitut. *de uſucapionibus & longi temporis præſcriptionibus* §. 12. — *Diutina poſſeſſio, quæ prodeſſe cœperat defuncto, & hæredi, & bonorum poſſeſſori continuatur, licet ipſe ſciat prædium alienum eſſe. Quod ſi ille initium juſtum non habuit, hæredi, & bonorum poſſeſſori licet ignoranti, poſſeſſio non prodeſt. Quod noſtra Conſtitutio ſimiliter & in uſucapionibus obſervari conſtituit, ut tempora continuentur* — Jure civili ſancitum pariter eſt C. *de præſcriptione* 30. *vel* 40. *annorum*, quæ inter privatos dicitur præſcriptio extraordinaria, & longiſſimi temporis ad differentiam præſcriptionis decem annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes, quæ vocatur præſcriptio ordinaria, & longi temporis. Sancitum, inquam, ibi eſt L. ult. §. 1., quod ſi hujuſmodi præſcriptor malam fidem habuit ab initio, ipſi quidem non competat actio ad vindicandam rem, ſi eam poſſidere deſinat, eidem tamen competat retentio, ſi non deſinat poſſidere, & exceptio contra quemcumque petentem, & requirentem. Legem ipſam non profero, quia nimis prolixa. Hæc certe & iis ſimilia non patitur jus Canonicum; ea immo an. 1180. expreſſe reprobavit, corrigens jus civile Alex. III. Extra *de præſcriptionibus* cap. 1. inquiens — *Vigilanti ſtudio cavendum eſt, ne malæ fidei poſſeſſores ſimus in prædiis alienis: quoniam nulla antiqua dierum poſſeſſio juvat malæ fidei poſſeſſorem, niſi reſipuerit, poſtquam ſe noverit aliena poſſidere, cum bonæ fidei poſſeſſor dici non poſſit* —. Immo Inno. III. an. 1216. in Concilio generali Lateran. 4., ut legitur ibidem capite ult., ſancivit, quod nec in jure civili locum habeant penes Catholicos, cum abſque peccato mortali nequeant obſervari — *Quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt: Synodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio tam Canonica, quam civilis. Quum generaliter ſit omni conſtitutioni, atque conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali peccato non poteſt obſervari. Unde oportet, ut qui præſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ* —. Jure igitur optimo Regula 2. Juris in 6. — *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit* —. Brevibus rem hanc abſolvit S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 15. §. 7. inquiens — Non requiritur ſecundum leges bona fides niſi ab initio præſcriptionis, ut C. *de præſcriptione* 30. *vel* 40. *annorum* L. *Cum notiſſimi*, & L. *Si quis emptor*, 16. q. 3. § *Poteſt*. Sed ſecundum Canones requiritur bona fides in omni præſcriptione in qualibet parte temporis, quo uſque præſcripſit, Extra de Regulis juris, *Poſſeſſor* lib. 6. Unde in hoc leges illæ ſunt abrogatæ per Canones, ut dicit Joannes Andreæ: quod poteſt facere Papa propter periculum animarum, ut 10. diſt. per totum, & Extra *de præſcriptionibus*, *Vigilanti* —. Hæc ille. Mala fides ita præſcriptioni adverſatur, ut ſi contingat aliquem hæredem dici alicujus poſſeſſoris malæ fidei, non poſſit is ullo tempore præſcribere, tametſi bonæ fidei ipſe ſit Inſtitut. *de uſucapionibus,*

& lon-

& longi temporis præſcriptionibus §. 12. -- *Quod ſi ille initium juſtum non habuit, hæredi & bonorum poſſeſſori, licet ignoranti poſſeſſio non prodeſt* --: & L. ult. C. *Communia de uſucapionibus* -- *Si mala fide ſervum tuum ſciens Antiochus tenuit, intentionem tuam contra ſucceſſorem ejus, licet bona fide poſſidet, propter initii vitium uſucapio non abſumpſit* --. Ratio ea eſt, quam legimus ff. *de diverſis temporalibus præſcriptionibus* L. 11. -- *Cum hæres in jus omne defuncti ſuccedit, ignoratione ſua defuncti vitia non excludit* --; hæres enim in jure cenſetur una perſona cum defuncto, eique ſuccedit nedum in omnia jura, ſed in omnes etiam ejuſdem obligationes reales. Et iccirco, ſi defunctus utpote malæ fidei poſſeſſor non poterat præſcribere, & ad reſtitutionem tenebatur, ad eandem tenetur pariter hæres ipſius, tametſi bonæ fidei ſit. Dico hæres, non donatarius, non legatarius, non qui rem accepit alio titulo, quam titulo hæreditatis: quoniam hi non cenſentur una perſona cum defuncto; & iccirco jure optimo ff. *de diverſis temporalibus præſcriptionibus* L. 5. ſub initio -- *An vitium auctoris, vel donatoris, ejuſve, qui mihi rem legavit, mihi noceat, ſi forte auctor meus juſtum initium poſſidenti non habuit, videndum eſt? Et puto neque nocere, neque prodeſſe: nam denique & uſucapere poſſum, quod auctor meus uſucapere non potuit* --. Hæres, inquam, immediatus, non mediatus, ſeu hæres primi hæredis: nam hic, quum fictione juris non ſit una perſona cum defuncto, præſcribit ſane, incipiens a die, qua rem ipſe accepit, textu aperto Inſtitut. *de uſucapionibus* §. 4. -- *Nam ſi hæres rem defuncto commodatam, aut locatam, vel apud eum depoſitam, exiſtimans hæreditariam eſſe, bona fide accipienti vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, quin is, qui acceperit, uſucapere poſſit, dubium non eſt.*

Venio nunc ad doctrinam Authoris, qui, præmiſſa finitione præſcriptionis, & expoſito nonnullorum veterum Theologorum caſu, arbitratur cum iiſdem eſſe ſentiendum in foro conſcientiæ. Caſus erat de eo, qui ex defectu probationum partis adverſæ obtinuit a Judice ſententiam ſibi faventem, & poſt ipſam reperiit legitimum documentum, quo invicte probatur rem ſibi adjudicatam non eſſe ſuam, ſed alienam. Hunc vult, cognita veritate, teneri ad reſtitutionem, tametſi incœperit poſſidere bona fide, & præſcriptio impleta ſit antequam ſibi conſtaret de oppoſito. Communis certe nunc eſt penes Theologos doctrina, quam tradit Gabriel Antoine de juſtitia & jure part. 1. cap. 2. §. 2. q. 1. -- Hinc licet retinere rem legitime præſcriptam, etiamſi poſtea cognoſcatur eſſe alterius, niſi tamen prior Dominus per Judicem reſtituatur in integrum: quæ reſtitutio conceditur minoribus, qui habent jus eam petendi toto quadriennio a die, quo majores facti ſunt. Idem jus Eccleſiæ, & aliis piis locis conceditur per quadriennium a die, quo Eccleſia novit præſcriptionem bonorum ſuorum ex cap. 1. *de reſtitutione in integrum* in Sexto; & interdum conceditur etiam majoribus ob juſtas cauſas. Poſt ſententiam autem Judicis eſt obli-

gatio in conſcientia res præſcriptas reſtituendi, quia juſta eſt, nec nititur falſa præſumptione, ſed legibus ita diſponentibus —. Hæc ille. Ab hac communi doctrina recedere ipse non audeo; ſecus omnia ſus deque verterentur, & rerum dominia pene omnia eſſent incerta tum in foro civili, tum in canonico. Arbitror igitur etiam in eo caſu poſſeſſorem, qui legitime præſcripſit, non teneri ad reſtitutionem: quia per præſcriptionem auctoritate publica factus eſt verus Dominus illius rei, quam præſcripſit. Candide fateor, ſcriptum eſſe Inſtitut. *de exceptionibus* §. 5. *Item ſi in judicio tecum actum fuerit ſive in rem, ſive in perſonam, nihilominus obligatio durat* —, ſuper qua lege ita Gloſſa — *Caſus*. *Adhuc præter exceptiones illas, de quibus ſupra dictum eſt, quædam alia eſt exceptio, per quam poteſt reus ſe tueri: veluti ſi verus debitor per ſententiam Judicis fuerit abſolutus ſententialiter. Licet enim per imperitiam verus debitor abſolvatur, naturaliter tamen manet debitor: ſed contra creditorem agentem poterit ſe tueri exceptione rei judicatæ* —. Sed juvat animadvertere, hic præſcriptione ſuperſedi, & præſcriptionis jure. Certe ſi verus debitor imperitia Judicis abſolvatur, adhuc eſt vere debitor, adhuc ipſi incumbit onus reſtituendi alienum, quia in conſcientia factum non eſt ſuum per ſolam Judicis ſententiam. At ſi hic idem debitor poſt ſententiam Judicis ſibi faventem bona fide iterum cœperit poſſidere rem alienam, eamque legitime præſcripſerit, res, quæ prius erat aliena, jam facta eſt ſua, non per ſententiam Judicis, ſed per legitimam præſcriptionem ab utroque jure probatam. ~~Conteſtatio litis unice~~ efficit, quod præſcriptio non currat, ſed interrumpatur; non vero, quod ſecuta ſententia inchoari iterum non poſſit præſcriptio, & debito tempore impleri. Hoc unum igitur remanet antiquo Domino, quod petat a Principe reſtitutionem in integrum. Si hanc conſequitur graviſſima quadam de cauſa, poteſt tunc agere contra poſſeſſorem; & ſecuta ſententia tenetur hic reſtituere alienum, tametſi jam legitime præſcriptum. Si poſtmodum eam obtinere nequeat, ſicuti plerumque non obtinetur, agere amplius non poteſt contra eundem, ſed jacturam rei olim ſuæ patienter ſuſtinere debet. Ita poſtulat bonum publicum. Ita Reipublicæ quies, atque tranquillitas. Caput poſtmodum primum *de præſcriptionibus*, ad quod Author appellat, veterum Theologorum doctrinam non confirmat. In eo unice conſtituitur, quod vacante Eccleſia non currat præſcriptio contra eandem: non item currat, dum Epiſcopus non eſt Catholicus, quia tunc comparatur Eccleſiæ vacanti. Nihil hoc confert ad caſum, de quo agitur, quum ponatur, quod antiquus Dominus in vivis ſit, & agat contra poſſeſſorem. Quum ponatur, quod poſt ſententiam Judicis inchoetur iterum præſcriptio, & impleatur. Nihil, inquam, confert, quum unice probet, præſcriptionem litis conteſtatione fuiſſe interruptam, non vero quod præſcriptio locum amplius habere non poſſit in caſu, de quo agitur. Firmum igitur remanet, quod poſſeſſor præſcriptione completa,

rem,

rem, quæ erat aliena, ſuam reipſa fecit; eamque, cognita veritate, quam currente præſcriptione prorſus ignoravit, non tenetur in conſcientia reſtituere. Ita S. Thomas Quolibet. 12. q. 6. art. 2. — *Dicendum eſt, quod, ſi quis præſcribat bona fide poſſidendo non tenetur ad reſtitutionem, etiamſi ſciat alienum fuiſſe poſt præſcriptionem: quia lex poteſt aliquem pro peccato, & negligentia punire in re ſua, & illam alteri dare, & concedere* —. Ita per univerſum, quo late patet, orbem ſentit, & ſervat Eccleſia, teſte S. Raymundo lib. 2. tit. *de præſcriptionibus* §. 33. — *Præſertim quum ſic videatur ſervare per univerſum orbem, quocumque ſe diffundit Eccleſia* —. Ita Anacletus in lib. 2. Decretal. tit. 26.; poſtquam enim num. 59. oſtendit requiri bonam fidem toto tempore præſcriptionis, num. 60. ſubdit — Secus eſt dicendum, ubi poſt completam bona fide præſcriptionem primum ſupervenit notitia rei alienæ: quia cum talis jure præſcriptionis jam legitime fuerit adeptus dominium rei alienæ juxta dicta num. 21., & ſeq., hoc ipſo non cenſetur malæ fidei poſſeſſor, neque rem illam amplius reſtituere tenetur —. Hæc ille.

Adjicit Author quatuor requiri ad legitimam præſcriptionem, nempe bona fides, titulus, continua poſſeſſio, & quod res ex iis ſit, quæ poſſunt præſcribi. Nonnulli quintam addunt conditionem, quæ tamen in quatuor enarratis continetur. Omnes poſtmodum hiſce verſibus exprimuntur

Non uſucapies, niſi ſint tibi talia quinque
Sit res apta, fides bona, ſit titulus quoque juſtus,
Poſſideas juſte, completo tempore legis.

Bonæ fidei emptor eſſe videtur, qui ignoravit eam rem alienam eſſe: aut putavit eum, qui vendidit, jus vendendi habere, puta procuratorem, aut tutorem eſſe — ff. *de verborum ſignificatione* L. 109. Bonam fidem neceſſariam eſſe nedum ad initium præſcriptionis, ſed etiam ad ejuſdem continuationem, jam ſupra oſtendi cum communi Theologorum ſententia. Expendendum igitur duntaxat eſt, an dubium ſuperveniens præſcriptionis motum abrumpat, nec ne: ſi dubitans poſt diligentem indaginem ignoret rem eſſe alienam, rei alienæ conſcientiam non habeat, ſed nihilominus adhuc hæreat. Negative reſpondet Author, ipſique inter alios præivit Aſteſanus lib. 3. tit. 2. art. 6., *Sed quid ſi dubitet* —: ipſumque cum bene multis ſecuti ſunt nedum ex noſtris Anacletus in lib. 2. Decretal. tit. 26. num. 63., & Ferraris ver. *Præſcriptio* §. 2. num. 16., ſed & ipſe Gabriel Antoine alterius Inſtituti vir de juſtitia & jure part. 1. cap. 2. §. 2. q. 2. ſcribens — Cum quis poſt diligentem veritatis inquiſitionem neſcit, nec judicat probabilius rem, quam habet, eſſe alienam; ideoque judicat ſe poſſe ut ſuam retinere. Hæc (ſubaudi bona fides, de qua ſupra) juxta multos ſufficit ad continuandam poſſeſſionem: quia, ut quis poſt inchoatam bona fide poſſeſſio-

nem perſeveret eſſe poſſeſſor bonæ fidei, ſatis eſt, quod poſt diligentem veritatis inquiſitionem non habeat rei alienæ conſcientiam, ex Conc. Lateran. cit., & ex S. Auguſtino in cap. *Si virgo* 34. q. 1. -- *Tamdiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſime dicitur, quandiu ſe poſſidere ignorat alienum. Cum vero ſcierit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei poſſeſſor perhibetur. Hinc juſte injuſtus poſſeſſor vocabitur* --. At dubitans num res ſit aliena, vel ſua, non habet conſcientiam rei alienæ, & ignorat ſe poſſidere alienum. Deinde poſſeſſio bona fide inchoata eſt ratio ſufficiens ad rem ſibi retinendam, donec probetur rem eſſe alienam: quia -- *in pari cauſa eſt conditio poſſidentis* -- Regula 65. Juris in Sexto. Poſſeſſor autem cum dubitare incipit, tenetur diligenter exquirere veritatem, qua diligenter inveſtigata, ſi perſeveret dubium, poteſt juxta multos determinate & prudenter judicare ſe poſſe rem ut ſuam retinere: eo quod in tali dubio melior eſt conditio poſſidentis. Sed ſine tali judicio non poteſt rem illam retinere: nam ſi dubitans an res ſit ſua, ſimul dubitet an liceat ſibi eam retinere, non continuat poſſeſſionem bona fide L. 32. ff. *de uſurpationibus & uſucapionibus* --. Hæc ille. En legem hic indicatam §. 1. -- *Si quis id, quod poſſidet, non putat ſibi per leges licere uſucapere: dicendum eſt, etiamſi erret, non procedere tamen ejus uſucapionem, vel quia non bona fide videatur poſſidere, vel quia in jure erranti non procedat uſucapio* --. Hæc tamen doctrina omnibus non arridet; ſcimus enim Colletum in ſuis Inſtitut. de juſtitia & jure cap. 2. art. 1. ſect. 2. punct. 3. §. 3. q. 3., Cuniliati de 7. Decal. præcepto cap. 2. §. 16. num. 3., Concinam de juſtitia & jure lib. 2. Diſſert. 1. cap. 14. num. 25. & ſeq., alioſque, tueri oppoſitum. Eorum præcipua ratio hæc eſt: quia de eo, qui dubitat dubio gravi, & probabili, de quo hic ſermo, adfirmari nequit, quod ignoret rem eſſe alienam, ſicut ad præſcriptionis continuationem poſtulat Auguſtinus ab Antoine memoratus. Vacillat quippe, & hæret. Arbitrantur ergo in hoc caſu negotium eſſe inter partes componendum, & pro rata dubii rem eſſe dividendam judicio prudentum. Et quoniam melior eſt conditio poſſidentis, adjiciunt, quod in rei partitione major portio tribuenda eſt poſſeſſori, qui titulo poſſeſſionis præferendus adverſario eſt. Judicium hoc ſuum confirmant, ex eo quod Inno. III. Extra *de ſententia excommunicationis* cap. 44. conſultus ſuper conjuge dubitante de valore matrimonii bona fide contracti, non dixit, dubium ſuperveniens nihil eſſe faciendum, ſed definivit, conjugem debere operari pro rata dubii -- *Inquiſitioni tuæ reſpondentes, credimus diſtinguendum: utrum alter conjugum pro certo ſciat impedimentum conjugii, propter quod ſine mortali peccato non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Eccleſiam probare non poſſit: an non ſciat pro certo, ſed credat. In primo caſu debet potius excommunicationis ſententiam humiliter ſuſtinere, quam per carnale commercium peccatum mortale operari. In ſecundo diſtinguimus, utrum habeat conſcientiam hujuſmodi*

ex

ex credulitate levi, & temeraria, an probabili, & diſcreta: *Et quidem ad ſui paſtoris conſilium (conſcientia levi, & temerariæ credulitatis explosa) licite poteſt non ſolum reddere, ſed exigere debitum conjugale. Verum cum conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non evidenti, & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet: ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conſcientiæ committat offenſam* --. Quæ ex hiſce duabus ſententiis præferenda ſit, aliorum eſto judicium. Certo tamen certius eſt latum eſſe diſcrimen inter valorem matrimonii, de quo Innocentius, & valorem præſcriptionis, de qua in caſu. Valor matrimonii jus divinum habet adnexum -- *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet* -- Matth. 19. v. 6. Valor præſcriptionis totus eſt juris humani, quum ſolius juris humani ſint dominia., de quibus agit præſcriptio -- *Quo jure defendis villas Eccleſiæ, divino, an humano? Divinum jus in Scripturis habemus, humanum jus in legibus Regum. Vnde quiſque poſſidet, quod poſſidet? Non ne jure humano? nam jure divino Domini eſt terra, & plenitudo ejus: Pauperes & divites Deus de uno limo fecit, & pauperes & divites una terra ſupportat. Jure tamen humano dicitur, hæc villa mea eſt, hæc domus mea, hic ſervus meus eſt* -- diſt. 8. cap. 1. Matrimonium ſemel validum nulla publica hominum auctoritate reddi poteſt irritum. Dominium ſemel alicui conceſſum, multoties ipſi poteſt publica hominum auctoritate tolli. Conjux ſemel factus unius per conjugium, publica hominum auctoritate non poteſt eidem tolli, & alteri tradi: tolli autem poteſt dominium alicui ſemel traditum, & fieri alterius, & alteri concedi, ſicuti in præſcriptione ſit. Non videtur igitur abſonum, quod in iis, quæ jus divinum habent adnexum, & fortius illigantur, dubium ſuperveniens ſemper aliquid efficiat, & quandoque nihil efficiat in iis, quæ ſunt duntaxat juris humani, quum hoc poſtremum ex integro pendeat ab hominum voluntate. Accedit, quod, ſi dubium ſuperveniens, & ſiſtens in puro dubio, officeret præſcriptioni bona fide inceptæ, incerta plerumque eſſent rerum dominia. Et aliunde ſcimus, ad hoc incommodum de Republica tollendum præſcriptionem fuiſſe præſertim inductam.

Titulum quod reſpicit, qui ex S. Antonino part. 2. tit. 1. cap. 15. §. 7. dicitur -- *Omnis actus, per quem ſolet acquiri dominium* --, & definiri recte poteſt -- *Cauſa ex ſe habilis, vel ad transferendum dominium, vel ad præbendam uſucapiendi poteſtatem* --, multiplex ipſe eſt verus ſcilicet, coloratus, exiſtimatus, ſeu putativus, & præſumptus. Verus dicitur cum a parte rei ſubſiſtit, & fundat jus, quod quis ſe habere contendit. Hujus generis eſt emptio valida, valida donatio &c. Dicitur coloratus, cum bona fide creditur eſſe validus, & talis reipſa non eſt. Exemplum ſit, ſi hæres rem defuncto commodatam putaret eſſe hæreditariam, eamque mihi venderet; emptio enim hæc putaretur valida, & iccirco ipſe præſcriberem tamquam

Digitized by Google

emptor bonæ fidei, tametſi eſſet emptio invalida, rei ſcilicet alienæ. Exiſtimatus dicitur, quando nullus reipſa præceſſit titulus; ſed tamen errore probabili præceſſiſſe creditur: puta ſi rem poſſiderem tamquam a ſervo meo emptam, ſicut ei juſſeram, quæ reipſa ab eodem fuiſſet ſurrepta. Dicitur demum præſumptus, quando ob temporis diuturnitatem interveniſſe creditur, quamvis de facto non intervenerit. Ad præſcriptionem dubio procul requiritur juſtus titulus -- *Cum in præſcriptione rerum Eccleſiaſticarum bona fides, & juſtus titulus exigantur* -- Extra *de præſcriptionibus* cap. 17. -- *Nullo juſto titulo præcedente poſſidentes, ratio juris quærere dominium prohibet* -- C. *de rei vindicatione* L. 24. Juſto inquam titulo, non tamen vero, quum, ut optime Inno. III. Extra *de præſcriptionibus* cap. 6. -- *Quod meum eſt ex alia cauſa meum fieri non poſſit, niſi deſierit eſſe meum* -- : & quod ſcriptum eſt C. *de uſucapione pro hærede* L. ultima -- *Uſucapio non præcedente vero titulo procedere non poteſt* -- , intelligendum ſit de titulo vero prout opponitur injuſto, non autem prout diſtinguitur a juſto, ſed colorato: quum titulus verus in hoc poſtremo ſenſu uſurpatus ſuapte natura rem faciat accipientis, quin indigeat præſcriptione, ut reddatur ſua. Juſtus titulus eſt pro empto, pro donato, pro tranſacto, pro hærede, pro legato, pro dote, pro judicato, pro derelicto, pro ſocio, pro ſoluto, & alter, ſi quis eſt, ejuſdem generis, in quo transfertur dominium in accipientem. Ex quo legitime infertur, quod titulus pro commodato, pro depoſito, pro precario, aliuſve ejuſdem indolis, non confert ad præſcriptionem; rem enim habens hoc titulo non poteſt bona fide eam reputare ſuam, ſicuti in qualibet præſcriptione requiritur. Hic ergo juſtus titulus, coloratus nempe, requiritur in præſcriptione ordinaria, ſeu quæ fit ordinario tempore, de quo dictum eſt ſupra; probari immo debet, & non ſimpliciter dici, ne via innumeris fraudibus aperiatur. Vide Inſtitut. *de uſucapionibus* ſub initio. Requiritur item, quando jus commune reſiſtit præſcribenti, vel habetur præſumptio adverſus eundem: quia in hoc caſu, ſi titulus non profertur, præſumitur, quod deſit bona fides, ſine qua quis non poteſt præſcribere. Non requiritur autem in præſcriptione longiſſimi temporis, & extraordinaria, & multo minus in præſcriptione immemorabili, de cujus initio non extat memoria; in hiſce enim caſibus ſufficit titulus præſumptus, nec titulus melior, & fortior immemorabili poſſeſſione poteſt afferri, ut appoſite Fagnanus in cap. *Cum Apoſtolicæ* num. 6. *de his quæ fiunt a Prælatis*. Hæc pene omnia ſancivit Bonifacius VIII. *de præſcriptionibus* in Sexto cap. 1. -- *Nam licet ei, qui rem præſcribit Eccleſiaſticam, ſi ſibi non eſt contrarium jus commune, vel contra eum præſumptio non habeatur, ſufficiat bona fides: ubi tamen eſt jus commune contrarium, vel habetur præſumptio contra ipſum, bona fides non ſufficit, ſed eſt neceſſarius titulus, qui poſſeſſori cauſam tribuat præſcribendi: niſi tanti temporis allegetur præſcriptio, cujus contrarii memoria non exiſtat.*

Inqui-

Digitized by Google

Inquires hic, an & quæ ignorantia impediat, vel efficiat præſcriptionem? Dubio procul præſcriptio fundatur in ignorantia, ſeu in errore, quo exiſtimas aliquid eſſe tuum, quod tuum reipſa non eſt. Dubio procul ignorantia vincibilis præſcriptionem impedit; pugnat enim cum bona fide, ſine qua inchoari non poteſt præſcriptio. Sermo igitur duntaxat hic eſt de ignorantia invincibili juris & facti. Juris erit, ſi legem ignores; puta neſcias requiri auctoritatem tutoris, ut aliquid a pupillo valide recipias. Facti eſt, ſi neſcias factum, non autem legem; puta ſcias te non poſſe aliquid emere licite a fure, ignores tamen eum, a quo emis, ipſum eſſe furem.

Conſtituo igitur primo, ignorantiam invincibilem facti præſcriptionem non impedire, ſed efficere. Perſpicuum id eſt ex L. 4. ff. *de juris & facti ignorantia — Juris ignorantiam in uſucapione negatur prodeſſe: facti vero ingnorantiam prodeſſe conſtat —*. Ratio eſt: quia ſi ſecus eſſet, numquam poſſet dari præſcriptio, quæ errorem facti ſemper habet adnexum. Excipe res furtivas, in quibus ignorantia facti etiam invincibilis præſcriptioni ordinariæ non prodeſt: quum hæ, præſcriptione licet completa, ſemper ſint vero Domino reſtituendæ, textu expreſſo Inſtitut. *de uſucapionibus* §.2. — *Furtivæ quoque res, & quæ vi poſſeſſæ ſunt, nec ſi prædicto longo tempore bona fide poſſeſſæ fuerint, uſucapi poſſunt: non furtivarum rerum lex duodecim Tabularum, & lex Atilia inhibent uſucapionem; vi poſſeſſarum lex Julia, & Plautia —*. Dixi præſcriptioni ordinariæ, nam, ſi ſermo ſit de præſcriptione longiſſimi temporis, ſeu extraordinaria, ad rem Gloſſa ſuper hac lege, & ſingillatim ſuper ver. *prædicto longo tempore — Scilicet triennii, vel decem, vel viginti annorum, ſed triginta, vel quadraginta annorum poſſunt, ut C. DE PRÆSCRIPTIONE* 30. *VEL* 40. *ANNORUM L. OMNES, & L. SICUT IN REM*.

Conſtituo ſecundo, ignorantiam invincibilem juris clari & evidentis, impedire præſcriptionem ordinariam etiam in foro conſcientiæ. Quoad forum fori nullum dubium; expreſſum enim id eſt in lege modo producta. Quoad forum conſcientiæ probatur ex eo, quia præſcriptio ex legum diſpoſitione, & jure humano fuit inducta. Non poteſt ergo extendi ad id, ad quod per leges non extenditur, immo per ipſas prohibetur, & excluditur. Atqui leges excludunt præſcriptionem, dum obſtat jus clarum & evidens, textu expreſſo ff. *pro emptore* L. 2. §. 15. — *Si a pupillo emero ſine tutoris auctoritate, quem puberem eſſe putem, dicimur uſucapionem ſequi, ut hic plus ſit in re, quam in exiſtimatione. Quod ſi ſciar pupillum eſſe, putes tamen pupillis licere res ſuas ſine tutoris auctoritate adminiſtrare, non capies uſu, quia juris error nulli prodeſt —*. Igitur etiam in foro conſcientiæ jus clarum & evidens impedit præſcriptionem. Non deſunt ſecus opinantes, quos videre potes apud Ferraris ver. *Præſcriptio* §. 2. num. 19. Eorum ratio præcipua hæc eſt: quia jura in hoc caſu non præſumunt bonam

fidem

fidem in præſcribente. Ergo ſimul atque in foro conſcientiæ conſtat de bona fide præſcribentis, poterit ipſe præſcribere.

Conſtituo tertio, ignorantiam juris dubii, de quo invicem diſputant Scriptores, non inpedire præſcriptionem. Ratio eſt (ita Anacletus in lib. 2. Decretal. tit. 26. num. 77.) quia ubi jus eſt vere dubium, & ſecundum diverſas probabiles Doctorum opiniones intelligibile, non eſt major ratio, cur quis unam opinionem potius, quam aliam ſequi teneatur, cum ignoret, quœnam earum revera juri ſit conformis. Quinimmo talis ignorantia proprie non eſt ignorantia juris, cum de ratione juris ſeu legis ſit eſſe manifeſtum cap. *Erit autem lex* diſt. 4. Hæc ille. Hanc opinionem tuentur Colletus, Cunialiati, aliique complures, qui omnes cum Cuniliati fatentur, communiorem eſſe, & probabiliorem.

Titulum ſequitur continua poſſeſſio. *Poſſeſſio appellata eſt, ut Labeo ait, a pedibus, quaſi poſitio: quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei inſiſtit* -- ff. *de adquirenda vel amittenda poſſeſſione* L. 1. in principio; & recte definitur a Gloſſa ibidem ſuper ver. *a pedibus* -- *Corporalis rei retentio, corporis, & animi, juris adminiculo concurrente* --. Rei ſcilicet corporalis: quia incorporalia, ſive jura, non dicuntur poſſideri, ſed quaſi poſſideri --. *Poſſideri autem poſſunt quæ ſunt temporalia* -- eod. tit. L. 3. in principio; tametſi etiam ipſa ſint præſcriptioni obnoxia. Corporis item: quia non incipit poſſeſſio, niſi interveniat actus externus, quo res manu, vel pede, vel aliter apprehendatur. Animi pariter: quia, niſi quis rem apprehendat tamquam ſuam, & animo eam poſſidendi, non dicitur ejuſdem poſſeſſor, ut patet in depoſitario, & commodatario. Juris demum: quia non poſſidetur legitime, quod contra interdicta legum retinetur, ut manifeſtum eſt in fure. Poſſeſſio alia eſt naturalis, alia civilis, alia civiliſſima. Naturalis dicitur ex Vocabulario utriuſque juris ver. *Poſſidere*, cum quis eſt in re, vel in ejus parte, aut ſaltem res eſt in conſpectu ejus, eamque videt, vel partem ejus. Dicitur civilis eodem, cum quis nec eſt in re, nec in ejus parte, nec res in conſpectu ipſius eſt, ſed eam tamen animo, & jure retinet, uti patet in abſente a rebus ſuis, qui eas corpore non occupat, ſed animo duntaxat, & jure. Dicitur demum civiliſſima, cum quis res duntaxat occupat adminiculo legis, quæ in ipſum transfert poſſeſſionem, ut patet in eo, cui propter contumaciam partis adjudicatur poſſeſſio cauſa rei ſervandæ: & de qua L. *Raptores* C. *de Epiſcopis & Clericis* -- *Eccleſia vero omnem proprietatem, & plenam poſſeſſionem earundem rerum noſtro habeat beneficio* --. Poſſeſſio civilis vocatur etiam poſſeſſio juris, & naturalis dicitur poſſeſſio facti; juris demum, & facti, ſi inſimul reperiantur poſſeſſio naturalis, & civilis. Ad præſcriptionem requiritur poſſeſſio, vel quaſi poſſeſſio, ſi de rebus incorporalibus ſermo ſit, ut perſpicue Regula 3. Juris in Sexto -- *Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit* --. Poſſeſſio, inquam, requiritur nomine proprio, non alieno; quum ut

ut appoſite Extra *de præſcriptionibus -- Is poſſidere dicatur*, *cujus nomine poſſidetur* --. Ex quo inter, quod procurator, conductor, & filiusfamilias non præſcribunt: quia rem non proprio, ſed alieno nomine poſſident.

Quæri hic ſolet. Quæ poſſeſſio requiratur ad præſcriptionem?

℞. Conveniunt omnes ſolam poſſeſſionem naturalem ſine civili non ſufficere: quia tunc deeſt animus poſſidendi rem, quam quis occupat: quia inſuper depoſitarii & coloni rem de facto naturaliter poſſident; & tamen ipſi non præſcribunt, quum eandem retineant nomine alieno, & iccirco ſine poſſeſſione civili. Dubium duntaxat eſt, an ſufficiat ſola poſſeſſio civilis? Et quamvis nonnullis cum Anacleto in lib. 2. Decretal. tit.26. num.189. Colleto de juſtitia & jure cap. 2. art. 1. ſect. 2. punct. 3. §. 2., aliiſque, placeat adſerere, quod ad inchoandam præſcriptionem requirantur inſimul poſſeſſio naturalis & poſſeſſio civilis; ſufficiat autem ſola civilis ad præſcriptionis continuationem, & complementum; probabilius tamen exiſtimo cum Lucio Ferraris ver. *Præſcriptio* §. 4. num. 3., quod ſola poſſeſſio civilis ſufficiat tum ad initium, tum ad incrementum, tum ad finem præſcriptionis. Ratio eſt, quia ſi quis me abſentem diceret hæredem, & in ea hæreditate aliquid reperiretur, cujus præſcriptio inchoari poſſet ab hærede bonæ fidei, non video cur hoc beneficium mihi eſſet denegandum: quum poſſeſſio naturalis, quæ exinde ſequeretur in manibus mei procuratoris, poſſeſſio eſſet meo nomine ſecuta, & per Regulam 72. Juris in Sexto -- *Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſeipſum*.

Quæres ſecundo. An ſufficiat poſſeſſio civiliſſima proxime enucleata?

℞. Et ſuper hac re in utramque partem diſputant Theologi. Vide Ferraris, & Anacletum locis proxime laudatis, alioſque. Probabilius tamen videtur, quod & ipſa ſufficiat: nam hujuſmodi poſſeſſio miniſterio legis ſecuta eſt vera poſſeſſio. Ergo eundem cum poſſeſſione civili ſortiri debet effectum. Quoniam, ut appoſite Anacletus in lib. 2. Decretal. tit.12. num.17. -- Hæc non conſtituit novam ſpeciem poſſeſſionis civilis, ſed ſolum importat differentiam in modo acquirendi: nam utraque habetur ex legis diſpoſitione. Sed cum hoc diſcrimine, quod poſſeſſio civilis prærequirat apprehenſionem veram, vel fictam rei poſſeſſæ; non item poſſeſſio civiliſſima, ut pote quæ ex ſola legis, aut conſuetudinis diſpoſitione acquiritur abſque alio actu apprehenſionis corporalis vero, vel ficto --. Hæc ille.

Poſſeſſio poſtmodum iſthæc debet eſſe continua, per totum ſcilicet tempus in lege ſancitum, de quo jam dixi. Huic continuatæ poſſeſſioni opponitur ipſius dormitio, & ipſius interruptio: quia præſcriptio quandoque dormire dicitur, quandoque interrumpi. Quomodo autem id contingat, ne longior ſim quam par eſt recitatione plurimarum legum, quas potius callere debet Juriſconſultus quam Theologus: id totum accipe a Daniele Concina de juſtitia & jure Differt. 1. cap. 14. num. 14. & ſeq. -- Dormi-

re præſcriptionem afferunt, dum propter impedimenta aliqua currere illa nequit, quibus impedimentis ſublatis, veluti expergefacta ſuum reſumit curſum, eumque cum priore conjungit. Tempore belli, peſtiſque, quo ſilere tribunalia ſolent, dormit præſcriptio. Similiter tempore, quo Eccleſia caret Epiſcopo, Rectore: aut ſi hi inutiles ſint ad defendenda propria jura, præſcriptio dormit. Sicuti dormit, quando hi, contra quos præſcriptio currit, agere nequeunt, ut filii reſpectu bonorum adventitiorum, uxores reſpectu bonorum dotalium. Quoties ergo bona ſubjecta præſcriptioni legitimo defenſore carent, præſcriptio dormit. Interrumpitur autem præſcriptio naturaliter, cum poſt præſcriptionem recte incœptam deficit una ex conditionibus neceſſariis, ut poſſeſſio, titulus, bona fides. Civiliter interrumpitur juriſdictione, ſeu actu juridico, nempe per litis conteſtationem, citationem &c. Diſcrimen inter primam, & ſecundam interruptionem eſt, quod illa effectum ſuum habet reſpectu omnium adverſariorum; ita ut ſi interrumpatur reſpectu unius, interrupta ſit reſpectu omnium, qui ad bona præſcripta habere jura poterant: hæc econtrario interrumpitur duntaxat reſpectu illius, qui litem movet. Si cæteri, qui jus habent ad bona præſcriptioni ſubjecta, ſileant, reſpectu iſtorum præſcriptio currit; & ſi ipſis ſilentibus tempus definitum elapſum fuerit, præſcriptio completa cenſetur, ſolumque qui litem movit, eam interrumpit. Si qui litem intentat poſſeſſori, cauſa cadat, præſcriptio non interrumpitur, ſed tempus a die litis intentatæ currit in favorem præſcribentis. Si tamen actor litem moveat, eamque proſequi deſiſtat, quin judicium proferatur, præſcriptio interrumpitur. Illud demum advertendum ad temporis continuationem neceſſe haud eſſe, ut poſſeſſio maneat penes unam eandemque perſonam, ſed per plures de una in aliam continuare valet —. Hactenus Concina. Si leges cupis hæc omni perhibentes, conſule nedum Ferraris ver. *Præſcriptio*, & Anacletum in lib. 2. Decretal. tit. 26., ſed inſuper S. Antoninum part. 2. tit. 1. cap. 15. §. 7., qui eas indicat. Scias interim volo, magnum eſſe diſcrimen inter effectum dormitionis, & interruptionis. In dormitione manet quidem præſcriptio ſuſpenſa propter impedimentum ſuperveniens; ſed hoc ſublato iterum currit præſcriptio, & tempus ſubſequens conjungitur cum præcedenti, ſolo ſubducto dormitionis tempore. Arguitur id ex Inno. III. Extra *de præſcriptionibus* cap. 14. — *Licet igitur tam legali, quam canonica ſit definitione ſtatutum, ut contra Romanam Eccleſiam, quæ gaudet privilegio ſpeciali, nonniſi centum annorum præſcriptio locum ſibi valeat vindicare: tempora tamen intercidentium ſchiſmatum, quæ ſecundum juris ordinem curſum præſcriptionis impediunt, nolumus aliquatenus computari, ſed diligenti conſideratione adhibita de ipſa computatione deduci* —. Non ita tamen in interruptione; in hac enim adeo ceſſat præſcriptio, ut tempus præcedens omnino extinguatur, & ſublato impedimento iterum debeat inchoari præſcriptio nulla habita ratione ad tempus præcedens interru-

Digitized by Google

terruptionem. Colligitur hoc ex Alex. III. Extra *de præſcriptionibus* cap. 8. — *Verum ſi de præſcriptione, & interruptione inter partes fuerit mota quæſtio, ab utraque parte teſtes recipi debent: & ſi probata fuerit interruptio, præſcriptio non tenebit.*

Quum ſupra dictum ſit, inter præſentes præſcriptionem rerum immobilium decennio compleri. Inquiri poteſt, quid juris, ſi præſcribens quibuſdam annis præſens ſit, abſens vero ceteris?

℞. Huic quæſito reſpondet Authentica *Quod ſi quis* C. *de præſcriptione longi temporis* — *Quod ſi quis quibuſdam annis præſens ſit, quibuſdam abſens, adjiciuntur ei ſuper decennium tot anni, quot annis ex decennio fuit abſens* —. Videlicet, ut eam exponit Anacletus in Lib. 2. Decretal. tit. 26. n. 153. — Quod unus annus præſentiæ acquivaleat duobus annis abſentiæ: & viciſſim duo anni abſentiæ faciant unum annum præſentiæ. Adeoque ſi quis per octo annos præſens fuerit, & deinde per duos abſens, alii duo anni ſint ſuperaddendi; ita ut hæc præſcriptio ante annos duodecim non compleatur —. Hæc ille, Concinit Authentica *Ut ſponſalitia largitas*, ſeu Novella 119. tit. 2. cap. 8. — *De præſcriptione vero decennii hoc ordinare proſpeximus, ut ſi quando quiſpiam in prædicta decennii temporali præſcriptione in quibuſdam quidem annis præſens ſit, in quibuſdam vero abſens: alios tantos ei annos ſuper decennium adjici, quantos ex ipſo decennio abſens fuit.*

Ultima conditio, quam Author neceſſariam dicit ad præſcribendum, eſt, quod res ex iis ſit, quæ poſſunt præſcribi; leges enim, quæ præſcriptionem induxerunt, nonnulla etiam expreſſe voluerunt, quod non eſſent præſcriptioni obnoxia. Hæc enumerat S. Antoninus loco proxime laudato ſcribens — Quartum, quod requiritur, eſt ſecundum Raymundum, quod res non ſit vitioſa. Et dicitur res vitioſa, ſi eſt furtiva, vel vi poſſeſſa, quam non ſolum fur, vel raptor, ſed nec ullus alius, quamvis ab eis emerit, vel alias bona fide acceperit, præſcribere poteſt, vel uſucapere. Et hoc niſi vitium purgatum fuerit. Loco iſtius quarti Hoſtienſis, & Goffredus dicunt, quod oportet, quod res ſit præſcriptibilis. Ponunt autem Raymundus, Hoſtienſis, & Goffredus in Summis multa eſſe, quæ præſcribi non poſſunt. Et in criminibus nullo tempore præſcribi poteſt, ſed potius ex diuturnitate temporis augentur, Extra *de conſuetudine* cap. finali. 33. q. 5. *Quod Deo*. Item contra obedientiam, viſitationem, procurationem, quæ debentur ratione viſitationis, præſcribere non poteſt ſubditus, Extra *de præſcriptionibus*, *Cum non liceat*, Extra *de Cenſibus* cap. *Cum inſtantia*. Item Eccleſiæ, & cætera loca ſacra, necnon decimæ & primitiæ, & oblationes nullo jure poſſunt a laicis poſſideri, vel præſcribi: quia regulariter quod poſſideri non poteſt, præſcribi non poteſt, 16. q. 2. §. *Poteſt*. Item limes Parochiarum vel Diœceſum, vel quod adhæret limiti, præſcribi non poteſt; ſed bene limes prædiorum, 16. q. 3. *Licet* Item publicæ penſiones, & fruitiones agrorum non præſcribuntur a colono. Item liber ho-

mo, 16. q. 3. §. *Poteſt*. Item res publicæ, quæ ſunt in uſu populi Romani, vel aliarum Civitatum, vel plateæ, pontes, aquæductus, rivi, & hujuſmodi; nec enim in toto, nec in parte hæc præſcribuntur, ff. *de uſurpationibus & uſucapionibus* L. *Vſucapio* —. Hactenus S. Antoninus. Si plura cupis conſule Ferraris, & Anacletum locis ſupra citatis.

Caſum ſuum abſolvit Auctor dicens, quod, ſi quis doctrinæ præſcriptionis non acquieſceret, ſed errore ductus putaret, ſe intacta conſcientia non poſſe retinere rem præſcriptam, teneretur is ad reſtituendum, niſi conſcientiam deponeret erroneam, tametſi impleta jam eſſet præſcriptio. Idem docuit S. Antoninus loco modo laudato ſcribens — *Si quis vero habet ſuper hoc conſcientiam ſcrupoloſam, ad conſilium ſapientis deponere debet. Quod ſi non poteſt deponere, reſtituat, & nullo modo teneat contra conſcientiam: quia ædificat ad gehennam*, 28. *q.* 1. §. *EX HIS ITAQVE* —. Accipe quod hic ſcriptum eſt, rem hanc & cæteras ejuſdem indolis mirifice confirmans — *Illud vero Apoſtoli: Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt: non ita intelligendum eſt, ut quicquid fit ab infidelibus credatur eſſe peccatum ſed omne, quod contra conſcientiam fit, ædificat ad gehennam. Unde Ambroſius; peccatum eſt quod aliter fit; quam probatum eſt. Item Auguſtinus ſuper eundem locum: omne, quod aliter fit, quam probatum eſt, peccatum eſt, non tamen omne, quod fit cum fide bonum eſt. Ignorantia enim, quæ eſt ex culpa, nocet. Hinc etiam Apoſtolus ait: Beatus, qui non judicat ſemetipſum in eo, quod probat: ideſt qui non facit damnabilem ſemetipſum, aliter faciendo, quam probet eſſe faciendum* —. Memineris L. 32. §. 1. ff. *de uſurpationibus & uſucapionibus* ſupra recitatæ, quam iterum proferre juvat, quum expreſſe conſtituat, quod hic ab Auctore ſancitur — *Si quis id, quod poſſidet, non putat ſibi per leges licere uſucapere, dicendum eſt, etiamſi erret, non procedere tamen ejus uſucapionem, vel quia non bona fide videatur poſſidere, vel quia in jure erranti non procedat uſucapio* —.

SECUNDUM DUBIUM. Utrum uſucapiens, qui eſt ille, qui in re mobili per continuationem poſſeſſionis toto tempore in lege definito, ſcilicet per triennium, acquirit dominium, ut notat Innocentius 16. q. 1., item non teneatur ſicuti præſcribens?

Reſpondeo, quod ſic, ſcilicet quod non tenetur ſi quinque concurrant. Primo, quod res non ſit vitioſa, nec furtiva, ſed quæ præſcribi, & alienari poſſit. Secundo, quod habeat bonam fidem, qua uſucapiat toto tempore præſcriptionis, ut dixi de præſcriptione. Tertio, quod tradens rem

& ipſe

Digitized by Google

& ipſe bonam fidem habeat : nam ſi malæ fidei poſſeſſor alienet rem alterius, requiritur præſcriptio triginta annorum. ſi Dominus id non ſciat, nec conteſtetur intra debitum tempus, Authentica *Ut ſponſalitia largitas* cap. *Rurſus*, Quarto, ut tradatur res, vel quaſi : quia poſſeſſio ſine traditione, vel quaſi traditione, non acquiritur, L. *Traditionibus* C. *de pactis*. Quinto, juſtus titulus verus, non putativus, nec falſus, ff. *Pro legato* L. 2. & 3., & C. *de uſucapione pro hærede* L. finali. Omnium actionum titulos protuli ſupra tit. quarto, Dubio 30.

(236) Singulare forte videbitur, quod hic adſerit Author, nempe bonam fidem etiam in tradente requiri ad uſucapiendum : quod & ipſe repetit in Angelica ver. Uſucapio num. 2. ſcribens — *Primum, quod requiritur, eſt bona fides nedum in uſucapiente toto tempore uſucapionis, ſed oportet, quod fuerit bona fides in principio contractus ex parte tradentis, & accipientis* — : quum ſcriptores unice meminerint bonæ fidei in recipiente ſeu præſcribente — : *Secundum eſt bona fides, ideſt quod recipiens rem, quam præſcribit, credit tradentem eſſe Dominum, vel habere jus alienandi, & ſic erret in facto, & non in jure* —. Ita S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 15. §. 7. jam pluries laudato — *Primum eſt bona fides, ſcilicet quod is, qui poſſidet rem, quam poſſidet, credat eſſe ſuam, vel credat tradentem eſſe Dominum, vel habere jus diſtrahendi, licet in facto erret* —. Ita Aſteſanus lib. 3. tit. 2. art. 2. in principio —. *Unde oportet, ut qui præſcribit in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ* — Ita Inno. III. Extra *de præſcriptionibus* cap. *Quoniam* — *Bonæ fidei emptor eſſe videtur, qui ignoravit eam rem alienam eſſe : aut putavit eum, qui vendidit, jus vendendi habere, puta procuratorem, aut tutorem eſſe* —. Ita lex ipſa ff. *de verborum ſignificatione* L. 109. Sed quum loquatur ipſe de uſucapione ordinaria, ſeu longi temporis, prout opponitur extraordinariæ, & temporis longiſſimi nil mirum, quod bonam fidem poſtulaverit etiam in tradente. Certum eſt enim, quod, ſi tradens malæ fidei eſt, vitioſa res eſt, ſeu furtiva, quæ ordinario tempore non uſucapitur, ut ſupra oſtendi loquens de titulo, & in medium proferens textum expreſſum Inſtitut. *de uſucapionibus* §. 2. De mala fide tradentis egregium eſt, quod legimus Novella 119. tit. 2. cap. 7., quæ eſt Authentica hic ab Authore memorata — *Rurſus ſancimus, ut ſi quis mala fide rem poſſidens, aut per venditionem, aut per donationem, aut aliter hanc rem alienet : qui vero putat eaſdem res competere ſibi, hoc agnoſcent, intra decem annos, inter præſentes, & viginti inter abſentes, non* con-

conteſtatus fuerit ſecundum leges emptorem, aut donationem recipientem, aut illum, ad quem res alio quolibet modo tranſlatæ ſunt: eum, qui tales res habet, firme eas habere, poſt decennii videlicet inter præſentes, & vicennii inter abſentes decurſum. Si autem ignorat verus alienatarum rerum Dominus, & quia res ei competunt, & quia alienatio facta eſt: non aliter hunc excludit, niſi per tricennalem præſcriptionem: non valente dicere eo, qui res hoc modo poſſidet, quia ipſe bona fide poſſidet, quando ipſe a mala fide poſſidente hoc accepit —. Singularis juris prudentia hæc eſt pro tradente malæ fidei, & pro poſſeſſore mediato rei furtivæ. Quoniam quum alienationem rei furtivæ, quæ tranſit ad poſſeſſorem mediatum, ignorare poſſit verus Dominus, aut ſcire: conſtituitur, quod, quum Dominus id ignorat, præſcriptio non compleatur niſi tricennio, triginta ſcilicet annis; quum vero id ſcit, & agnoſcit, & rem non repetit ſuam, compleatur præſcriptio tempore ordinario. Et hoc poſtremum, ut reor, ad puniendam veri Domini negligentiam, quod unum ex motivis eſt, ob quæ præſcriptio fuit inducta. Ex hac Novella magis magiſque confirmatum vides, quod ſupra dixi, videlicet poſſeſſorem mediatum rei furtivæ, & bonæ fidei, eandem tempore extraordinario poſſe præſcribere.

Ne mireris, quod Author quintam conditionem adſignans juſtum titulum poſuerit verum, non putativum, nec falſum. Locutus ipſe eſt ſervando verba legis ultimæ C. *de uſucapione pro hærede*, quam hic appellat, & quæ ita habet — *Uſucapio non præcedente vero titulo procedere non poteſt* —. ~~Exponendus igitur ipſe eſt, ſicuti~~ legem hanc ſupra expoſui Annotatione præced., ubi de titulo, titulum ſcilicet verum eſſe debere, prout opponitur injuſto, non vero prout opponitur juſto, licet non vero, ſed colorato duntaxat, aut putativo. Ita reipſa ſeipſum expoſuit Author in Angelica ver. *Uſucapio* num. 2. ſcribens — Item titulus verus, non putativus, nec falſus ff. *pro legato* L. 2. & 3., C. *de uſucapione pro hærede* L. finali, & ibi Azo. Et qui ſint veri tituli, infra ſubjiciam. Si tamen eſſet putative verus titulus ex errore facti, non juris, non impediret, ut L. 1. C. *de uſucapione pro dote*, & L. *Quod vulgo* ff. *pro emptore*, & L. 4. & ult. ff. *pro legato* —. Hæc ille. Ita titulum ad præſcriptionem neceſſarium exponit Anacletus in lib. 2. Decretal. tit. 26. num. 126. inquiens — Siquidem, ut notat Gloſſa in cap. *Si diligenti* verſiculo *juſtus titulum* hoc titulo, & Abbas ibidem num. 23., ad præſcriptionem non requiritur juſtus titulus, qui in veritate ſit talis, ſeu per quem transferatur rei dominium: ſed ſufficit putativus, ſive, ut alii loquuntur, coloratus, vel præſumptus. Et talis titulus pro tanto dicitur juſtus, quia concurrente bona fide poſſidentis cauſam præſcribendi: licet in veritate non ſit juſtus; alioquin enim nulla opus foret præſcriptione —. Hactenus Anacletus.

Vice-

Digitized by Google

VIceſimus octavus Titulus, qui eſt de Judiciis, continet duodecim quæſtiones, ſeu duodecim Dubia.

Primum Dubium. Utrum falſus teſtis teneatur de omni damno?

Reſpondeo, quod ſic, & quidem de omni damno, quod intulit parti, contra quam falſum teſtimonium dixit. Nec diſtinguo, utrum fuerit examinatus, vel non; indiſtincte enim tenetur in conſcientia de omni damno, quod alius non habuiſſet ſine ipſo. Concordant Hoſtienſis, Monaldus, & Petrus Caſuel tit. *Reſtitutio*. Facit ad hoc ff. *de calumniatoribus* L. *Et generaliter* §. *Illud*, & Extra *de injuriis* cap. finali, & 17. q. 4. cap. *Si quis in atrio*. Nec ſolum dicitur falſus teſtis, qui dicit falſum, ſed etiam qui ſupprimit veritatem, quando eam dicere tenetur; & ideo ſimiliter obligatur L. *Nullum* C. *de teſtibus*, 11. q. 3. cap. *Quiſquis metu*, 3. q. 9. cap. *Nihilominus*. De hoc vide Dubium 32. tit. 12. & nota, quod ille, qui non vult verum teſtimonium dicere, quum debeat, & teneatur, niſi accepta pecunia, tenetur illam reſtituere: & ſecundnm Hoſtienſem a teſtimonio repellitur convictus L. 3. §. *Lege* ff. *de teſtibus*, & 4. q. 3. §. *Lege Julia*. Poteſt tamen expenſas ſuas recipere 4. q. 3. §. *Liberi* ..... *Venturis*.

(237) Hujus impietatis gravitatem exhibet Deus Proverb. 6. v. 16. & ſeq. — *Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus: oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia teſtem fallacem, & eum, qui ſeminat inter fratres diſcordia* —: & ibid. cap. 19. v. 5. — *Teſtis falſus non erit impunitus*: *& qui mendacia loquitur, non effugiet* —. Appoſite quapropter S. Bonaventura in

Dieta

Dieta ſalutis tit. 2. de pœnitentia cap. 7. -- *Et nota, quod falſus teſtis tribus perſonis eſt obnoxius, ut dicit Iſidorus de ſummo bono; eſt enim obnoxius Deo, quem contemnit: & Judici, quem decipit: & proximo, quem lædit. Mendax eſt ſicut denarius falſus, vel potius ſicut falſus monetarius, qui fabricat falſam monetam: & talis de jure punitur morte æterna juxta illud: perdes omnes qui loquuntur mendacium* --. Simile eſt, quod legitur Extra *de crimine falſi* cap. 1. -- *Falſidicus teſtis tribus perſonis eſt obnoxius: primum Deo, cujus præſentiam contemnit; inde Judici, quem mentiendo fallit; poſtremo innocenti, quem falſo teſtimonio lædit. Vterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat* --. Merito igitur Fabianus Summus Pontifex 6. q. 1. cap. 18. -- *Quicumque ſciens ſe pejeraverit, quadraginta dies in pane & aqua, & ſeptem ſequentes annos pœniteat, & numquam ſit ſine pœnitentia, & numquam in teſtimonium recipiatur; communionem tamen poſt hæc percipiat.*

Author dicit primo, quod teſtificans falſum, ſeu falſus teſtis tenetur de omni damno, quod exinde evenit proximo. Ratio eſt: quia hic præter perjurium (nam, ut adnotat S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 4. in corpore -- *teſtes non admittuntur niſi jurati*) peccat contra juſtitiam, quum ſit vera cauſa, cur innocens damnum patiatur. Jure iccirco Gregorius IX. Extra *de injuriis & damno dato* cap. ult. -- *Si culpa tua datum eſt damnum, aut injuria irrogata ..... jure ſuper his ſatisfacere te oportet* --. Et S. Bernardinus ~~To. 1. ſerm. 54. cap. 3. verſus~~ finem -- *Si enim per dictum falſorum teſtium aliqua pars amiſerit cauſam ſuam, tenetur reſtituere totum damnum ei, qui damnificatus eſt. Arguitur* 17. *q.* 4. *SI QUIS IN ATRIO*, 14. *q.* 5. *NON SANE*, 2. *q.* 1. *NOTUM SIT.*

Dicit ſecundo, quod ad idem tenetur, etiamſi non fuerit examinatus, videlicet quamvis falſum dixerit non in judicio, ſed extra judicium. Ingenue fateor, falſum teſtimonium in judicio peccatum gravius eſſe, quam illud idem extra judicium: quum in judicio ſemper mortale peccatum ſit, veniale autem quandoque eſſe poſſit extra judicium, dum videlicet abſunt perjurium, & injuſtitia. Ita cum communi S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 4. in corpore -- *Dicendum, quod falſum teſtimonium habet triplicem deformitatem. Vno modo ex perjurio, quia teſtes non admittuntur niſi jurati: & ex hoc ſemper eſt peccatum mortale. Alio modo ex violatione juſtitiæ: & hoc modo eſt peccatum mortale in ſuo genere, ſicut & qualibet injuſtitia. Et ideo in præcepto Decalogi ſub hac forma interdicitur falſum teſtimonium, cum dicitur Exodi 20.: non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. Non enim contra aliquem facit, qui eum ab injuria facienda impedit, ſed ſolum qui ei ſuam juſtitiam tollit. Tertio modo ex ipſa falſitate, ſecundum quod omne mendacium eſt peccatum: & ex hoc non habet falſum teſtimonium, quod ſemper ſit peccatum mortale* --. Aſt quum hic agatur de damno

pro-

Digitized by Google

proximo illato, nil refert, quod irrogatum fuerit per peccatum gravius vel levius: dummodo reipſa idem damnum fuerit irrogatum.

Dicit tertio, quod falſus teſtis habendus etiam ille eſt, qui veritatem ſupprimit, ſeu occultat, quando eam aperire tenetur. Vere ſcripſit Catechiſmus Romanus de octavo præcepto num. 16. — Nam præcepti vis ea eſt, ut non ſolum prohibeat falſum teſtimonium, ſed verum etiam dici imperet. Eſt enim in humanis rebus maximus uſus veri teſtimonii, quod ſunt innumerabiles res, quas a nobis ignorari neceſſe ſit, niſi eas ex teſtium fide cognoſcamus. Quare nihil tam neceſſarium eſt, quam teſtimoniorum veritas in iis rebus, quas nec ipſi ſcimus, neque tamen licet ignorare. De quo extat illa S. Auguſtini ſententia -- *Qui veritatem occultat, & qui dicit mendacium, uterque reus eſt; ille quia prodeſſe non vult, hic quia nocere deſiderat* —. Licet vero interdum verum tacere, ſed extra judicium. Nam in judicio, ubi teſtis legitime interrogatur a Judice, vera omnino patefacienda ſunt. Quo loco cavendum tamen eſt teſtibus, ne ſuæ memoriæ nimium confiſi, quod exploratum non habent, id pro certo affirment — Hactenus Catechiſmus. Conſulto ait Author, quando veritatem dicere tenetur; non enim eam ſemper aperire, & confiteri cogimur; immo quandoque eandem occultare poſſumus extra judicium, ut ait Catechiſmus, & in judicio ipſo, ut inferius dicam, quando ſcilicet quis legitime non interrogatur. De caſu Authoris egregie S. Bernardinus To. 1. ſerm. 34. cap. 4. verſus finem — *Tertio non manifeſtando: & hoc ſecundum Scotum quum quis requiſitus in judicio, ut ſententialiter res furto ſublata, vel aliter injuſte detenta poſſit reſtitui Domino ſuo; & tamen veritatem dicendo non imminet ſibi periculum ſtatus, ſeu perſonæ ſuæ: talis, inquam, non manifeſtando, omne damnum, quod inde ſequitur, læſo ſatisfacere obligatur. Ad hoc Extra DE FVRTIS cap. QVI CVM FVRE, & 11. q. 3. QVISQVIS. Ex his patet, quod negans in judicio teſtimonium perhibere in alterius detrimentum, ei ad reſtitutionem recepti damni obligatus eſt* —. Accipe capita hic a S. Bernardino indicata -- *Qui cum fure partitur, occidit animam ſuam. Non fur ſolum, ſed ille reus tenetur, qui furti conſcius quærente poſſeſſore non indicat* — Hieronymus Extra *de furtis* --. *Quiſquis metu cujuſlibet poteſtatis veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe provocat, quia magis timet hominem, quam Deum* — Auguſtinus cap. *Quiſquis*.

Quum S. Bernardinus de eo loquatur, qui interrogatus in judicio, teſtimonium ferre recuſat, aut veritatem reticet, & occultat: inquiri poteſt, an ad reſtitutionem quoque teneatur, qui legitime citatus a Judice, fugam arripit, ne teſtimonium ferat: itemque ille, qui fuga ſe ſubtrahit, antequam citetur a Judice? Sermo hic non eſt, an ita operans, violet juſtitiam legalem, & peccet contra charitatem, contra obedientiam legitimo Superiori debitam. Id in confeſſo eſt apud omnes, quia in primo caſu expreſſe inobediens eſt juſto Superioris mandato, tacite autem, &

virtualiter in ſecundo. In utroque poſtmodum recuſat adjuvare proximum teſtimonio ſuo indigentem, ne ex non obtenta manifeſtatione veritatis detrimentum patiatur. Diſſident duntaxat, an in hiſce duobus caſibus teneatur ad reſtitutionem damni exinde proximo obvenientis: nam Cuniliati cum aliis de 7. Decal. præcepto §. 4. num. 5. pro virili parte tuetur, in neutro violari juſtitiam commutativam, ſed unice legalem: Colletus ex adverſo in ſuis Inſtitut. de 8. Decal. præcepto art. 3. ſect. 2. Dico 2. arbitratur, in utroque caſu violari etiam juſtitiam commutativam, & ſic occultantem, vel ſe ſubtrahentem, teneri ad reſtitutionem: Gabr. demum Antoine de Obligationibus ſpecialibus cap. 5. §. 3. q. 3. teneri dicit ſe occultantem in primo caſu, non autem teneri eum, qui ſe ſubtrahit in ſecundo. Tutior certe eſt ſententia Petri Colleti, & ſuo etiam judicio probabilior: quia in utroque caſu ſic operans doloſe agit, & reipſa nocet parti, quæ legum adminiculo auxilium ipſius implorat, aut implorare poſſet. Nihilo tamen minus non videtur contemnenda ſententia Gabr. Antoine, quæ inter duas extremas Colleti, & Cuniliati eſt veluti media. En quomodo probat, quod ad reſtitutionem teneatur teſtis, qui legitime citatus ſe occultat, & fugam arripit, ne examini ſubjiciatur — Quia Reſpublica imponit onus, ac officium ferendi teſtimonium poſt citationem; & ſic qui aliquid ſcit, tenetur ex officio ſibi impoſito tamquam publica quædam perſona veritatem teſtari: ſicut qui a Republica invitus conſtitueretur Judex teneretur ex juſtitia judicare. Præterea lex ac juſtum præceptum ~~Judicis tribuit attori ac reo~~ jus ad teſtimonium alterius. Alioquin quilibet ſæpe fruſtra jus haberet implorandi auctoritatem Judicis. Quare ſi teſtis veritatem taceat, injuriam facit; & ſic tenetur reſarcire damnum inde parti læſæ ſecutum —. Hæc ille. En quomodo oſtendit, quod non teneatur, qui ſe ſubtrahit antequam legitime citetur — Quod ſi fugias, vel te occultes, antequam citeris ad teſtificandum, juxta multos peccas etiam contra juſtitiam, & teneris ad reſtitutionem. Sed hoc negant alii, eo quod jus, quod oritur parti ex tuo teſtimonio, procedat ex ſolo præcepto, & præceptum non obliget antequam ſit impoſitum. Peccas tamen ſaltem contra charitatem: nam hæc obligat ad impediendum grave damnum injuſtum proximi, cum poteſt impediri ſaltem ſine gravi noſtro damno —. Hæc idem.

Dixi ſupra, quod in judicio tenetur teſtis aperire veritatem, dum legitime interrogatur. Legitime autem interrogatus cenſetur, cum res manifeſta eſt, vel de ea infamia aliqua præceſſit. Audias quæſo ſuper hac re S. Thomam 2. 2. q. 70. art. 1. in corpore, qui optime more ſuo diſtinxit, quando teneatur quis teſtimonium ferre, & quando ad id non obligetur — Dicendum, quod in teſtimonio ferendo diſtinguendum eſt: quia aliquando requiritur teſtimonium alicujus, aliquando non requiritur. Si requiritur teſtimonium alicujus ſubditi auctoritate ſuperioris, cui in his,

quæ

Digitized by Google

quæ ad juſtitiam pertinent, obedire tenetur, non eſt dubium, quin teneatur teſtimonium ferre in his, quibus ſecundum ordinem juris teſtimonium ab eo exigitur, puta in manifeſtis, & in his de quibus infamia præceſſit. Si autem exigitur ab eo teſtimonium in aliis, puta in occultis, & de quibus infamia non præceſſit, non tenetur ad teſtificandum. Si vero requiritur ejus teſtimonium non auctoritate Superioris, cui obedire tenetur, tunc diſtinguendum eſt: quia ſi teſtimonium requiratur ad liberandum hominem vel ab injuſta morte, ſeu pœna quacumque, vel a falſa infamia, vel ab aliquo damno, tunc tenetur homo ad teſtificandum. Et, ſi ejus teſtimonium non requiritur, tenetur facere quod in ſe eſt, ut veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc poſſit prodeſſe. Dicitur enim in Pſal. 81. — *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate* —: & Proverb. 24. — *Erue eos, qui ducuntur ad mortem* —. Et Rom. 1. dicitur — *Digni ſunt morte non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus* —. Unde dicit Gloſſa — *Conſentire eſt tacere, cum poſſis redarguere* —. Super his vero, quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur aliquis ferre teſtimonium, niſi cum a Superiore compellitur ſecundum ordinem juris: quia, ſi circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc ſpeciale damnum naſcitur. Vel ſi immineat periculum accuſatori, non eſt curandum: quia ipſe in hoc periculum ſponte ſe ingeſſit —. Hactenus Angelicus Doctor.

Dicit Author quarto, quod qui accipit pecuniam, ut teſtimonium ferat, eam tenetur reſtituere, & de hoc convictus repellitur a teſtimonio ferendo. Certiſſimum eſt hunc ex ſtricta conſcientia teneri ad eandem reſtituendam, ſiquidem peccavit contra juſtitiam: quum non potiori jure liceat teſti aliquam ſibi pecuniæ ſummam tamquam pretium ſui teſtimonii vindicare, quam Judici ſuam ſententiam vendere. Et iccirco jure optimo S. Auguſtinus 15. q. 5. cap. *Non ſane* — *Sed non ideo debet Judex vendere juſtum judicium, aut teſtis verum teſtimonium, quia vendit advocatus juſtum patrocinium, juriſperitus verum conſilium. Illi enim inter utramque partem ad examen adhibentur, iſti ex una parte conſiſtunt. Cum autem judicia & teſtimonia, quæ nec juſta, nec vera vendenda ſunt, iniqua & falſa venduntur, multo ſceleratius utique pecunia ſumitur, quia ſcelerate etiam, quamvis a volentibus, datur* —. Quod poſtmodum teſtis de hoc convictus a teſtimonio ferendo ſit repellendus, id ſancitum eſt legibus ab Auctore laudatis, L. ſcilicet 3. §. 5. ff. *de teſtibus* — *Lege Julia de vi cavetur, ne hac lege in reum teſtimonium dicere liceret, qui ..... quive ob teſtimonium dicendum, vel non dicendum, pecuniam accepiſſe judicatur, vel convictus erit* —, quæ lex in ſacrum Canonem de verbo ad verbum translata eſt, & adprobata 14. q. 3. cap. 3. §. 3., ideſt *lege Julia*.

Sed cui pecunia hæc reſtituenda eſt? Reſpondet Aſteſanus lib. 1. tit. 37. art. 6. inquiens — Pecunia vero data non reſtituetur ei, qui turpiter dedit,

dit, quia ei obſtat propria turpitudo, ut in cap. *Non ſane*, ſed ei, cujus injuria data videtur, 1. q. 1. *Jubemus* --. Hæc ille. Excipe caſum, in quo datur pecunia, ut teſtimonium quis ſimpliciter ferat, non vero ut teſtimonium falſum ferat, & iniquum. De hoc enim caſu, ſubdit Aſteſanus ibidem — Dici poteſt in hoc caſu ſecundum Goffredum, quod ille, qui dedit eam, repetere poteſt, ſi non dedit eam animo, ut teſtem corrumperet, ſed ut ſibi juſtitiam conſervaret. Arguitur Extra *de Simonia* cap. *Dilectus*, & 14. q. 5. cap. *Non ſane* --. Hæc idem. Hæc pene omnia confirmat S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 19. §. 7. inquiens — Tertio peccatum committitur, & mortale, cum pecunia accipitur pro teſtimonio ferendo, etiamſi pro teſtimonio veritatis. Et ratio hujus eſt, quia expreſſe facit contra jura; cum hoc prohibeant, & valde juſte, ad vitandum corruptionem veritatis propter pecuniam. Unde dicit Auguſtinus, quod non licet teſti vendere verum teſtimonium, 14. q. 5. *Non ſane*. Et multo magis peccat, cum accepit teſtis pecuniam ad falſitatem dicendam, vel occultandam veritatem. Poteſt tamen teſtis accipere expenſas tantum ab eo, qui eum producit: puta ſi ex teſtimonio ferendo dietam facit, vel etiam operam ſuam, & lucrum dimittit, & hujuſmodi, 4. q. 3. §. *Venturis*. Accipiendo autem pecuniam pro teſtimonio, reſtituat ei, a quo accepit, niſi ille dediſſet ad corrumpendum teſtem: nam tunc ei debet dari, in cujus injuriam accepit, vel pauperibus erogari --. Hactenus S. Antoninus. Idem ſcripſit S. Bernardinus To. 1. ſerm. 39. art. 2. cap. 3. — *Idem quoque ~~dicendum eſt de dante aliquid~~ alicui, ut faciat teſtimonium falſum, aut ut injuſtam cauſam, ſeu advocationem pro eo ducat, aut injuſtum duellum faciat, ſeu jocum vel bellum. Nil enim horum, vel conſimilium poteſt licite retineri, niſi teneatur propter aliquam cauſam juſtam, ut puta propter pauperiem propriam ſublevandam, & hoc de licentia ſui Confeſſoris. Neque tamen reddendum eſt danti, ſicut dictum eſt, ſed pauperibus erogandum, eo quod eum utrinſque culpa ſit datum.*

Dicit ultimo Author, quod teſtis tuta conſcientia poteſt petere, & recipere expenſas, ſi quas agere cogitur pro ferendo teſtimonio ad petitionem partis: puta ſi propter diſtantiam loci, ad quem ſe debet transferre, ut ſe ſe coram Judice ſiſtat, aliquid expendere debeat in victu, vel equitatu: aut ſi, cum artifex ipſe ſit, per aliquot dies laborare nequeat. Id ſancitum legimus 4. q. 3. cap. 3. §. 40. — *Venturis autem ad judicium per accuſatorem, vel ab iis, per quos fuerant poſtulati, ſumptus competentes miniſtrentur, etiamſi in pecuniaria cauſa ab alterutra parte teſtes producendi ſint* — : quod & probavit Bonifacius VIII. *de Reſcriptis* in Sexto cap. 11. §. 8. — *Pro ferendo quoque teſtimonio (prætextu cujus aliqui alios fraudulenter interdum a Judicibus vocari procurant, ut eos laboribus & expenſis fatigent, aut extorqueant aliquid ab eiſdem) nullum ullatenus convocet, niſi quando conditio, & ſtatus cauſæ requirent. Sed nec tunc niſi a*

pro-

Digitized by Google

producente (vocato pro teſtimonio, veniendo, ſtando, & redeundo) faciat miniſtrari expenſas.

Quæres hic primo. An teſtis legitime interrogatus teneatur revelare ea, quæ ſibi ſub ſecreto commiſſa ſunt?

Reſpondet S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. — *Dicendum, quod de illis, quæ homini ſunt commiſſa in ſecreto per Confeſſionem, nullo modo debet teſtimonium ferre: quia hujuſmodi non ſcit ut homo, ſed tamquam Dei miniſter, & majus eſt vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto. Circa ea vero, quæ aliter homini ſub ſecreto committuntur, diſtinguendum eſt. Quandoque enim ſunt talia, quæ ſtatim, cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare tenetur: puta ſi pertinent ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus perſonæ, vel ſi quid aliud eſt hujuſmodi, quod quis propalare tenetur vel teſtificando, vel denuntiando. Et contra hoc debitum obligari non poteſt per ſecreti commiſſum: quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet. Quandoque vero ſunt talia, quæ quis prodere non tenetur: unde poteſt obligari ex hoc quod ſibi ſub ſecreto committuntur; & tunc nullo modo tenetur ea prodere etiam ex præcepto ſuperioris, quia ſervare fidem eſt de jure naturali. Nihil autem poteſt præcipi homini contra id, quod eſt de jure naturali.* Ratio hujus poſtremi potiſſima eſſe poteſt: quia, ſi ſecus eſſet; peccatores a conſilio petendo averterentur, & exinde non ſolum deſperatio, ſed alia multa ſequi poſſent incommoda. Judicis igitur intentio eſſe non poteſt, ut tunc quis revelet: quum bonum publicum, & civilis ſocietatis conſervatio exigant oppoſitum, nempe quod in eo caſu ſecretum omnino ſervetur. Secus opinatus eſt S. Bonaventura in 4. diſt. 21. art. 2. q. 3. prope finem ſcribens — *Ad illud quod objicitur, quod promittit habere ſecretum, cum audit, verum eſt ipſam Confeſſionem, & illud eatenus quatenus ſic ſcitur; aliter non promittit. Et ſi etiam promitteret, ubi veritas, vel obedientia præciperet revelari, poteſt promiſſio, vel juramentum nullum eſſe* —. Diſcrepantes hujuſmodi opiniones componere conatur Author in Angelica ver. *Teſtis* num. 33., & recitata S. Bonaventuræ doctrina, ſubdit — *Sed tu concorda verum, quando Superior hoc requirit ex aliquo bono reſpectu, & ut pater provideat: & dictum S. Thomæ intelligitur, quando ſolum ut puniat.*

Quæres ſecundo. An idem teſtis teneatur revelare, quod jure jurando promiſit ſe non revelaturum alicui?

℞. Ita ſane, & id pluries a Summis Pontificibus fuit declaratum; nempe ab Alex. III. Extra *de teſtibus & atteſtationibus* cap. 18. — *Intimavit R. Præsbyter, quod G. Clericus Capellanum ejus, & alios quamplures de teſtibus ſuis juramento conſtrinxit, quod teſtimonium, conſilium, & auxilium contra ipſum non præberent eidem. Ideoque injungimus, ut ſi teſtimonium eorum publicatum non eſt, nec eſt abrenunciatum teſtibus, eos, qui*

ſunt

ſunt juramento adſtricti, & alios, ſi neceſſe fuerit, idoneos, in teſtimonium recipere non poſtponas —. Ratio invicta ea eſt, quam adfert Gloſſa ibidem ſuper ver. *Juramento* — Cum illud juramentum illicitum fuerit, & ſine peccato ſervari non poſſet, cum celare veritatem ſit peccatum mortale 11. q. 3. *Quiſquis*, intra *de crimine falſi* cap. 1., & denunciandi ſunt illo juramento non teneri, intra *Conſtitutus*, & eſt expreſſum intra *de accuſationibus*, *Olim*. Temerarium enim juramentum non repellit a promotione, intra *de jurejurando*, *Sicut* 1. Ergo nec teſtimonio, ut hic dicit — Hactenus Gloſſa. Item ab Inno. III. ibid. cap. 45. — *Cum quoſdam induxerint ad jurandum, ne adverſus Archiepiſcopum aliquid dicerent, & alios minis & terroribus a teſtimonio perhibendo arcere nitantur: nos ex officio noſtro ſuper hoc providere volentes, mandamus, ut generalem feras excommunicationis ſententiam in omnes, qui impedimentum aliquod ipſi M. præſtare præſumpſerint in teſtibus producendis. Illos autem, quos, ut dictum eſt, juraſſe conſtiteris, quod contra Archiepiſcopum nil dicerent, denuncies juramento hujuſmodi non teneri* —. Vide ſuper hoc, ſi placet, Panormitanum in cap. *Intimavit*, de quo ſupra, & Joannem Pontaſium ver. *Teſtis* caſu 3. Merito quidem id fuit conſtitutum: quia, ſi ſecus eſſet, delicta omnia, quantumvis enormia, facili via remanerent impunita, & juramentum eſſet vinculum iniquitatis. Jure quapropter S. Bonaventura loco proxime laudato — *Unde ſi vidiſſem proximum peccantem tali peccato, quod teneor dicere Superiori: ſi jurem ſibi non dicere, non abſolvor; immo dicere oportet, & facienda eſt pænitentia de perjurio, pro eo quod contra juſtitiam juravi*.

Quæres tertio. An idem teſtis veritatem aperire teneatur, ſi teſtis unicus ipſe ſit, & res, de qua agitur, alteri non ſit nota?

℞. Graviſſima eſt hujuſmodi quæſtio. & Doctores ſuper ea in oppoſitas abeunt ſententias. De ipſa ſcribit Colletus in ſuis Inſtitutionibus de 8. Decal. præcepto cap. 8. art. 3. ſect. 2. Dico primo — An autem juridice interrogatus cenſeatur, & proin veritatem aperire debeat teſtis unicus, gravis eſt quæſtio, & admodum agitata. Sane ſi mihi de Superioris voluntate conſtaret, cenſerem a peccato vacare, qui humiliter obſequeretur. Stricte tamen in re tam intricata ad revelandum adigere non auderem, niſi ageretur de reſarcienda gravi injuſtitia, aut de avertendo damno impendenti ſeu Reipublicæ, ſeu privato: modo indubium foret rem, de qua agitur, prorſus occultam eſſe —. Hæc ille. Dubio procul ſimul atque res, de qua agitur, cæteris aliis omnino occulta eſt, nec de ea præcedit aliqua vel minima infamia: Judex non interrogat ſervato ordine juris; peccat immo abutens officio Judicis. Ipſi igitur non tenetur obtemperare teſtis, qui iccirco illæſa conſcientia poteſt occultare veritatem, dummodo alicui damnum inde non obveniat, aut injuria.

Quæres quarto. An teſtis, qui ex malitia, vel culpabili inadvertentia falſum teſtimonium dixit, teneatur illud revocare cum pari damno, & periculo, ſi opus eſſet, etiam propriæ vitæ?

℞. Theo-

Digitized by Google

℞. Theologi omnes uno ore confirmant, quod ſcribit Cabaſſutius Juris Canon. Theor. & prax. lib. 4. cap. 5. num. 6. — *Si ex falſa depoſitione reus verſetur in periculo vitæ, tenetur teſtis ſicut & calumnioſus accuſator Judicem certum facere de calumnia, & falſitate, omnemque operam adhibere, ut reum eripiat etiam cum periculo propriæ vitæ. Nam in pari crimine potior eſt innocentis conditio, quam calumniatoris, aut alterius, qui ſua malitia immeritum hominem in id periculum adegit* —. Conveniunt pariter ipſum teneri ad reſarcienda omnia damna inde ſecuta; in cujus rei probationem Author in Angelica ver. *Teſtis* num. 30. allegat L. *Et generaliter* §. *Illud* ff. *de calumniatoribus*, & 17. q. 4. cap. *Si quis in atrio*, in quo ſic legitur — *Si quis in atrio Eccleſiæ pugnam commiſerit, aut homicidium fecit, quicquid pro emunitate violata emendandum eſt, altario ſolvatur, cujuſcumque fuerit Eccleſia illa* —. Egregie quapropter S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 19. §. 7. — *Teſtificando inſuper falſum advertenter, tenetur ad reſtitutionem omnium, quæ exinde proximus amiſit propter ejus teſtimonium, 14. q. 6. SI RES, & 2. q. 1. NOTUM* —. Idem ſcripſit S. Bernardinus To. 1. ſerm. 34. cap. 3., quem jam ſupra protuli, & iterum proferre juvat — *Si enim per dictum falſorum teſtium aliqua pars amiſerit cauſam ſuam, tenetur reſtituere totum damnum ei, qui damnificatus eſt. Arguitur 17. q. 4. SI QUIS IN ATRIO, 14. q. 5. NON SANE, 2. q. 4. NOTUM SIT* —. Invicem duntaxat diſſident, an teneatur revocare quod dixit, etiam in caſu, in quo nulla ſpes adeſſet, quod revocatio eſſet profutura. Cuniliati de 8. Decal. præcepto §. 4. num. 4. ſententiam tuetur negativam ſcribens — *Teſtis vel ex malitia, vel ex culpabili inadvertentia falſum deponens, tenetur ad omnia damna ex falſa teſtificatione ſecuta, ut patet: quia eſt eorum culpabilis cauſa efficax. Idcirco tenetur quam primum revocare teſtimonium, ſi extet ſpes, quod revocatio ſit profutura* —. Idem pro certo habet Gabr. Antoine de obligationibus cap. 5. §. 3. q. 2. brevibus hæc omnia complectens — *Preter perjurium peccat contra juſtitiam, & tenetur reſarcire omnia damna inde ſecuta; immo & revocare teſtimonium cum pari ſuo damno, & periculo etiam vitæ, ſi accuſatus de ea periclitetur, & retractatio putetur profutura* —. Hæc tamen doctrina non arridet Patri Concinæ; & iccirco eam in Salmanticenſibus improbat lib. 10. in Decal. Diſſert. 1. cap. 3. num. 6. ſcribens — Lex retractationis non ita ab effectu pendet, ut hoc fruſtrato illa evaneſcat. Sed natura imposturæ, & calumniæ talis eſt, ut, quoties innocenti retractatio non nocet, debeat calumnia aboleri. Accedit, quod, licet retractatio inutilis ſit ad ſubtrahendum ſupplicio innocentem, fruſtranea tamen non eſt ad famam redintegrandam. Denique teſtis falſus, ut ſuæ conſulat ſaluti, ea omnia præſtare debet quæ ſibi poſſibilia ſunt. Retractare falſitatem in judicio juramento aſſertam valet. Qua ergo lege ab hoc implendo debito liberatur? Quia hæc retractatio ad innocentem ſubducendum inflictæ pœnæ non conducit? At tametſi huic fini idonea non

ſit,

ſit, congrua tamen, immo neceſſaria eſt, ut teſtis officio fungatur ſuo --. Hæc ille. Tutior certe eſt ſententia Concinæ. Sed utrum ſimul ſit probabilior, judicent alii.

Quæres quinto. Ad quod teneatur teſtis, qui memoria deceptus, debita licet adhibita diligentia, teſtatus eſt falſum?

℞. Huic quæſito facit ſatis S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 10. §. 7. inquiens -- *Verum quia ex labilitate humanæ memoriæ contingit, quod quis reputat ſe quandoque certum de eo, quod falſum eſt; ideo ſi quis cum debita ſollicitudine recogitans æſtimat ſe eſſe certum de eo, quod falſum eſt, non peccat mortaliter hoc aſſerens: quia non dicit falſum teſtimonium per ſe, & ex intentione, ſed per accidens contra id, quod intendit. Hæc Thomas. Sed nec tenetur ad reſtitutionem damni paſſo. Arguitur* 24. *q.* 5. *DE OCCIDENDIS* --; nihil enim injuſtum commiſit. Placet quod adjicit Concina loco proxime laudato num. 5. -- Si tamen, antequam innocens damnetur, ſuæ deceptionis conſcius evadat, tenetur qua meliori via valet, periclitanti ſuccurrere, & ſuam detegere ignorantiam, ne ex ſuo ſilentio proximus damnum ſubeat --. Hæc ille. Placet pariter quod ſcribit Antoine loco itidem modo laudato -- Porro teſtis, qui bona fide teſtificatus eſt falſum, tenetur ex juſtitia ſuum teſtimonium retractare, ſi ex eo ſequatur damnum alteri. Ita Molina, Leſſius, Delugo, & alii. Quia quiſque tenetur ad procurandum, ne ex ſua actione ſequatur aliis damnum injuſtum --. Hæc Antoine.

Cave interim, ne credas, idem omnino eſſe ſtatuendum de eo, qui ſub certitudine aſſeveravit id, de quo vere erat dubius. De teſte ſic dubitante paullo ante ſcripſit S. Antoninus -- *Peccat in teſtificando, quum id quod eſt ſibi dubium, aſſerit ſibi certum: & talis peccat mortaliter, quia exponit ſe periculo peccati, & damnificationis alterius, cum poſſit contrarium eſſe ejus, quod dixit: & etiam pejerat, cum jurat ſe ſcire illud, quod neſcit. Nam non admitteretur ejus teſtimonium, ſi non diceret ſe ſcire; quinimmo ſolent teſtes interrogari unde & quomodo ſciant. Et ſi interrogati, de cauſa ſcientiæ non dicant, non valet teſtimonium,* 4. *q.* 3. §. *ITEM SOLAM, & in Authent. DE TESTIBUS* §. *ET LICET DUDUM. Et tenentur ad reſtitutionem, ſi inde proximus injuſte damnificaretur* --. Ad mala hæc omnia præcavenda appoſite S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 4. ad 1. -- *Dicendum, quod in teſtimonio ferendo non debet homo pro certo affirmare, quaſi ſciens id, de quo certus non eſt; ſed dubium debet ſub dubio proferre, & id, de quo certus eſt, pro certo aſſerere.*

Quæres ſexto. Utrum quis in cauſá propria aſſumi poſſit in teſtem?

℞. Minime gentium, textu expreſſo C. *de teſtibus* L. 10. -- *Omnibus in re propria dicendi teſtimonii facultatem jura ſubmoverunt* --: quæ lex in Canonem translata eſt 4. q. 3. §. 39. Unde venditor (ita Aſteſanus lib. 1. tit. 37. art. 7.) in cauſa rei venditæ non admittitur pro emptore, quia propria

pria

pria venditoris cauſa videtur. Neque debitor in cauſa pignoris pro creditore, ff. *de appellationibus* L. *ab executore*. Fallit hoc in legatariis & commiſſariis, qui ferunt teſtimonium in cauſa teſtamenti, cum agitur de hæreditate, non de legatis, & fidecommiſſis. Fallit etiam hoc in Collegio, & Corregularibus: Monachi enim, & Clerici in cauſis Monaſterii ſui, & Eccleſiæ ſuæ poſſunt teſtificari; ita tamen, quod ſtatuant unum, vel duos Procuratores ad agendum, & reſpondendum: & illi duo non poſſunt eſſe teſtes in cauſa illa, ſed alii poſſunt, Extra cap. *Inſuper*. Similiter Prælatus poteſt eſſe teſtis; ita tamen, quod ponat alium procuratorem, quia non poteſt eſſe ſimul actor, & teſtis, ſecundum Hoſtienſem —. Hæc ille, cui inter alios concinit S. Antoninus part. 3. tit. 9. cap. 11. §. 1.

Secundum Dubium. Utrum accuſator vel denunciator calumnioſus, teneatur?

Reſpondeo ſecundum Hoſtienſem, quod aut falſo, & inique accuſavit; & tunc tenetur in ſolidum de omni damno, quod ob hoc evenit proximo, Extra *de calumniatoribus* cap. ultimo. Aut accuſavit vere, non tamen ex charitate, ſed potius ex odio, & hujuſmodi; & tunc ſolum tenetur ad pœnitentiam de mortali, 23. q. 5. cap. *Prodeſt*, & 5. q. 1. cap. 1. Concordat Petrus Caſuel tit. *Reſtitutio*.

(238) Hoc idem pene verbatim uſque dixerat S. Bernardinus To. 1. ſerm. 34. cap. 3. verſus finem — *Tertio falſa accuſatione, ſeu denunciatione, de quibus quidem tenendum eſt, quod ſi calumnioſe hoc operati ſunt, tunc tenentur ad damni dati reſtitutionem, & ſunt graviter puniendi, ut notatur Extra DE CALUMNIATORIBUS cap. ultimo. Sed & tenentur pœnitentiam agere, ſi ad hoc ex odio proceſſerunt: quia ex charitate hoc procedere deber, 23. q. 5. C. PRODEST* —. Et profecto, quum falſua accuſator vera, unica, eaque iniqua cauſa ſit, qua innocens damnum patitur per ſummam injuriam, ſummamque injuſtitiam: quis contra omnia jura eum poterit dicere ab onere reſtitutionis immunem? Immunem eum Author dicit, ſi alterum de vero crimine accuſet, & eo in caſu duntaxat pœnitentiæ obnoxium, ſi id agat non zelo publicæ vindictæ, ſed quia ipſum odio habet. Ratio eſt in promptu; in hoc enim caſu, qui damnum patitur, reus reipſa eſt, & damnum, quod inde ſequitur, vere dici poteſt pœna peccati.

Tertium Dubium. Utrum temere litigantes teneantur ad intereſſe partis?

Reſpondet Panormitanus in cap. *Calumniam* Extra *de pœnis*, quod ſic. Et nota, quod quis temere facere dicitur, qui fatue, vel ſtulte, vel ſine cauſa facit id, quod facere non deberet, ut patet in Gloſſa in ver. *Temerarius* in cap. cum *medicinalis* lib. 6. *de ſententia excommunicationis*.

(239) *Lis autem a conteſtatione limitis prius nomen ſumpſit, de qua Virgilius: Limes erat poſitus, litem ut diſcerneret agris* -- Extra *de verborum ſignificatione* cap. 10.: & recte definiri poteſt, diſſidium duorum, vel plurium, quod judiciorum formulis eſt dirimendum. *Litis nomen omnem actionem ſignificat, ſive in rem, ſive in perſonam ſit* -- ff. *de verborum ſignificatione* L. 36. Proprie tamen lis civilem cauſam tantum oſtendit, & non criminalem, ut monet Gloſſa in cap. 10. Extra *de verborum ſignificatione* modo citatum, & ſigillatim in ver. *Lis autem*. Criminales enim lites vocantur extraordinariæ, & capitis, ad differentiam civilium, quæ ordinariæ ſolent appellari. Lis eſt nomen magis generale (Ita Anacletus in lib. 2. Decretal. tit. 1. num. 14.) & quandoque ponitur pro inſtantia cauſæ, ut citata L. *Properandum* C. de judiciis: ibi: *Properandum nobis* ~~*viſum eſt, ne lites fiant pene immortales*~~ --. Quandoque vero non ſolum inſtantiam, ſed ejus etiam principale, ſive cauſam in judicium deductam ſignificat, ut L. *Litis nomen* ff. *de verborum ſignificatione* --. Hæc ille.

Quantum noſtra hac ætate lites excreverint, nemo eſt qui non videat. An motivum illud ſit quod exhibet S. Bonaventura in Opuſculo, cui tit. *Luminaria Eccleſiæ* ſerm. 5. §. *Primo igitur* verſus finem -- *Sed ſcientia juris multum luxuriata eſt propter lucrum, & cauſæ, quæ deberent terminari per jus, modo per allegationes & ſubtilitatem juris fiunt immortales, cum tamen intentio juris ſit cauſas reſcindere* --, aliorum eſto judicium. Certo certius eſt, quod ſcribit Anacletus in lib. 1. Decretal. tit. 34. num. 2. & ſeq. -- Litigia quippe, ac diſſentiones criminum præbent occaſionem, ſuntque multorum cauſa malorum, Clementina *Dudum* §. 1. *de ſepulturis*. Unde & bonarum mentium eſt, lites execrari. Arguitur L. *Item ſi res* §. finali ff. *de alienatione judicii mutandi cauſa*, & inter alios notat Fagnanus in cap. *Conqueſtus* num. 53. *de Feriis*. Incertus eſt enim litis eventus, ſimulque cogitandi ſunt ſumptus ad ejus proſecutionem neceſſarii. Arguitur L. *Quod debetur* ff. *de Peculio*. Pulchre ſane Sanctus Ivo Advocatorum Patronus (ut poſt Rebuffum To. 1. ad leges Galliæ in Proemio, Gloſſa 5. num. 154. refert Barboſa part. 3. de offic. & poteſt. Epiſcop., alleg. 79. num. 14.) dicebat -- *Quod in controverſis cauſarum capitales ini-*

mici-

Digitized by Google

mlcitlæ orluntur, fit amiſſio expenſarum, labor animi exercetur, corpus quotidie defatigatur, multa & inboneſta crimina lnde conſequuntur, bona & utilia opera poſtponuntur: & qui ſemper credunt obtinere, freqnenter ſuccumbunt, &, ſi obtlnent, computatis laboribus & expenſis nihil acquirunt --. Unde tutior eſt pax incerta victoria, & ſatis lucratur, qui ſe a litibus eximit. Atque, ut habet vulgi adagium -- *Tenuis tranſactio præſtat pingui ſententia* --: incertus eſt enim litis eventus, L. *Quod debetur* ff. *de peculio*. Et, quod omnia alia ſuperat, divinum monitum Salvatoris eſt, Matth. cap. 5. v. 40. -- *Si quis vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimltte el & pallium: & quique te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo* --. Hacteuus Anacletus.

Cave tamen, ne ex hoc inferas, iniquum eſſe litem conteſtari, aut Juriſprudentiam, quæ circa lites pene tota verſatur, non eſſe ab impietate immunem. Vere ſcriptum eſt ff. *de juſtitla & jure* L. 10. -- *Juſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. Juris præcepta hæc ſunt: honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere. Juriſprudentia eſt divluarum, atque humanarum rerum notltia: juſti atque injuſti ſcientia* --. Et iccirco litem gerere nedum licet, ſed quandoque perneceſſe eſt, ut facultas, aut fama defendatur. Sed in eam rem eſt eundem legitima, & urgenti neceſſitate premente, & cum parte adverſa omnes ſervandæ ſunt Chriſtianæ charitatis regulæ.

Ad caſum nunc deſcendo. Loquitur Author de temere litigante, huncque vult teneri ad intereſſe partis. Temere litigans dicitur -- *Sciens ſe non habere jus* --, ut Gloſſa ſuper L. 79. ff. *de judiciis*, & ſigillatim ſuper ver. *Eum quem temere* -- *Temeritas vero poteſt eſſe ſine dclo, & probari ex actis, ut quia habens lnjuſtam cauſam, non hablto conſilio peritorum, credens proprio caplte ſe habere bonam cauſam, litigavit; talis enim dicitur temere litigare* --. Ita Panormitanus in cap. *Calumniam* Extra *de pœnis* num. 1. Hos inconſiderate, imprudenter, & inconſulto agentes teneri ad compenſandum quod intereſt parti adverſæ, utroque jure docemur. Jure civili textu expreſſo ff. *de judiciis* L. 79. -- *Eum, quem temere adverſarium ſuum in judicium vocaſſe conſtitit, viatica, litiſque ſumptus adverſario ſuo reddere oportebit* --. Jure item Canonico textu pariter expreſſo Extra *de pœnis* cap. 4., quod eſt Alex. III. -- *Calumniam & audaciam temere litigantium condemnando in expenſis, & alio multiplici remedio ſanctio imperialis compeſcit. Quoniam igitur ſacris inſtitutis conſonare dignoſcltur, præcipimus, ut de cætero in cauſis pecuniarlis victus victori in expenſis condemnetur, niſi ſententia pro abſente feratur* --. Excipit Summus Pontifex caſum, in quo ſententia fertur in favorem actoris conſulto abſentis & reus præſens condemnatur: quia hunc eundem exceperat lex civilis C. *de judiciis* L. *Properandum* §. 2. -- *Sin autem ex geſtis apud ſe habitis, parte actoris minime inventa, poſſit lnvenire viam, qua manifeſtum*

ei fiat, quid ſtatuendum ſit etiam abſente actore, ſi eum meliorem cauſam habere perſpexerit, pro eo ferre ſententiam non meretur, & præſentem reum abſenti actori condemnare: expenſis tantummodo litis, quas reus legitime ſe expendiſſe juraverit, condemnatione excipiendis: quia hanc pœnam actori, & meliorem cauſam habenti, propter ſolam abſentiæ contumaciam imponimus.

QUARTUM DUBIUM. Utrum Advocati, qui patrocinium præſtant in cauſa injuſta, teneantur?

Reſpondeo, quod, ſive cauſam injuſtam eſſe ſciverint a principio, ſive in medio: ſive id ignoraverint ignorantia non excuſabili, & non deſtiterunt ſtatim atque cognoverunt injuſtitiam cauſæ, aut id debuerunt cognoſcere, tenentur ad reſtitutionem non ſolum æris; ſed etiam juris ſi poſſunt, aut alias ſatisfacere. Similiter tenentur clientulo ſuo, ſi ex negligentia amittant cauſam bonam. De hoc vide Dubium 9. tit. 12. Et multo magis, ſi propter ipſorum infidelitatem aut proditionem cauſa fuit amiſſa, ff. *de pœnis* L. *Si quis aliquid ex metallo*, & ff. *ad legem Corneliam, de Sicariis* L. 1. & ff. *de extraordinariis criminibus* L. *Saccularii*. Et breviter: qualitercunque vitio ipſorum juſtam cauſam amiſerint, vel injuſtam defenderint vel falſo allegando, vel petendo fruſtratorias dilationes, aut procaciter vociferando, & hujuſmodi, & læſerint partem adverſantem, tenentur de omni damno. Arguitur ff. *de evictionibus* L. *Si ideo*, & cap. eod. tit. L. *Emptori*, & ff. *de tabulis exhibendis* L. *Locum* §. *Condemnatio*. Concordant Petrus Caſuel. tit. *de Poſtulando*, & Monaldus tit. *Reſtitutio*.

(240) In hiſce omnibus caſibus Advocatus vera, propria, & efficax cauſa eſt, cur cliens ſuus, vel pars adverſa damnum patitur. Dubio ergo procul eidem ſatisfacere tenetur. Vide Aſteſanum lib. 1. tit. 39. art. 1., nec non Hoſtienſem *de poſtulando* num. 5., & hæc omnia habebis fuſe diſcuſſa, & congruentibus legibus communita. Excipiunt hi cum Authore in Angelica ver. *Advocatus* num. 12., ſi cauſa amittatur propter qualitatem cauſæ, vel ob defectum probationum: quia tunc vitium eſſet materiæ, non artificis, quemadmodum in caſu non abſimili ſancivit lex, agens licet de alia materia, ff. *ad legem Aquiliam* L. 27. §. 29. — *Si calicem dia-*

tre-

tretum faciendum dediſti, ſi quidem imperitia fregit, damni injuria tenebitur: ſi vero non imperitia fregit, ſed rimas habebat vitioſas, poteſt eſſe excuſatus --. Super caſu Authoris egregie S. Thomas 2. 2. q. 71. art. 3. agens de Advocato in corpore -- *Dicendum, quod illicitum eſt alicui cooperari ad malum faciendum ſive conſulendo, vel adjuvando, ſive qualitercumque conſentiendo: quia conſilians, & coadjuvans quodammodo eſt faciens. Et Apoſtolus dicit ad Rom.* 1., *quod digni ſunt morte non ſolum qui faciunt peccatum, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Unde & ſupra dictum eſt q.* 62. *art.* 7., *quod omnes tales ad reſtitutionem tenentur. Manifeſtum eſt autem, quod Advocatus, & auxilium & conſilium præſtat ei, cujus cauſæ patrocinatur. Unde ſi ſcienter injuſtam cauſam defendit, abſque dubio graviter peccat, & ad reſtitutionem tenetur ejus damni, quod contra juſtitiam per ejus auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter injuſtam cauſam defendit, putans eſſe juſtam, excuſatur ſecundum modum, quo ignorantia excuſare poteſt* --. Et ibidem ad ſecundum -- *Dicendum; quod Advocatus, ſi in principio credidit cauſam juſtam eſſe, & poſtea in proceſſu appareat eam eſſe injuſtam, non debet eam prodere, ut ſcilicet aliam partem juvet, vel ſecreta ſuæ cauſæ alteri parti revelet; poteſt tamen, & debet cauſam deſerere, vel eum, cujus cauſam agit, ad cedendum inducere ſive ad componendum ſine adverſarii damno* --. Concinit S. Bernardinus To. 1. ſerm. 34. cap. 3. ſub initio -- *Primo quidem falſa advocatione, ſeu procuratione, quum ſcilicet Advocatus, ſeu Procurator cauſam injuſtam defendit. Unde ſecundum Raymundum tenetur ad reſtitutionem omnium, quæ illi, contra quos advocabat, propter illius patrocinium injuſte amiſerunt, ſeu damnificati fuerunt. Unde ſi propter cavillationem ſuam abſtulit adverſario cauſam bonam, vel etiam ſi ipſum gravavit, ſuperfluam dilationem petendo, vel allegando falſum contra conſcientiam, vel faciendo cavilloſam poſitionem, aut inſtruendo falſum teſtem, ſive inſtruendo clientulum de negando veritatem, aut procaci vociferatione impediendo proceſſum, quod quidem fieri poteſt, ſicut patet* 5. *q.* 4. *cap. IN LOCO: in omnibus his & conſimilibus adverſario tenetur ad intereſſe non ſolum æris, ſed etiam juris: nam tenetur ponere partem injuſte oppreſſam in ſtatu ſui primi juris. Advertendum tamen ſecundum Thomam* 2. 2. *q.* 71., *quod Advocato defendenti cauſam juſtam licitum eſt prudenter occultare ea, quibus impediri poſſet proceſſus; non tamen eſt licitum ei uti aliqua falſitate* --. Adverſus Advocatos, qui conviciis, maledictionibus, protractionibus, turpi lucro, aliiſve modis alicui damnum inferunt, pene tota eſt L. 6. C. *de poſtulando*, & ſingillatim §. 1. -- *Ante omnia autem univerſi Advocati ita præbeant patrocinia jurgantibus, ut non ultra, quam litium poſcit utilitas, in licentiam conviciandi, & maledicendi temeritatem prorumpant: agant quod cauſa deſiderat: temperent ſe ab injuria. Nam ſi quis adeo procax fuerit, ut non ratione, ſed probris putet eſſe certandum, opinionis ſuæ imminutionem patietur: nec enim connivientia commendanda eſt,*

ut

ut quiſquam negotio derelicto, in adverſarii ſui contumeliam aut palam pergat, aut ſubdole -- : & ſingillatim §. 4. & ſeq. -- *Nemo ex induſtria protrahat jurgium. Apud urbem autem Romanam etiam honoratis, qui hoc officium putaverint eligendum, eo uſque licet orare, quouſque maluerint, videlicet ut non ad turpe compendium, ſtipemque deformem hæc arripiatur occaſio, ſed laudis per eam augmenta quærantur. Nam ſi lucro, pecuniaque capiantur: veluti abjecti, atque degeneres inter viliſſimos numerabuntur* --. Hæ leges, aliæve ſimiles in Canonem translatæ ſunt 3. q. 7. cap. 3. Non abſimile eſt quod legimus 5. q. 4. cap. *In loco* -- *Cultum enim ſuum juſtitia perdit, quando ſilentia judicii obſtrepentium turba confundit, dicente Propheta (Iſaiæ 32.): erit cultus juſtitiæ ſilentium. Debet ergo quicquid aut conſultationibus conſidentium agitur, aut ab accuſantium parte proponitur, ſic mitiſſima verborum relatione proferri, ut nec contentioſis vocibus ſenſus audientium turbent, nec judicii vigorem de tumultu enervent.*

Quintum Dubium. Utrum Advocati, qui recipiunt lucrum immoderatum, teneantur?

Reſpondet Hoſtienſis, quod ſic, & ei, a quo acceperunt, ſi lucrum acceperint pro cauſa juſta. Moderatum tamen lucrum poſſunt accipere, & præſertim quando non habent ſalarium a Communitate, vel a Judice, nec vendunt veritatem, ſed propriam ſollicitudinem. Concordant Ricardus & Alexander in 4.

(241) De hac re egregie Author in Angelica ver. *Advocatus* num. 15. & ſeq., S. Thomas 2. 2. q. 7. art. 4. per totum, Alteſanus lib. 1. tit. 39. art. 1., S. Bernardinus To. 1. ſerm. 39. art. 2. cap. 3., S. Antoninus part. 3. tit. 6. cap. 2. §. 4., aliique complures tum veteres tum recentiores. Tamquam decretoria ſemper fuerunt habita aurea verba S. Auguſtini ad Macedonium in Canonem relata, 11. q. 3. cap. 71. -- *Non licet Judici vendere juſtum judicium, etſi liceat Advocato vendere juſtum patrocinium, & Juriſconſulto juſtum conſilium* --. Nec Authoris opinionem quicquam infirmat animadverſio S. Raymundi, quod nempe poſſit Advocatus lucrum recipere, quando laborare debet, diſputare, ſtudere, & libros evolvere; non autem quando ex tempore, & ſine prævio ſtudio clienti ſuo reſpondere poteſt. Hanc enim diſtinctionem rejiciunt omnes emunctæ naris Theologi: quia ſi ſtudere non debet pro eo tunc, ſtuduit tamen, & ſtudere debuit in anteceſſum. Secus melioris conditionis eſſet Advocatus unius anni, qui ut in pluribus adhuc indiget ſtudio, quam provectus, peritus in arte, & conſumatæ virtutis, quod eſt abſurdum. Audiamus quæſo S. Antoni-

Digitized by Google

toninum, cum quo cæteri proxime citati omnino conveniunt — Nota primo, quod ait Auguſtinus, quod licet Advocato vendere ſuum patrocinium, & Juriſconſulto juſtum conſilium, 14. q. 5. *Non ſane*. Quod videtur intelligendum, quando credit juſtam eſſe cauſam, quam defendit, vel ſaltem dubitat non eſſe injuſtam: &, ſi ut lucretur, clientulo dicit juſtam eſſe, nil debet habere, & ſic acceptum debet reſtituere. Pro juſto enim patrocinio licet accipere ſalarium: quia nemo de ſuo cogitat beneficium tacere, 10. q. 2. cap. *Precariæ* 1., nec ſuis ſtipendiis quis debet militare 1. Cor. 9. Nec hoc eſt vendere ſcientiam, ſed laborem ſuum, ſeu locare operas ſuas, & præmium poſtulare, 12. q. 2. *Eccleſiaſticis*. Et quamvis quidam dicant, quod, cum hoc facit Advocatus, ſeu Juriſconſultus abſque labore, & revolutione librorum: puta quia habet in promptu materiam, vel de propinquo vidit: non poteſt tunc accipere. Tamen Guillelmus in Speculo, & Hoſtienſis tenent contrarium, ſcilicet quod poteſt accipere: quia, ſi non laboravit tunc, laboravit in præterito; alias deterioris conditionis eſſet magis peritus, quam minus. Id autem certum eſt, quod non licet pacifci de certa parte, ſeu quota litis: puta de decima, vel quinquageſima, vel centeſima. Quod ſi fecerit, eſt ei interdicendus forus, & a communione aliorum Advocatorum eſt removendus, ideſt ab actione advocandi, ut C. *de poſtulando* L. *Si qui*, & 3. q. 7. *Infamis* §. *Tria*. De quanta autem licet, puta quinque florenorum, decem, viginti, & hujuſmodi, dummodo non tranſgrediatur legitimum modum, ſcilicet ſummam centum aureorum, quantacumque ſit cauſa etiam de uno regno. In minoribus autem cauſis pro Advocati facundia, cauſæ qualitate, & fori conſuetudine accipiet. Et nomine palmarum poteſt etiam aliquid ſtipulari: puta ſi habuerit victoriam cauſæ, promittit dare Advocato tantum præter ſalarium. Includitur autem illud palmarium ſub numero prædicto, ſcilicet centum aureorum, quem non debet excedere. Et ſi certa quantitas, ſeu certum quid promiſſum eſt, illud debet dari —. Hactenus S. Antoninus. Prudenter iccirco ff. *de extraordinariis cognitionibus* L. 1. §. 10. — *In honorariis Advocatorum ita verſari Judex debet, ut pro modo litis, proque Advocati facundia, & fori conſuetudine, & judicii, in quo erat acturus, æſtimationem adhibeat: dummodo licitum honorarium quantitas non egrediatur. Ita enim reſcripto Imperatoris noſtri, & patris ejus continetur. Verba reſcripti ita ſe habent: Si Julius maternus, quem patronum cauſæ tuæ eſſe voluiſti, fidem ſuſceptam exhibere paratus eſt: eam duntaxat pecuniam, quæ modum legitimum egreſſa eſt, repetere debes.*

Excipit Author, quando Advocatus determinatum habet ſalarium a Communitate, vel a Judice. Id certe ſponte fluit: quoniam ſi patrocinium ſuum ab uno ex his jam ſatis eſt compenſatum, recta ratio prohibet, quod pro eodem patrocinio ſecundam mercedem accipiat. Diligenter tamen expendendæ ſunt conventiones, penſitanda ſunt pacta, quibus illigatur:

gatur: quoniam ſi Medicus, qui propter ſalarium cum communi conventum mederi tenetur infirmis hujus, vel alterius loci, intacta conſcientia nihilominus poteſt mercedem petere ab eo, qui perfecta ſanitate gaudet: licite etiam poterit Advocatus in nonnullis caſibus ſuum vendere patrocinium, in iis ſcilicet, ad quos ſe non extendit conventio cum Communitate inita.

SEXTUM DUBIUM. Utrum Advocati, qui ſervant doctrinam Speculatoris in tit. de *Advocato* §. 1. & ſequenti, teneantur?

Reſpondeo, quod ſic, ſi eam ſervant in cauſa injuſta: Secus, ſi in cauſa juſta, quando alias eam melius defendere non poſſunt, dummodo non utantur falſitate: quoniam habenti cauſam juſtam licet occultare ea, quibus ejus proceſſus impediri poteſt.

(242) Vehementer mihi diſplicet, quod penes me non habeo ſpeculum Juris in tria Volumina diſtinctum, opus a ſpeculatore, ſcilicet Guilelmo Durantes, ſive Durando vulgatum. Parce igitur Lector, ſi eam in medium hic non profero, ut quiſque cognoſcat, de qua doctrina ſermo hic ab Authore fuerit inſtitutus: Divinabo nihilominus, & divinationis argumentum mihi ſuppeditabit id, quod propoſito caſui reſpondet Author, videlicet quod ea doctrina uti Advocatus poteſt in cauſa juſta, in qua quandoque licet multa de induſtria occultare, ſicuti paullo antea accepimus a S.Bernardino poſt S.Thomam 2. 2. q. 71. art. 3. ad 3. – *Dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, q. 40. art. 3., militi, vel Duci exercitus licet in bello juſto ex inſidiis agere, ea, quæ facere debet, prudenter occultando, non autem falſitatem fraudulenter faciendo, quia etiam hoſti fidem ſervare oportet, ſicut Tullius dicit in primo de Officiis: unde & Advocato defendenti cauſam juſtam, licet prudenter occultare ea, quibus impediri poſſet proceſſus ejus; non autem licet ei aliqua falſitate uti*. Ea vero non poteſt uti in cauſa injuſta, quia verum occultando alteri nocumento eſt, vel ſaltem publicam juſtitiam lædit, aut publicam tranquillitatem. Ex hoc reſponſo facile quis conjicit doctrinam Speculatoris, de qua Author, in eo eſſe poſitam, ut varios doceat modos occultandi veritatem, ut Advocatos inſtruat de quibuſdam viis, & ſpeculationibus, de inſidiis quibuſdam, quarum uſu non juſtitiæ, non veritati, non publicæ tranquillitati, ſed clienti poſſit favere ſuo. Si ita eſt, egregium eſt Authoris reſponſum, quod lubens in omnibus obſigno.

SEPTI-

Digitized by Google

Septimum Dubium. Utrum Judex, qui malitia ſua dedit ſententiam injuſtam, aut qui juſtam dare noluit, aut qui viduis, & pupillis, & hujuſmodi, non vult adminiſtrare, teneatur?

Reſpondet Monaldus, quod ſic, ad plene ſcilicet ſatisfaciendum læſo L. ultima C. *de pœna Judicis qui male judicavit*, & 11. q. 3. cap. *Quatuor*, & 23. q. 2. cap. *Dominus*, & in Authent. *Ut differentes Judices* Collat. 6. tit. 15.

(243) *Ad hoc, quod judicium ſit actus juſtitiæ, tria requiruntur. Primo quidem, ut procedat ex inclinatione juſtitiæ. Secundo, quod procedat ex auctoritate præſidentis. Tertio, quod proferatur ſecundum rectam rationem prudentiæ. Quodcumque autem horum defuerit, judicium erit vitioſum, & illicitum. Uno quidem modo, quando eſt contra rectitudinem juſtitiæ, & ſic dicitur judicium perverſum, vel injuſtum. Alio modo, quando homo judicat de his, quibus non habet auctoritatem: & ſic dicitur judicium uſurpatum. Tertio modo, quando deeſt certitudo rationis, puta cum aliquis de his judicat, quæ ſunt dubia, vel occulta, propter aliquas leves conjecturas; & ſic dicitur judicium ſuſpicioſum, vel temerarium* —. Ita S. Thomas 2. 2. q. 60. art. 2. in cospore. Dum quis injuſte judicat, ut in caſu, judicium perverſum eſt, & injuſtum. Pervertit is judicium Chriſti, uti ſcriptum eſt 11. q. 3. cap. 79. — *Quicumque aut conſanguinitate, aut amicitia, & econtrario vel hoſtili odio, vel inimicitia in judicando ducitur, pervertit judicium Chriſti, qui eſt juſtitia, & fructum illius vertit in amaritudinem* —. Juse igitus nonnullis ſubjicitur pœnis, inter quas potiſſima hæc eſt rationi quammaxime conſona, quod videlicet ſatisfaciat læſo, & teneatur de omnibus damnis inde obvenientibus — *De eo, qui pretio depravatus, aut gratia perperam judicaverit, ei vindicta, quem læſerit, non ſolum æſtimationis diſpendii, ſed etiam litis diſcriminis præbeatur* — C. *de pœna Judicis* L. ultima. Si poſtmodum juſtam, quam deberet, non vult proferre ſententiam: aut viduis, pupilliſve juſtitiam adminiſtrare recuſat: ex illis eſt, de quibus S. Gregorius, vel S. Iſidorus juxta Romanam correctionem, 11. q. 3. cap. 78. *Quatuor modis pervertitur judicium humanum. Timore, dum metu poteſtatis alicujus veritatem loqui pertimeſcimus: cupiditate, dum præmio animum alicujus corrumpimus: odio, dum contra quemlibet adverſarium molimur: amore, dum amico, vel propinquo complacere contendimus* —. Et quum ſic operans nedum injuſte agat, ſed iis, quibus judicium debebatur, & juſtitia, detrimento ſit, jura omnia clamant ipſum teneri in ſolidum ad reſtituendum omne damnum alteri illatum. Pulchre S. Bernardinus To. 1. ſerm. 34. cap. 3. — Secundo falſa ſententiatione. Talis tamen ſententia-

tentiatio tripliciter fieri contingit: aut malitia, aut ignorantia, aut metu ſicut patet 11. q. 3. cap. *Quatuor*, 2. q. 1. *In primis*. Primo fit malitia, puta per cupiditatem, odium, vel amorem: & tunc, ſi cauſa eſt civilis, tenetur ad reſtitutionem damnorum, & punitur in triplo. Si autem eſt criminalis, reſtituit damna, & confiſcationem patitur totius ſubſtantiæ ſuæ, ut in Authent. *Ut litigantes in exordio litis jurent* §. *Si quis autem*. Secundo per ignorantiam, vel imprudentiam: tunc punitur ex quaſi delicto arbitrio Judicis, ſed non in ſolidum L. final. ff. *de variis & extraordinariis cognitionibus*, & Inſtitut. *de obligationibus quæ ex quaſi delicto* in principio. Et de hoc Joannes Andreæ in cap. *Cum æterni tribunal* in ver. *Condemnamus* Extra *de ſententia & re judicata* in Sexto. Tertio fit per metum: & tunc, ſi cadat in conſtantem virum, peccat mortaliter, ſed non tenetur ad reſtitutionem, niſi tempore accepti officii vel commiſſionis dubitaſſet de inferendo metu, quia tunc non excuſatur a reſtitutione damnorum. Nam ſi quis timore, cupiditate, vel odio, vel amore, vel alias iniquam ſententiam tulit, ad plenariam reſtitutionem faciendam tenetur læſo, 11. q. 3. *Quatuor*, & 2. q. 1. *In primis* —. Hactenus S. Bernardinus. Ex quod legitur in poſtremo capite, quod S. Gregorii eſt, a S. Bernardino ſemel & iterum memorato — *Glorioſus autem Comitiolus, quicquid prædictus Epiſcopus per violentiam atque inſecutionem ipſius expendiſſe, vel damnum pertuliſſe dato juramento firmaverit, eidem Epiſcopo reſtituere compellatur* —. Ibi §. 2. — *Glorioſus vero Comitiolus, ſi ſupraſcriptus Epiſcopus ~~innocens eſſe claruerit~~, quicquid de rebus ejus, vel Eccleſiæ ipſius tulit, ei ſine aliqua reſtituat dilatione. Sed & quæcumque ſe in perſecutionem, ac violentiam ejus expendiſſe, vel damnum idem Epiſcopus pertuliſſe juraverit, idem memoratus Glorioſus Comitiolus reddat, ac ſatisfaciat* —. Ibi §. 5.

OCTAVUM DUBIUM. Utrum Judex, vel aſſeſſor, qui male judicavit ex ignorantia ſua, teneatur?

Reſpondeo, quod, ſi per imprudentiam, vel negligentiam ſuam, puta quia noluit evolvere libros, ſententiam dedit injuſtam, tenetur ff. *de variis & extraordinariis cognitionibus* L. final. & Inſtitut. *de obligationibus quæ quaſi ex delicto naſcuntur* in principio. Similiter tenetur Judex, quando ſic judicavit ex ignorantia Aſſeſſoris, ſi ſcienter elegit ignorantem. Secus, ſi ab omnibus, vel ſaltem a majori parte reputabatur peritus, & bonus, & ſic ipſe credebat, & ſic confidens dedit ſententiam injuſtam, quam ex igno-

ignorantia putabat eſſe juſtam: quia tunc non tenetur ipſe, ſed ſolum Aſſeſſor ff. *Quod quiſquis juris* L. 1. Concordant Hoſtienſis, & Petrus Caſuel tit. *Reſtitutio*. Si tamen dat injuſtam ſententiam propter neceſſitatem probationum, tunc non tenetur, 2. q. 1. cap. *Deus omnipotens*. Similiter ſecundum aliquos dans ſententiam injuſtam, & contra jus in ſententia exprimens injuſtitiam non tenetur ad reſtitutionem.

(144) *Si Judex litem ſuam fecerit, non proprie ex maleficio obligatus videtur: ſed quia neque ex contractu obligatus eſt, & utique peccaſſe aliquid intelligitur, licet per imprudentiam: ideo videtur quaſi ex maleficio teneri in factum actione, & in quantum de ea re æquum religioni judicantis viſum fuerit, pœnam ſuſtinebit* — ff. *de extraordinariis cognitionibus* L. ultima. Hic titulus olim inſcribebatur *de variis & extraordinariis cognitionibus*, & ſic ab omnibus veteribus allegatur. Eadem pene ſervato ipſo literarum cortice leguntur Inſtitut. *de obligationibus quæ quaſi ex delicto naſcuntur* in principio. Litem ſuam Judex facere dicitur, quando judicat contra æquitatem. Ita Gloſſa ſuper lege recitata. Rem hanc, ſicuti & proxime præcedentem egregie more ſuo declarat S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 19. §. 4. Eundem igitur audiamus — Notandum autem, quod in judiciis concurrunt quinque genera perſonarum, ſcilicet Judex ad ſententiandum, Actor ad accuſandum, Reus ad reſpondendum, Teſtis ad probandum, & Advocatus ſeu Procurator ad defendendum: & quemlibet horum ex avaritia contingit perpetrare peccatum, quod communi nomine injuſtitia nuncupatur. Unde de ſingulis horum videndum eſt. Et primo Judex committit injuſtitiam, cum profert injuſtam ſententiam: & hoc poteſt eſſe per certam ſcientiam, aut per ignorantiam, aut per negligentiam. Et cum hoc facit primo modo, ſcilicet advertenter, peccat mortaliter, & multum graviter: quia agit contra Deum, cujus officio fungitur. Dicitur enim Dei eſt judicium. Et contra bonum commune, quod conſervatur & promovetur per juſtitiæ executionem. Et contra charitatem & juſtitiam erga illum, contra quem profert ſententiam. Et gravius eſt rapina; unde tenetur ei de omni intereſſe in caſu, quod ille, pro quo dedit ſententiam iniquam, non vellet, vel non poſſet ſatisfacere. Ratio eſt, quia occaſionem, ſeu cauſam efficacem dedit damno illius: & qui occaſionem damni dat, damnum quoque dediſſe videtur, Extra *de injuriis & damno dato, ſi culpa*. Unde Gloſſa ſuper cap. *Hoc etiam placuit* 2. q. 6. dicit, quod ſi Judex per dolum, vel gratiam, vel odium, vel pro pecunia male judicavit, punitur in veram litis æſtimationem, & infamis efficitur, G. *de pœna Judicis qui male judicavit* L. 2. Et ultra reſtitutionem ſecundum leges multas alias pœnas

ſuſtinere debet. Et quamvis in foro judiciali non cogatur ad reſtitutionem, vel alias pœnas niſi convictus, vel Confeſſus: tamen in foro pœnitentiali, ſeu conſcientiæ abſque convictione tenetur ad reſtitutionem omnis damni læſo, ut dictum eſt, ſecundum Raymundum, & Hoſtienſem, & Uldericum. Et debet ei imponi pœnitentia tamquam pro graviſſimo crimine, 11. q. 3. cap. *Quicumque*. Si autem eſſet talis Judex Eccleſiaſticus, incurreret etiam pœnam ſuſpenſionis ab executione officii per annum. De qua vide infra in 3. part. tit. 9. —. Hactenus ille reſpiciens caſum proxime præcedentem. Præſentem quod ſpectat ita proſequitur S. Archiepiſcopus — Si vero per ignorantiam injuſte judicat, tunc aut ex ſe judicat ſine aſſeſſore, aut de conſilio aſſeſſoris. Et ſi primo modo, ſcilicet ex ſe, & ignorantia illa eſt craſſa, & ſupina, quia nec per ſe ſciebat quod communiter debebat ſcire, nec ab aliis curavit inveſtigare: tunc ſecundum Raymundum & Uldericum & Gloſſam, immo ſecundum leges tenetur læſo in quantum bonum, & æquum videbitur religioni judicantis ff. *de variis & extraordinariis cognitionibus* L. finali. In judicio autem animæ credo, inquit Raymundus, quod teneatur ad reſtitutionem, ut in primo caſu. Ratio hujus eſt: quia in culpa fuit, cum ſcivit, vel ſcire debuit ſe inſufficientem, & tamen judicare præſumpſerit, Extra *de injuriis & damno dato*, *ſi culpa*. Si autem fuiſſet ignorantia probabilis in eo: ut quia facta debita diligentia ad inveſtigandum a peritis, de conſilio eorum tulit injuſtam ſententiam pro juſta, ſive ſcientibus male & injuſte conſulentibus, ſive quia erat materia variarum opinionum, & illi ſecundum ſuam opinionem, quam rectam putabant, conſuluerunt: excuſatus eſt Judex præcipue delegatus ſecundum Uldericum, & etiam, ut videtur, ordinarius, nil omittendo de contingentibus ad inveſtigandam veritatem rei. Si vero Judex hoc fecerit de conſilio Aſſeſſoris, qui aſſerebat talem ſententiam juſtam, excuſatur: quia in eo eſt ignorantia probabilis, quæ excuſat. Arg. diſt. 37. cap. finali (in quo ſcriptum eſt: *Non omnis ignorans immunis eſt a pœna. Ille enim ignorans poteſt excuſari a pœna, qui a quo diſceret non invenit*). Dantur enim aſſeſſores judicibus propter ſcientiam eorum, & ut conſulant ignorantibus jura. Quamvis enim non poſſit eſſe Judex Eccleſiaſticus, niſi habeat mediocrem ſaltem ſcientiam, ut Extra *de electione*, *Cum nobis*, & diſt. 21. cap. 1. in Gloſſa: tamen in ſæculari judicio, ſi habet conſuetudinem cauſarum, ſive peritiam judicandi, poteſt committi cauſa jura ignoranti, & poteſt eſſe ordinarius C. *de judiciis* L. *Certi juris*, ubi dicitur quod milites poſſunt eſſe judices. De Judice etiam delegato dicit Uldericus, quod ſæpe eſt ignarus juris, quod etiam novit delegans; ſed ratione bonitatis delegat ſibi cauſam: & talis ſi tulit injuſtam ſententiam bona fide, & conſilio peritorum, non tenetur ad ſatisfactionem. Et idem videtur dicendum de arbitris quoad ſententias injuſtas. Si vero tulit Judex iniquam ſententiam, ſive ordinarius, ſive delegatus, ſive arbiter: quia ſcili-

ſcilicet, etſi erat ſciens, tamen neglexit revolvere libros, & ſtudere materiam: vel ſi neſciebat per ſe, neglexit quærere conſilia peritorum, etiamſi eſſet delegatus, non excuſaretur ab obligatione reſtitutionis parti læſæ per ſuam iniquam ſententiam, etiamſi credebat juſtam fore ſecundum Raymundum, & Uldericum. Item ſi fuit negligens Judex ad aſſumendum idoneum aſſeſſorem: quia elegit ignorantem, aut hominem malæ conſcientiæ, ſecundum communem opinionem, ſive hoc fecerit ex avaritia, ut minus expenderet in ſalario dando, ſive ex amicitia, ut ſerviret amico pro illo roganti, ſive ex incuria, vel alia cauſa, non excuſaretur a reſtitutione: quia in culpa fuit, Extra *de injuriis & damno dato, ſi culpa*. Si autem aſſumpſit qui communiter tenebatur bonus, & ſufficiens, vel datur ſibi a Superiore, ita quod de ejus conſilio habet judicare: tunc excuſatur Judex a peccato, & reſtitutione, ferendo iniquam ſententiam, quam credebat juſtam, ex conſilio aſſeſſoris ipſius. Sed ipſe aſſeſſor tenetur in ſolidum parti læſæ, conſulendo, ſeu oſtendendo ſententiam fore injuſtam, ſi hoc facit mala fide, & contra conſcientiam: vel etiam bona fide, ſed ex craſſa ignorantia, aut negligentia, ff. *Quod quiſque juris* L.2., & hoc ſecundum Raymundum, & Hoſtienſem, & Uldericum --. Hactenus S. Antoninus. Accipe L. a S. Archipræſule hic poſtremo citatam -- *Hoc edicto dolus debet jus dicentis puniri: nam ſi adſeſſoris imprudentia jus aliter dictum ſit, quam oportuit, non debet hoc Magiſtratui officere, ſed ipſi Adſeſſori*.

Subdit Author, ad nil teneri Judicem, ſi ex neceſſitate probationum ſententiam proferat injuſtam. Author, ut puto, hic loquitur de cauſis civilibus, in quibus ſolum agitur de pœnis pecuniariis: quoniam in hiſce cauſis communior, & magis recepta ſententia eſt, Judicem illæſa conſcientia judicare poſſe ſecundum allegata & probata, tametſi non recte judicet, ut ipſemet privata notitia probe cognoſcit. Ratio potiſſima ea eſt, quam poſt veteres tradit Gabr. Antoine de obligationibus cap.5. q.2. reſp.2. ſcribens -- Quia Reſpublica habet dominium altum bonorum privatorum, vi cujus poteſt de illis diſponere, quando bonum publicum id requirit, ut in hoc caſu: ne cum populi ſcandalo forma, ſeu ordo judiciorum publicorum evertatur, ac impediatur; cujus quidem obſervatio neceſſaria eſt ad pacem, & quietem Reipublicæ. Nam iniqui Judices poſſent impune contra allegata, & probata, prætextu ſcientiæ privatæ jus vendere iis, quibus vellent. Deinde nemo civium merito poteſt ægre ferre, aut queri injuriam eſſe factam a Judice per talem ſententiam: cum videat ſe ab illo juvari non poſſe, neque par eſſe, ut Judex potius officium deſerat, quam ſententiam ferat. Denique innocens poteſt hæc bona poſtea recuperare. Tenetur tamen Judex in hoc caſu prius omni induſtria curare, ut falſitas detegatur, vel ut proceſſus impediatur; immo remittere cauſam ad Superiorem, ſi fieri poſſit ſine detrimento boni communis --. Hæc Antoine.

Dixi

Dixi de cauſis civilibus : quoniam ſi de criminalibus ſermo ſit, certum quidem eſt, pene communi Doctorum calculo comprobatum, Judicem illæſa conſcientia poſſe abſolvere reum, qui per allegata & probata probatur innocens, tametſi propriis oculis ipſe eum viderit delinquentem. Rationem affert Colletus in ſuis Inſtitut. de præcipuorum ſtatuum obligationibus cap. 3. art. 2. in quæſito poſt concluſ. 2. inquiens -- Primo, quia generaliter conſtitutum eſt, ut actore non probante, abſolvatur reus. Secundo, quia e duobus malis, quæ ſimul vitari non poſſunt, illud amplectendum eſt, quod minus fuerit. Minus porro eſt, ut abſolvatur reus, quam ut judiciarius ordo negligatur. Tertio, quia Judex ſaltem ordinarius, cum unus ſit teſtis, ac proinde nullus, gratis & irrito ad minus conatu reum, de quo nunc, morti addicere tentaret --. Hæc ille. Non ita tamen certum eſt, ſi de reo agatur condemnando, quem Judex privata ſcientia cognoſcit eſſe innocentem, tametſi ſecundum allegata & probata reus convincatur. Et præſertim ſi ad pœnam capitis condemnari debeat. Dubio procul S. Thomas ſtetit pro ſententia affirmativa. Nam 2. 2. q. 67. art. 2. in corpore id expreſſe probavit ſcribens -- *Dicendum, quod, ſicut dictum eſt art. 1. judicare pertinet ad Judicem ſecundum quod fungitur publica poteſtate. Et ideo informari debet in judicando non ſecundum id, quod ipſe novit tamquam privata perſona, ſed ſecundum id, quod ſibi innoteſcit tamquam perſonæ publicæ. Hoc autem innoteſcit ſibi & in communi, & in particulari. In communi quidem per leges publicas, vel divinas, vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet. In particulari autem negotio aliquo per inſtrumenta, & teſtes, & alia hujuſmodi legitima documenta, quæ debet ſequi in judicando magis, quam id quod ipſe novit tamquam privata perſona. Ex quo tamen ad hoc adjuvari poteſt, ut diſtrictius diſcutiat probationes inductas, ut poſſit earum defectum inveſtigare. Quod ſi eas non poſſit de jure repellere, debet, ſicut dictum eſt, eas in judicando ſequi* --. Et clarius ibidem q. 64. art. 6. ad 3. -- *Dicendum, quod Judex, ſi ſcit aliquem innocentem eſſe, qui falſis teſtibus convincitur, debet diligentius examinare teſtes, ut inveniat occaſionem liberandi innoxium, ſicut Daniel fecit. Si autem hoc non poteſt, debet eum Superiori relinquere judicandum. Si autem nec hoc poteſt, non peccat ſecundum allegata ſententiam ferens: quia ipſe non occidit innocentem, ſed illi, qui eum aſſerunt nocentem* --. Propter hanc tam perſpicuam S. Thomæ doctrinam, quam ſequuntur S. Antoninus part. 3. tit. 9. cap. 2. §. 6., & communiter omnes Thomiſtæ (excipe Concinam lib. 7. in Decal. Diſſert. Unica cap. 4. q. 2.), quam ex noſtris etiam tuetur Aſteſanus lib. 1. tit. 18. art. 10. graviſſima exurrexit controverſia, quæ fortaſſis nullo unquam tempore dirimetur. Quoniam ex adverſo ſtant nedum ex veteribus Nicolaus de Lyra in cap. 23. Exodi, Author ipſe in Angelica ver. *Judicare* num. 7. ſed etiam major pars recentiorum, puta Henricus a S. Ignatio To. 2. part. 5. cap. 17., Ferraris ver. *Judex* num. 60. & ſeq., Joannes Pontaſius ver. *Judex* caſu 3.,

Col-

Digitized by Google

Colletus in ſuis Inſtitut. loco proxime citato concluſ. 3. Antoine de obligationibus cap. 5. §. 1. q. 2., aliique. Eorum ratio præcipua hæc eſt — Lex naturalis vetat occiſionem innocentis. (loquor cum Pontaſio). Hæc propoſitio non indiget probatione. Sed omnes humanæ leges non poſſunt diſpenſare ab obligatione per legem naturalem impoſita: quia, ut loquitur D. Thomas 2. 2. q. 60. art. 5. ad 1., *nec voluntas hominis poteſt immutare naturam*. Ergo concludendum juxta principia ejuſdem Doctoris omnes leges continentes aliquid contrarium legi naturali eſſe injuſtas, nec eſſe veras leges, & conſequenter carere vi obligandi ad earum obſervationem. Et ideo nec tales Scripturæ dicuntur leges, ſed potius corruptelæ. Et ideo ſecundum eas non eſſe judicandum. Deus ipſe fieri voluit Judicum præceptor, docendo quomodo gerere ſe debeant in judiciis ferendis, Exodi 23. v. 1. 2. & 7. — *Non ſuſcipies vocem mendacii ..... nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies .... inſontem, & juſtum non occides: quia averſor impium* —. Verba iſta perſpicue declarant Judicem non poſſe abſque gravi crimine innocentem morte damnare, vel aliis pœnis afflictivis, non obſtantibus quibuslibet probationibus contra accuſatum, quando clare cognoſcit eſſe innocentem criminis imputati. Hoc enim eſſet recipere vocem mendacii contra hominem juſtum, & veritatem deſerere optime perſpectam, aſſentiendi gratia plurimorum opinioni, contra expreſſam prohibitionem indictam a lege divina, quam bonæ conſcientiæ Judex ſemper ante oculos ferre debet, & executioni mandare, ut inquit Inno. IV. dum intereſſet Generali Concilio Lugduni habito 1245. (cap. *Cum æterni* in Sexto *de ſententia, & re judicata*). Quando igitur Judex perſpicit non poſſe collidere mendaces teſtes deponentes contra accuſatum, quem ſibi conſtat eſſe innocentem, non poteſt ad ſententiam condemnationis deſcendere. Et hujus ratio eſt, quia tenetur omnia media poſſibilia adhibere ad evitandam ſententiæ prolationem: quod exequi poteſt, ſuſpenſam relinquendo, ne injuſtam, & contra propriæ conſcientiæ dictamen dicere cogatur: nam innocentem damnare, vel ejus morti cooperari eſt actio intrinſece mala, quæ nunquam cohoneſtari poteſt in quocumque caſu, cum pœna capitis infligi nequeat juſte, niſi in eum, qui reus eſt — *Omnis autem pœna*, docet Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio n. 51. *ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur* —. Hactenus Pontaſius. Jure iccirco ſcripſit Colletus loco proxime laudato — Judici potius moriendum eſt, quam id faciendum, cujus faciendi nullam vel a Republica, vel ab ipſo Deo poteſtatem recepit. Atqui Judex nec a Republica, nec a Deo recepit poteſtatem interimendi virum certo innocentem. Non a Republica, tum quia nec hæc inſontem morti addicere poteſt, etiamſi de vitando urbis incendio agatur, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 108. art. 4. ad ſecundum: tum quia tota Reipublicæ poteſtas oritur a Deo. Atqui Deus nullibi vel Reipublicæ, vel alii cuilibet conceſſit poteſtatem interficiendi inno-

innocentis. Poteſtas enim tanti momenti exprimi deberet aliquo verbi divini textu tam evidenti, tam cogente, ut ille vix ullo effugio declinari poſſet. Atqui nullus in præſenti negotio profertur textus, qui ſit omni exceptione major, immo nullus, qui congrue elidi non poſſit —. Hæc ille.

Quid interim aget Judex in hiſce anguſtiis conſtitutus? Primum ſollicitus debet eſſe (ſcribit Concina loco proxime citato num. 21.), ut avertat ab accuſatione actorem. Si hoc non aſſequatur, curet, ut actor ab intentata cauſa deſiſtat. Poſt, judicium protrahat. Teſtes pluries examinet per plura intervalla: iiſdemque opponat circumſtantias temporis, loci, facti. Fieri enim vix poteſt, ut Judex, ſi evidenter ſciat accuſatum de delicto capitali eſſe innocentem, non habeat unde in ſermone capere teſtes, & accuſatores poſſit, ſaltem in aliqua circumſtantia, quæ ſola ſatis ſit ad differendum judicium. Daniel ſolertiſſimus Propheta in ſermone cepit teſtes adverſus Suſannam, eo quod unus illorum depoſuerit crimen factum fuiſſe ſub pruno, alter ſub ſchino. Admiſſa vero per quam difficili ſuppoſitione, quod nihil hiſce modis obtineri poſſit, ſi abſque ſcandalo fieri valeat, carcerem aperiri jubeat, ut accuſatus fugiat. Ultimo tandem his omnibus fruſtra tentatis, cauſam ad Supremum Judicem remittat, dicens ſe difficultatem in hac cauſa experiri, ob quam ſententiam ferre nequeat. Supremus vero Judex ab interiori informatus ſuprema ſua auctoritate utatur. Ferventes preces Deo fundantur. Actor & teſtes a viris prudentibus, piis, & ſagacibus in ſermonem ſæpius inducantur, ut ad meliorem frugem illorum ſuaſionibus, & monitis revocentur —. Hactenus ille. Brevibus Author in Angelica loco proxime laudato — *Sicut ſæpe, quando volunt* (Judices) *ſciunt invenire colores pro juſtitia defenſanda, ita in iſto caſu tenentur, ut contra veritatem non judicent, diligentiſſime facere, quod falſitas detegatur, ut 2. q. 1. DEUS OMNIPOTENS. Et ſi nullo modo detegere poſſunt, tunc potius debent officium reſignare, quam contra juſtitiam ſententiare.*

Quid aget miniſter, cui executio ſententiæ demandatur, ſi Judex innocentem condemnet? Reſpondet S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 6. ad 3. — *Miniſter autem Judicis condemnantis innocentem, ſi ſententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire: alias excuſarentur carnifices, qui martyres occiderunt. Si vero non contineat manifeſtam injuſtitiam, non peccat præceptum exequendo: quia ipſe non habet diſcutere Superioris ſententiam, nec ipſe occidit innocentem., ſed Judex, cui miniſterium exhibet* —. Clarius Roſella ver. *Judex primo* num. 11. — Si ipſe miniſter ſciat, quod condemnatus innocens eſt, non debet exequi mandatum Judicis. Secus ſi dubitet; tunc enim excuſatur obediendo, 23. q. 1. *Quid culpatur* —. Hæc ille.

Nonum Dubium. Utrum Judices, qui deputantur a popu-

populis ad judicandum in aliquibus cauſis, quia creduntur boni viri, licet ſint ignari juris, teneantur, ſi ex ignorantia dent ſententiam injuſtam?

Reſpondeo, quod ſic, ſi culpabiliter non quæſiere peritos. Si vero ſententiam dederunt de conſilio peritorum, & bona fide, tunc non tenentur: quia tales non profitentur ſe peritos, nec locant ſe pro Judicibus, ut dixi Dubio 9. tit. 12.

(245) Dum hi peritos audiunt, & horum judicio ſe conformant, ex illis ſunt, de quibus Gregorius IX. Extra *de injuriis & damno dato* cap. ult. — *Secus eſt tamen in illo dicendum, qui, ut non accideret, de contingentibus nil omiſit* —. Jure igitur docet Author eo in caſu ad nil teneri, ſi judicium ipſorum ſummæ non eſt æquitati conſonum. Culpa enim in hoc caſu tota eſt populorum, qui eos voluere Judices. Si poſtmodum qui electi fuere Judices non conſulere peritos, & hac de cauſa juſtum non protulere judicium, ex illis fiunt, de quibus idem Greg. ibidem — *Si culpa tua datum eſt damnum .... jure ſuper his ſatisfacere te oportet: nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam*. Merito igitur in hoc alio caſu Author eos dicit eſſe reſtitutioni obnoxios; conſcii enim propriæ ignorantiæ non debebant ſibi ipſis fidere, ſed peritiores conſulere tenebantur, aut ſaltem rejicere Provinciam, quæ vires ipſorum ſuperabat, ipſorum excedebat ingenium. Concinit Aſteſanus lib. 1. tit. 38. art. 2. in fine — *Delegatus autem ſæpe ex certa ſcientia delegantis eſt ignarus juris, dummodo ſit bonus homo. Et quod talis ad reſtitutionem teneretur, ſi neceſſitate obedientiæ judicaret, & bona fide de conſilio peritorum iniquam ſententiam ferret, irrationabile eſſet, niſi in inquirendo conſilium culpabilis, aut negligens foret; tunc enim ad reſtitutionem teneretur*.

Decimum Dubium. Utrum Judex, qui per metum injuſte judicavit, teneatur?

Reſpondeo, quod, ſi fuit metus, qui potuit cadere in conſtantem virum, nec credebat id ſibi eventurum, cum accepit officium Judicis, licet peccet mortaliter, tamen non tenetur ad reſtitutionem. Si vero non eſt metus, qui poſſit cadere in conſtantem virum, vel de hoc dubitabat, cum accepit officium, vel id poterat veriſimiliter credere: tunc

ſecundum Baldum in L. final. C. *de pœna Judicis, qui male judicavit*, tenetur de omni damno, 2. q. 1. cap. *In primis*. Similiter, & multo magis, ſi odio, vel amore, pretio, & hujuſmodi, injuſtam dedit ſententiam, dicta L. finali. Concordat Petrus ubi ſupra.

(246) Hoc idem jam accepimus a S. Bernardino, quem protuli Annotatione 243. De Judice, qui odio, amore, vel prætio ſententiam profert injuſtam, nullum eſt dubium, ut ead. Annotatione oſtendi, & ſancitum expreſſe fuit Authent. *Ut litigantes jurent in exordio litis* cap. 2. — *Si quis autem ex litigatoribus dixerit, ſe dediſſe alicui, aut promiſiſſe, & perſonam declaraverit, & hoc probaverit: ipſe quidem in eventu litis veniam mereatur: qui vero accepit, aut promiſſionem ſuſcepit, aut ei probetur, ſiquidem pecuniaria ſit cauſa, quicquid datur, triplum, quod vero promittitur, duplum a Comite rerum privatarum exigatur, & dignitatem, ſeu cingulum, quod habet, in utroque caſu amittat. Si autem criminalis ſit accuſatio, confiſcationem propriæ ſubſtantiæ patiatur, & mittatur in exilium, qui propter acceptionem alienum crimen in ſe tranſponi feſtinavit* —: & clarius cap. 4. — *Si quid autem præſenti legi contrarium aliquis eorum præſumpſerit agere, is quidem, qui damnum aliquod aut circumventionem in ſuis rebus pertulerit, nullum præjudicium penitus circa jus proprium ſuſtinebit. Qui vero tale aliquid egerit, ex ſua ſubſtantia damnum læſæ perſonæ delatum per competentem Judicem reſtituere compellatur: & ſuper hoc cinguli, & dignitatis ſuſtinebit amiſſionem* —. Dubitari igitur unice poteſt de eo, qui per metum ab altero ſibi incuſſum ita operatus eſt. Hunc graviter peccare, quin excuſetur a metu, quicumque iſte fuerit, definitum habemus in Canone 11. q. 3. cap. 80. — *Quiſquis metu cujuslibet poteſtatis veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe provocat: quia magis timet hominem, quam Deum* —; in hiſce enim caſibus debet quis potius mori, quam fœdari, ut fert commune proloquium. Nullus metus etiam mortis excuſat ab obſervantia divini præcepti, cujus tranſgreſſio eſt intrinſece mala; unde neque ob metum mortis licet fornicari, adulterare, mentiri, & hujuſmodi. Neque ullus metus etiam mortis excuſat ab obſervantia divini præcepti, ſeu legis, cujus tranſgreſſio eſt contra bonum commune: quia bonum commune prævalet particulari. Ita cum communi Ferraris ver. *Metus* num. 28. 29. Reſtitutionem autem quod reſpicit, ſi metus levis unice ſit, non liberat Judicem ab onere reſtitutionis: quia poteſt, & debet ipſum contemnere. Non item eum liberat metus gravis cadens in conſtantem virum, ſi ipſum prævidere potuit, vel debuit: quia ſciens & volens ſe huic periculo ſubjecit. Liberat tamen eum metus gravis, quem prævidere nec potuit, nec debuit: quia tunc omnino ſponte non conſentit in

dam-

damnum alterius, ſed quaſi coacte; nec præſumitur, quod damnum patiens velit, ut cum periculo vitæ propriæ, verberum, carceris, & hujuſmodi Judex ipſum ſervet indemnem, quando etiam lata ſententia mille modis poteſt oſtendere ejuſdem injuſtitiam, & recuperare ſuum. Si quis tamen ſecus ſentiret, non abnuerem cum eodem jungere dexteram.

UNDECIMUM DUBIUM. Utrum ille, pro quo ſententia injuſta data eſt, teneatur?

Reſpondeo, quod, ſi mala fide eam obtinuit, vel per falſos teſtes, & hujuſmodi, tenetur læſo de omni damno, & de expenſis L. 1. C. *Si ex falſis allegationibus*. Si autem litigando bonam fidem ſemper habuit, non tenetur de damno, & expenſis, ſed ſolum pacifice reſtituere, quando cognoſcit ſententiam fuiſſe injuſtam. Nec eum juvat præſcriptio, ut dixi Dubio 1. tit. 27.

(247) Titulus Codicis, qui olim inſcribebatur — *Si ex falſis allegationibus excuſatus ſit* —, nunc inſcribitur — *Si tutor, vel curator falſis allegationibus excuſatus ſit*. In lege hujus tituli prima ſcriptum eſt — *Si abſentibus neceſſariis perſonis, vel his, qui ſua ſponte vos defendere volebant, non competentibus allegationibus, qui vobis tutores, aut curatores dati erant, liberati eſſe a munere juſſi ſunt: ne eis circumveniſſe Judicis religionem proſit, Præſes Provinciæ audiet vos, & ſi injuſtum decretum extorſiſſe eos apparuerit, exinde ad eos periculum adminiſtrationis pertinere pronunciabit, ex quo dati ſunt* —. Utroque interim pollice obſigno judicium, quod ſuper hoc caſu protulit Author, ſi demas id, quod de præſcriptione dixit. Et hoc nedum propter ea, quæ annotavi ſuper Dubio 1. tit. proxime præced., ſed etiam quia Author ipſe in Angelica ſecus opinatus eſt. *Verbo enim ſententia* num. 8. hunc eundem caſum proponens, ad reſtitutionem teneri conſtituit, ſicuti hic docet — *Niſi poſt ſententiam tempore debito bona fide præſcripſiſſet* —. Si hac de re fuſius judicium poſtulas, ipſum accipe a S. Bernardino To. 1. ſerm. 34. cap. 3. — Sed quid de illo, pro quo injuſte ſententia lata eſt; numquid reſtituere obligatur? Dicendum ſecundum omnes Doctores, quod, ſi habuit malam conſcientiam dum pendebat litigium, reſtituere obligatur: neque ſententia eum defendit, ſicut dicitur de præſcriptione Extra *de præſcriptionibus* cap. final. Si per falſos teſtes, vel falſa inſtrumenta, vel falſas allegationes ſcienter obtinuit, tenebitur in perpetuum, ut habetur in L. 1. C. *Si ex falſis allegationibus*. Sed ſi ante ſententiam non habuit conſcientiam malam, ſed poſtea, & non appellavit

 (ſup-

(ſupple pars adverſa), ſententia ipſum defendit, ut notat Hoſtienſis in Summa *de ſententia excommunicationis*. Et idem de præſcriptione completa dicunt Bernardus, & Hoſtienſis Extra *de præſcriptionibus*, *Vigilanti*, niſi haberet conſcientiam remordentem, quam removere non poſſet: quia tunc reſtituere obligatur Extra *de Simonia*, *Per tuas literas* 2. Theologi vero dicunt, & bene, quod etiam poſt præſcriptionem, vel ſententiam, ſi habet, vel incipit habere conſcientiam, quod res fuerit aliena, reſtituere obligatur, per Bernardum in Extravag. *Ad reprimendum* in ver. *per denunciationem*, & per Baldum in Authent. *Ad hæc* C. *de uſuris*. Et hoc expreſſe probatur Inſtitut. *de exceptionibus* §. *Item ſi in judicio*; & hoc tenet Innocentius Extra *de immunitate Eccleſiarum*, *Quia plerique*. Sed ibi diſtinguit de præſcriptionibus, an ſit exceptio odioſa, ut in Macedoniano ff. *ad Macedonianum* L. 1., & tunc tenetur reſtituere: aut favorabilis, & tunc non tenetur –. Hactenus S. Bernardinus. Memento ſemper eorum, quæ ſuper præſcriptione annotavi loco proxime indicato.

Clarius, meo ſaltem judicio, Author in Angelica ver. *Sententia* num. 8., ut dixi, inquirens – Utrum ille, pro quo data eſt injuſta ſententia, poſt cognitam injuſtitiam teneatur reſtituere quicquid habuit? En egregium reſponſum, reſponſum fortaſſis numeris omnibus abſolutum –. Reſpondet Panormitanus in cap. 1. *de conceſſione Præbendæ*, quod, ſi eſt declarativa, ſic tenetur; aliter non: quia talis ſententia non aufert directum Dominium, ut notatur in L. *Julianus* ff. *de condictione indebiti*: nec alteri accreſcit jus, ut notat Innocentius in cap. *Quia plerique*, *de immunitate Eccleſiarum*: Tantum enim declaravit ad eum pertinere L. *Sicut* §. *Sed ſi quæritur* ff. *Si ſervitus vindicetur*, & cap. *Forus*, *de verborum ſignificatione*. Et dicitur declaritiva ſemper, quando Judex inter litigantes ſententiat ad iſtum, vel ad illum pertinere, ſive dari debere. Si autem ſententia eſt privativa, puta cum aliquis privatur Beneficio Eccleſiaſtico, & conceditur alteri: talis, cui conceſſum fuit, non tenetur reſtituere, licet cognoſcat poſtea injuſtam ſententiam fuiſſe: quia ex quo non appellavit, videtur renunciaſſe; & ideo, cum vacaret, potuit iſti concedi. Vide pro hoc bonam Gloſſam Inſtitut. *de officio Judicis* in fine, & per Cynum in L. 1. C. *Communia utriuſque judicii*, & per Bartolum in L. *Pompejus* ff. *de adquirenda hæreditate*, & per Joannem Calderinum in cap. *Propoſuit*, *de conceſſione Præbendæ*. Quod quidem limito, niſi talis fuerit cauſa injuſtitiæ. Item ſecundo, niſi ſint alia a Beneficiis Eccleſiaſticis, ut puta res temporales alterius: quia ſic in foro animæ teneretur, ut notat Innocentius in dict. cap. *Plerique*, niſi poſt ſententiam tempore debito bona fide præſcripſiſſet –. Hactenus Author.

Duodecimum Dubium. Utrum Judex, vel Aſſeſſor, & hujuſ-

hujuſmodi, qui habent ſalarium, teneantur reſtituere quidquid extorquent?

Reſpondeo, quod ſic. Arguitur Extra *de vita & honeſtate Clericorum* cap. *Cum ab omni*, & L. 1. C. *ad legem Juliam repetundarum*, & C. *de Adſeſſoribus* L. 3., & in Authent. Collat. 2. tit. 2. *Ut Judices ſine quoquo ſuffragio fiant* cap. *Eos autem* §. *Si quis*. Et intellige ſecundum Panormitanum in cap. *Etſi quæſtiones* Extra *de Simonia* etiam oblatum, & quantumcumque modicum: & hoc in adminiſtratore, Judice, Superiore &c. Similiter Judex delegatus, ſi accepit aliquod munus, niſi ſint eſculenta & poculenta, quæ paucis diebus poſſint conſumi. Et, ſi cum Aſſeſſore, vel Notariis convenit de lucro participando, tenetur ad reſtitutionem: nec ex remiſſione illius, qui dedit, liberatur, *de Reſcriptis* Libro ſexto cap. *Statutum* §. *Si quid*, & *de cenſibus* Libro item ſexto cap. *Exigit* in fine. Et hic eſt caſus ſpecialis, in quo non valet remiſſio. Et idem poteſt dici de Ordinario ſecundum Panormitanum ubi ſupra. Secus in Legato, & aliis Prælatis, quibus & alia dona poſſunt fieri, ſi nulla fraus interveniat. Arguitur dict. cap. *Etſi quæſtiones*. Similiter alii inferiores a Prælatis, puta Nuntii, & hujuſmodi, qui juxta morem patriæ aliqua extorquent, ſed parva, puta obulum, vel denarium, & hujuſmodi, niſi certum recipiant ſalarium, reſtituere non tenentur. Si autem habeant ſalarium certum, tenentur quod acceperunt dare pauperibus, 23. q. 1. cap. *Militare*, & 14. q. 5. cap. *Non ſane*, ſecundum Joannem, Archidiaconum, & Hoſtienſem. Concordat Petrus Caſuel tit. *Reſtitutio*.

(248) Primo dicit Author, quod Judices, quibus a Principe, vel a Communitate merces eſt conſtituta, non poſſunt aliquid accipere pro judicio ferendo, & reſtituere tenentur acceptum. Probatur id utroque jure, Canonico nempe, & Civili. Canonico quidem canone expreſſo Extra *de*

de vita & boneſtate Clericorum cap. 10., quod eſt Inno. III. *Cum ab omni ſpecie mali præcipiat Apeſtolus abſtinere .... Sane ad audientiam Apoſtolatus noſtri pervenit, quod cum ex delegatione noſtra cauſas ſuſcipitis pertractandas, more ſæcularium ſuper decima litis, vel parte alia, pro diverſarum terrarum conſuetudine præter expenſas victualium, cum litigantibus, receptis pignoribus, pro ſalario convenitis. Nos attendentes, quod ad hoc vobis, & aliis Clericis ſunt Eccleſiaſtici reditus deputati, ut ex ipſis boneſte vivere debeatis .... Ideoque mandamus, quatenus ab hujuſmodi exactionibus de cætero abſtinentes vigorem judiciarium gratis ſtudeatis litigantibus impertiri: non obſtante quod in fraudem a quibuſdam proponitur, quod id exigatur nomine aſſeſſorum: cum nec juſtum judicium judici vendere liceat, & venales ſententiæ ab ipſis etiam ſæcularibus legibus reprobentur* –. Civili item C. *ad legem Juliam repetundarum* L. 1. – *Ut unius pœna metus poſſit eſſe multorum, Ducem, qui male egit, ad Provinciam, quam nudaverit, cum cuſtodia competenti ire præcipimus: ut non ſolum, quod ejus non dicam domeſticus, ſed munipularius, & miniſter acceperit; verum etiam quod ipſe a Provincialibus noſtris rapuerit, aut ſuſtulerit, in quadruplum exſolvat invitus* –. Clarius Authent. ab Authore indicata – *Si quis autem præter hoc aliquid egerit, & donec in adminiſtratione eſt Judex, furti reus appareat, & probetur aut aurum dans, ut accipiat adminiſtrationem, aut accipiens ex adminiſtratione (utrumque enim ſimiliter noxium eſt) ſciat, quia & confiſcationem, & exilium ſuſtinebit, & in corpus verbera atque ſupplicium. Ipſum quoque, qui acceperit ab eo, ſicut prædiximus, malis ſubjiciemus maximis; puras enim exigimus eſſe Provincialibus Judicibus manus, ut collatores cuſtodiamus. Et iſtæ quidem tam ex legibus, quam ex adminiſtrationibus imminebunt pœnæ iis, qui in prædictis adminiſtrationibus ſunt, ſi tale aliquid egerint.*

Secundo dicit author, quod delegatus non poſſit aliquid accipere niſi forſan eſculentum, vel poculentum. Adde moderatas expenſas, ſi extra ſuum domicilium debeat proficiſci. Et hoc ſancitum aperte fuit a Bonifacio VIII. *De Reſcriptis* in Sexto cap. 11. §. 4. hiſce verbis – *Inſuper ut gratis, & cum omni puritate judicium coram ipſo procedat, nullum munus, vel quicquam aliud, niſi forſan eſculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis conſumi poſſit diebus, vel niſi cum ipſum propter cauſam ſibi commiſſam contigerit extra ſuum domicilium proficiſci, moderatas expenſas recipere ab eiſdem partibus qualitercumque præſumat. Proviſurus attente, quod in ipſis expenſis modum nequaquam excedat: nec plus ab una parte, quam ab alia exigat, cum commune gerat negotium utriuſque: quodque (ubi cauſæ ſibi commiſſæ utilitas vel neceſſitas non exegerit) occaſionem propter habendas expenſas proficiſcendi extra domicilium non aſſumat: ſed & ubi notabiliter fuerint pauperes litigantes, etiam pro expenſis nil prorſus exigat ab eiſdem.*

Ter-

Tertio dicit, quod non conveniat cum aſſeſſore, vel Notariis de lucro participando. Hi certe ſuam debent recipere mercedem; Sed hæc moderata ſit oportet, & de ea participare non debet Judex delegatus, ſicuti ſancivit idem Boniſacius VIII. ibid. §. 5. & ſeq. inquiens — *Aſſeſſorem autem, ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter, niſi eo indigeat, quod conſcientiæ relinquatur ejuſdem, ſibi nequaquam adjungat. Alioquin de ſuo proprio providere teneatur eidem. Si autem indigeat, ipſum neutri parti ſuſpectum aſſumens, et de competenti ſalario, provide moderando ab eo, faciat a partibus communiter provideri. Notarium vero, vel Notarios in cauſa ſibi commiſſa ſcribentes, qui ut plurimum in exigendo ſalario metas rationis excedunt, ut ad ipſius ſpectat officium, prudenter refrænet: nec cum ipſis, aut cum Aſſeſſore præfato lucrum participet ullo modo.*

Quarto Author dicit, quod, ſi Judex ſecus fecerit, teneatur ad reſtitutionem, a qua non cenſeatur liberatus, tametſi a ſolvente eidem fiat remiſſio. Et hoc præſtitutum fuit ab eodem Summo Pontifice ibid. §. 7. — *Si quid autem contra conſtitutionem præſentem receperit, ad ipſius reſtitutionem integram teneatur: nulla eorum, quibus reſtitutio facienda fuerit, remiſſione ullatenus profutura eidem.*

Quinto dicit hoc eſſe ſpeciale in præſenti caſu. Addi tamen poteſt caſus, de quo cap. *Exigit* in 6. *de cenſibus*, qui certe diverſus eſt a caſu, de quo in præſentia. In eo enim Greg. X. agit de Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Patriarchis, qui tempore viſitationis, aliquid ab Eccleſiis viſitandis recipiunt præter procurationem eiſdem ſummo jure debitam: conſtituitque etiam in hoc caſu non prodeſſe remiſſionem a ſolventibus factam — *Nulla eit in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratia valitura.*

Sexto Author dicit, quod legati, Prælati, Nuncii, aliique inferiores, quibus determinata merces adſignata non eſt, poſſunt aliquid recipere juxta morem patriæ; modicum tamen, & moderatum. Vere ſiquidem ſcripſit Alex. III. Extra *de Simonia* cap. 18. — *Quod autem ſcriptum eſt: Beatus, qui excutit manus ſuas ab omni munere; de illis donis dictum eſt, quæ accipientis animum allicere, vel pervertere ſolent: quoniam ſi ipſa etiam perſona electi offerat ordinatori, vel conſecratori ſuo electuarium, aut de vino, aut de aliis hujuſmodi, quæ modici pretii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel movere non debeant, non tamen Eccleſia Romana interpretari conſuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem.* — Vere item Auguſt. 14. q. 5. cap. *Non ſane* §. 2. — *Sunt aliæ perſonæ inferioris loci, quæ ab utraque parte non inſolenter accipiunt, ſicut Officialis, & qui amovetur, & cui admovetur officium. Ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti ſolent: data per tolerabilem conſuetudinem non ſolent: magiſque reprehendimus, qui talia inuſitate repetiverunt, quam qui ea de more ſumpſerunt: quoniam multæ neceſſariæ perſonæ rebus humanis vel invitantur hujuſmodi commodis, vel tenentur.*

Ulti-

Ultimo Author dicit, ſecus eſſe ſtatuendum, ſi hi ſalarium habent, congruumque ſtipendium. Et reipſa id præſtitutum legimus 23. q. 1. cap. 5. §. 2. — *Interrogaverunt Ioannem & milites dicentes: Quid faciemus & nos? Ait illis Joannes, neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, ſed contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Hinc jam cognoſcere ſe debet omnis homo qui militat. Non enim tantum de his militantibus ſcriptura loquitur, qui armata militia detinentur, ſed quiſquis militiæ ſuæ cingulo utitur, dignitatis ſuæ miles adſcribitur: atque ideo hæc ſententia poteſt dici v. g. militibus, protectoribus, cunctiſque rectoribus. Quicumque ſibi ſtipendia publice decreta conſequitur, ſi amplius quærit, tamquam calumniator, & concuſſor Joannis ſententia condemnatur* —.

Hæc pene omnia Author forte exſcripſit ex S. Bernardino To. 1. ſerm. 39. art. 2. cap. 3. in quo ita lego — *Primo autem acquiritur res cum utriuſque culpa, ſed ſine injuria aliena, & de hoc ſubdamus aliquos caſus. Primus caſus eſt, quum Iudex, ſeu Aſſeſſor habens certam mercedem vendit juſtum judicium, & teſtis verum teſtimonium, & ſic aliquid datur, quod non debet dari. Unde Auguſtinus 14. q. 5. cap. NON SANE ait. Non ideo debet Iudex vendere juſtum judicium, quia vendit Advocatus juſtum patrocinium, & Iuriſperitus verum conſilium: illi enim inter utramque partem ad examen exhibentur, iſti ex una parte conſiſtunt. Talis igitur Iudex, vel teſtis, ſeu Aſſeſſor quicquid inde accepit reſtituere obligatur: quia ratione ſui amiſit jus acquirendi dominium in tali dato, ſicut oſtendit Auguſtinus in prædicto cap. NON SANE. Arg. etiam de hoc Extra DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM. CUM AB OMNI. Sed alii inferiores Officiales, puta Nuntii, ſeu miſſi, & hujuſmodi, ſiquidem extorqueant juxta morem illius terræ, ut puta denarium, ſeu obulum, vel aliud certum quid per moderatam improbitatem, ad reſtitutionem non obligantur, niſi certam recipiant mercedem, 23. q. 1. MILITARE: quia tunc debent illa pauperibus erogare, ut in prædicto cap. NON SANE* —. Si plura cupis, lege S. Antoninum part. 3. tit. 9. cap. 2. §. 8. & 9. per totum. Egregia ſunt, quæ ſcripſit Aſteſanus lib. 1. tit. 38. art. 3. Ea igitur habeto — Numquid Judices poſſunt a partibus aliquid recipere? Reſpondeo: non licet Judici vendere *judicium* juſtum, quamvis Juriſperito liceat vendere juſtum conſilium, & Advocato juſtum patrocinium, 11. q. 3. *Non licet*, & 14. q. 5. *Non ſane*. Unde Judices ordinarii non debent aliquid petere, etiam expenſas, cum propter juſtitiam tenendam ſuas habeant dignitates, & reditus aſſignatos, diſt. 86. *Non ſatis*, & 23. q. 1. *Militare*. Judices vero Prælati, quibus Papa cauſas delegat, non videtur ſecundum Hoſtienſem, quod etiam expenſas petere poſſint, ſi tamen ſua ſtipendia ſufficiant ſibi: quia de his vivere debent, ut in cap. *Militare* præallegato. Niſi forte oporteat eos domum exire; quia tunc quatenus plus expendunt, quam expenderent domi, petere poſſent, 10. q. 3. *Cavendum eſt ſane*. Et ſic intellige quod

alii

Digitized by Google

alii dicunt, eos expenſas indiſtincte petere poſſe, & jura quæ pro ſe inducunt, ſcilicet quod nemo tenetur propriis ſtipendis militare 28. q. 1. *Jam nunc* in fine, & Extra *de præſcriptionibus*, *Cum ex officii*. Nam & ſi quis de mandato Principis ad aliam eat Provinciam, expendere debet ea, quæ domi expenderet, in Autheut. *de mandato Principum* §. *Illud* Collat 3. Sed ſi litigantes ſint pauperes, nihil habebit, ut dicitur ibid. §. *Sit quoque tibi*. Si etiam ordinarius dat delegatos, expenſas facere debet, Extra *de Officio Ordinarii*, *Inter cætera*. Habentes enim ſtipendia Eccleſiaſtica dicere non poſſunt, quod militent ſtipendiis propriis, Extra *de donationibus* cap. 2. Si tamen equos, vel aliquid aliud occaſione hujuſmodi cauſæ perderent, quod domi non amiſiſſent, credo quod petere poſſent. Arguitur ff. *de incendio*, *ruina*, *naufragio* L. 1. §. *Ex incendio*. Et ſi ultra hoc Judices petant, tamquam indebitum repeti poteſt. Arguitur Extra *de cenſibus*, *Procuratores*. Et ſententia lata occaſione iſta non tenet. Arguitur Extra *de exceſſibus Prælatorum*, *Cum ad quorundam*. Qua enim fronte poſſunt expenſas petere? Non ratione intereſſe: quia hoc domi expendiſſent. Nec ratione laboris, quia Papæ debent obedire. Nec ratione judicii: quia non debet eſſe venale — ~~Nec peti~~ debent expenſæ niſi occaſione negotii, de quo quæritur, factæ, Extra *de Procuratoribus*, *Cum pro cauſa*. Unde ſi plus expendant, quam domi expendiſſent; illud petant, ut dictum eſt, dum tamen expenſæ ſint moderatæ reſpectu perſonæ, Extra *de cenſibus*, *Procuratores*, & 11. q. 3. *Illud*. Hæc Hoſtienſis. Poſſunt tamen Judices exenia moderata, ſive modica ſponte oblata recipere, ut eſculentum, & poculentum, & hujuſmodi, quæ ſtatim conſumuntur, vel non extenduntur ad munerum quantitatem diſt. 18. *de eulogiis*. Non tamen credo, quod a litigatoribus debeant recipere etiam ſponte oblata propter ſuſpicionem vitandam, niſi conſideratis circumſtantiis poſitis intra *de Simonia*. Hæc Raymundus. Poteſt autem Judex aliqua petere ratione Aſſeſſorum, ſi petat bona fide, ut quia erat ei periculoſum judicare ſine conſilio, quia minus diſcretus erat. Arguitur diſt. 37. §. finali. Secus eſt, ſi erat ſufficienter ad hoc diſcretus, vel nihil Aſſeſſori dederit, vel nullum habuit, vel inde partem ſibi aliquam acceperit: quia tunc fraudulenter petit ſecundum Raymundum, & Hoſtienſem. Conſulit igitur Hoſtienſis, quod Judex Aſſeſſorem habeat de conſenſu partium, & cum eo conveniat; & ſi non conſentiant, ſed ejus opinioni ſtare volunt, imputent ſibi. Ipſi enim non eſt periculum, dummodo judicet ſecundum conſcientiam juris. Ergo Clerici nedum a malo, immo ab omni ſpecie mali debent abſtinere. Sic intellige Extra *de Officio Ordinarii*, *Inter cætera*, quicquid alii dicant. Verum eſt tamen, quod, quicquid ſit de jure, de facto obtinet, quod tam delegati, quam ordinarii, tam Prælati, quam privati, ex quo tamquam delegati cognoſcunt, expenſas omnes habere volunt ex ſua conſuetudine prava, vel potius corruptela —. Hactenus ille.

Super Judicibus duas habemus propoſitiones a Summis Pontificibus proſcriptas; hanc nempe ab Alex. VII. an. 1665. in ordine 26. — *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio* — : & iſtam ab Inno. XI. an. 1679. in ordine 2. — *Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*.

Vice-

Digitized by Google

VIceſimus nonus Titulus, qui eſt de acquirendo rerum dominio, continet quæſtiones undecim, ſeu undecim Dubia.

Primum Dubium. Utrum uſurpans dominium alicujus rei, teneatur eam reſtituere?

Reſpondeo, quod etiamſi taliter rem acquirat, quod in eum dominium de jure transferatur, dummodo titulo juſto, & legitimo, & ſecundum Deum illam non acquirat, ſemper tenetur talem rem reſtituere; nec, ſi extat, liberatur ſolvendo tantundem, ~~niſi de conſenſu~~ creditoris, ſive illius, cujus erat res. Arguitur L. *Id* ff. *de regulis juris*, & L. *Nemo* ff. *de in integrum reſtitutionibus*, & L. *Niſi voluntate* ff. *de adquirendo rerum dominio*.

(249) Exemplum poteſt eſſe in hærede alicujus uſurarii, vel furis. Titulus pro hærede dubio procul de jure transfert dominium in accipientem. Ninilo tamen minus ſi in hæreditate aliquid reperiatur in ſpecie habitum pro uſuris, vel furatum, quum titulo juſto, & legitimo, & ſecundum Deum in hæreditate non ſit, dominium ipſius transferri non poterit ad hæredem, ſed totum quidquid eſt, vero Domino erit reſtituendum. Exemplum item poteſt eſſe in eo, qui aliquid poſſidet pro judicato. Titulus pro judicato & ipſe ex iis eſt, in quibus de jure transfertur dominium. Fac tamen, quod judicatum fuerit injuſtum, falſis teſtibus aut falſis ſcripturis innixum. Quum titulus pro judicato in hoc caſu juſtus non ſit, legitimus, & ſecundum Deum, res judicata adhuc pertinebit ad primum Dominum, huicque erit protinus reſtituenda. Subdit Author, quod reſtitui debet res ipſa, ſi extat, & quod uſurpans non liberatur ſolvendo tantundem, niſi de conſenſu creditoris — *Per conſenſum enim Domini* (ait L. *Niſi voluntate* ff. *de adquirendo rerum dominio*) *tota res ejus fit, cujus nomine facta eſt* — : & ff. *de diverſis regulis juris antiqui* L. 11. — *Id, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt* —. Rei ipſius in ſpecie Dominus non eſt uſurpans, eamque retinens titulo prorſus injuſto, ſed ille, cui ſecundum Deum debet reſtitui. Non poteſt

Igitur uſurpans diſponere de re aliena, & invito Domino, & ſine Domini conſenſu eam ſibi retinere ſolvendo tantundem. Id quidem licet, fieri immo debet, dum res amplius non extat, nec haberi amplius in ſpecie poteſt. At ſimul atque exiſtit adhuc, clamat ipſa ad Dominum, & ſine hujus conſenſu non poteſt ab alio commutari in æquivalens.

SECUNDUM DUBIUM. Utrum inventores rerum, quæ fuerunt ab aliquo perditæ, & ab hoc non habentur pro derelictis, teneantur eas reſtituere?

Reſpondeo, quod ſic, 14. q. 5. cap. *Si quid*, & cap. *Multi*, & L. *Falſus* §. *Qui alienum* ff. *de furtis*. Et ſi factis proclamationibus Dominus non invenitur, debet res pauperibus diſtribui pro anima illius, cujus eſt, ſecundum Scotum, vel inventori, ſi pauper eſt, per Confeſſarium concedi.

(150) *Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti: quantum potuiſti, feciſti. Quia plus non inveniſti, ideo non plus rapuiſti* —. Ita S. Auguſtinus in Canonem relatus 14. q. 5. cap. 6. — *Multi ſine peccato putant eſſe, ſi alienum, quod invenerint, teneant: & dicunt, Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Diſcant ergo, peccatum hoc eſſe ſimile rapinæ, ſi quis inventa non reddat* —. Ita S. Hieronymus ibid. cap. 8. — *Iſti male dicunt* (ait Gloſſa ſuper hoc cap.): *quia hoc omnes ſcire debent quod ſuum non eſt, ad alios pertinere* —. Nec invenientem excuſat, quod ignoret Dominum rei inventæ. Ad rem quippe ff. *de furtis* L. *Falſus* §. 4. — *Qui alienum quid jacens lucri faciendi cauſa ſuſtulit, furti obſtringitur, ſive ſcit cujus ſit, ſive ignoravit: nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cujus ſit ignoret* —. Si Dominum ignorat, eum exquirat, & tunc furti reus non erit, textu expreſſo ibid. §. 7. — *Sed ſi neque fuit* (ſcilicet derelictum), *neque putavit, jacens tamen tulit, non ut lucretur, ſed redditurus ei, cujus fuit: non tenetur furti*.

Appoſite ait Author, ſi hujuſmodi res a Domino non habeantur pro derelictis: quia ſecus inveniens non teneretur eas reſtituere, textu pariter expreſſo ead. L. *Falſus* §. 5. — *Quod ſi Dominus id dereliquit, furtum non fit ejus, etiamſi ego furandi animum habuero: nec enim furtum fit, niſi ſit, cui fiat. In propoſito autem nulli fit: quippe cum placeat Sabini & Caſſii ſententia exiſtimantium, ſtatim noſtram eſſe deſinere rem, quam derelinquimus* —. Dum igitur Dominus eas non habet pro derelictis, in ipſo adhuc eſt animus eaſdem recuperandi. Verus iccirco etiam tum erit earum Dominus, & eidem debebunt reſtitui, Inſtitut. *de rerum diviſione* §. ultimo — *Alia ſane cauſa eſt earum rerum, quæ in tempeſtate levandæ navis*

cauſa

cauſa ejiciuntur : hæ enim Dominorum permanent , quia palam eſt , eas non eo animo ejici , quod quis eas habere nolit , ſed quo magis cum ipſa navi maris periculum effugiat . Qua de cauſa , ſi quis eas fluctibus expulſas , vel etiam in ipſo mari nactus , lucrandi animo abſtulerit , furtum committit .

Innuit Author, quod debent fieri proclamationes ad inveniendum Dominum. Id reipſa fiebat ab ipſis Ethnicis, ſicuti docemur L. *Falſus* jam memorata §. 8. — *Solent plerique etiam hoc facere , ut libellum proponant continentem inveniſſe , & redditurum ei , qui deſideraverit* —. Potiori igitur jure fieri id debet a Chriſti fidelibus; & tunc ex iis erunt, de quibus in ead. L. ſubjicitur — *Hi ergo oſtendunt, non furandi animo ſe feciſſe.*

Concludit Author, quod, ſi Dominus non invenitur, res inventa diſtribuenda eſt pauperibus ; nec fiet inventoris , tametſi pauperis, niſi accedat auctoritas , & permiſſio Confeſſarii . Primum commune eſt penes Theologos cum Catechiſmo Romano de ſeptimo præcepto ſcribente — *Quod ſi rerum Dominus nulla ratione inveniri poteſt, illa ſunt bona in uſus pauperum conferenda* — : & clare etiam eruitur ex Alex. III. Extra *de uſuris* cap. 5. idem ſtatuente de eo, qui reſtituere debet uſuras — *Super his fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quod ſive ante , ſive poſt interdictum noſtrum uſuras extorſerint, cogendi ſunt per pœnam, quam ſtatuimus in Concilio, eas his, a quibus extorſerunt , vel eorum hæredibus reſtituere, vel, his non ſuperſtitibus, pauperibus erogare* —. Secundum optandum vehementer foret, quod executioni mandaretur , nemo enim Judex eſt in propria cauſa, & facile amore proprio quis ducitur ad ſe habendum tamquam pauperem, ut ſibi retineat quod invenit.

Tertium Dubium. Utrum inventores rerum , quæ numquam fuerunt alicujus , ut ſunt lapilli , gemmæ in litore maris, & fluminum , feræ , volucres , & hujuſmodi ſilveſtria , teneantur reſtituere ?

Reſpondeo , quod non , ſed fiunt accipientis , ſive accipiantur in fundo proprio , ſive in alieno, dummodo non ſit prohibitum a Domino fundi ingredi in eundem . Item ſive antea fuerint ab aliquo vulneratæ , dum tamen eas amplius non perſequitur, ſive non. Patet Inſtitut. *de rerum diviſione* ſub multis paragraphis , & ff. *de adquirendo rerum dominio* L. 3. , niſi ſecus ſit in conſuetudine: quia tunc ſtandum erit conſuetudini L. *Quod ſi nolit* §. *Quia aſſidua* ff. *de ædilitio edicto* , & Gloſſa in §. *Illud* L. 3. ff. *de adqui-*

ren-

rendo rerum dominio. Similiter, ſi eſſent captæ in rete aliena, non credo, quod eſſent accipientis ſecundum Gloſſam in L. *In laqueum* ff. eod. tit., & in §. *Singulorum* Inſtitut. ubi ſupra, licet rigor juris videatur velle, quod ſint accipientis.

(251) En textus apertiſſimos. Inſtitut. *de rerum diviſione* §. 12. -- *Feræ igitur beſtiæ, & volucres, & piſces, & omnia animalia, quæ mari, Cœlo, & terra naſcuntur, ſimul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium ſtatim illius eſſe incipiunt. Quod enim ante nullius eſt, id naturali ratione occupanti conceditur. Nec intereſt feras beſtias & volucres, utrum in ſuo fundo quis capiat, an in alieno. Plane qui alienum fundum ingreditur venandi, aut aucupandi gratia, poteſt a Domino, ſi is præviderit, prohiberi, ne ingrediatur. Quicquid autem eorum ceperis, eo uſque tum eſſe intelligitur, donec tua cuſtodia coercetur. Cum vero tuam evaſerit cuſtodiam, & in libertatem naturalem ſe ſe receperit, tuum eſſe deſinit, & rurſus occupantis fit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum vel oculos tuos effugerit, vel ita ſit in conſpectu tuo, ut difficilis ſit ejus perſequutio* --. Et ibidem §. 13. -- *Illud quæſitum eſt, an, ſi fera beſtia ita vulnerata ſit, ut capi poſſit, ſtatim tua eſſe intelligatur? Et quibuſdam placuit, ſtatim eſſe tuam, & eouſque tuam videri, donec eam perſequaris: quod ſi deſieris perſequi, deſinere eſſe tuam, & rurſus fieri occupantis. Alii vero putaverunt, non aliter tuam eſſe, quam ſi eam ceperis. Sed poſteriorem ſententiam nos confirmamus, quod multa accidere ſolent, ut eam non capias* --. Omnino ſimilia leguntur ff. *de adquirendo rerum dominio* L. 3. & L. 5. in principio. En legem tertiam -- *Quod enim nullius eſt, id ratione naturali occupanti conceditur. Nec intereſt, quoad feras beſtias, & volucres, utrum in ſuo fundo quiſque capiat, an in alieno. Plane qui in alienum fundum ingreditur, venandi, aucupandive gratia, poteſt a Domino, ſi is præviderit, jure prohiberi, ne ingrederetur. Quidquid autem eorum ceperimus, eo uſque noſtrum eſſe intelligitur, donec noſtra cuſtodia coercetur. Cum vero evaſerit cuſtodiam noſtram, & in naturalem libertatem ſe receperit, noſtrum eſſe deſinit, & rurſus occupantis fit* --. En quod ſcriptum eſt in principio quintæ legis -- *Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum vel oculos noſtros effugerit, vel ita ſit in conſpectu noſtro, ut difficilis ſit ejus perſecutio. Illud quæſitum eſt, an fera beſtia, quæ ita vulnerata ſit, ut capi poſſit, ſtatim noſtra eſſe intelligatur. Trebatio placuit, ſtatim noſtram eſſe: & eouſque noſtram videri, donec eam perſequamur. Quod ſi deſierimus eam perſequi, deſinere noſtram eſſe, & rurſus fieri occupantis. Itaque ſi per hoc tempus, quo eam perſequimur, alius eam ceperit eo animo, ut ipſe lucrifaceret, furtum videri nobis eum commiſiſſe. Plerique non aliter putaverunt eam*

no-

noſtram eſſe, quam ſi eam ceperimus quia multa accidere poſſunt, ut eam non capiamus: quod verius eſt --. Quod tum hic, tum in Inſtitut. dicitur verius, non eſt certe conſuetudine firmatum: immo, ut notat Gloſſa ſuper verbis poſtremo citatis, nempe *quod verius eſt* -- *Sed de conſuetudine Trebatii ſententia ſervatur*. Jure igitur Author Trebatii doctrinam, & placitum ſequens conſtituit, quod fera vulnerata tamdiu ſit vulnerantis, quamdiu eam perſequitur, & quod, dum vulnerans ab ipſius perſecutione ceſſat, tunc ſtatim fiat occupantis. quia tunc & non prius habetur tamquam derelicta. Daniel Concina lib. 2. de juſtitia & jure cap. 9. num. 5. cenſet, quod, ſi vulnus cauſa peculiaris eſt, cur fera ab alio capiatur, utilitas dividi debeat inter vulnerantem & capientem. Bona tamen ipſius pace, non video, quomodo ratio naturalis id præſcribat, ut ibidem ipſe contendit: nam ſemel atque aliquod relinquitur tamquam derelictum, ut in caſu, ratio ipſa naturalis dictat, quod tunc ſtatim fiat nullius, & iccirco ſit primi occupantis. In legibus Longobardorum *de Venatoribus* L. penultima ſtatutum erat, quod per viginti quatuor horas a ſecuta vulneratione fera ſemper eſſet vulnerantis, & iiſdem tranſactis fieret accipientis. Legem ipſam accipe -- *Si ſervus, aut qualibet fera ab aliquo homine ſagittata fuerit, tandiu illius eſſe intelligatur, qui eam ſagittaverit, uſque ad aliam talem horam diei, aut noctis, quæ ſunt horæ viginti quatuor, quando eam poſtpeſuerit, & ſe ab ea tornaverit: nam qui eam poſt tranſactas horas prædictas invenerit, non ſit culpabilis, ſed ſibi habeat ipſam feram* --. Si alicubi hujuſmodi leges adhuc obtinent, & ſunt uſu moribuſque receptæ, quod non credo, ita & non aliter fieri debet, & judicari. Secus in hiſce rebus, aliiſve ſimilibus ſervanda eſt conſuetudo patria -- *Ea enim quæ ſunt moris & conſuetudinis, in bonæ fidei judiciis debent venire* -- ut ff. *de ædilitio edicto* L. *Quod ſi nolit* §. *Quia aſſidua*.

Quod dictum eſt de feris, quæ nunquam fuerunt alicujus, idem dicas de illis, quæ naturalem libertatem recuperarunt. Et iccirco jure optimo ſcriptum eſt Inſtitut. *de rerum diviſione* §. 14. -- *Apium quoque fera natura eſt. Itaque apes, quæ in arbore tua conſederint, antequam a te alveo includantur, non magis tuæ intelliguntur eſſe, quam volucres, quæ in arbore tua nidum fecerint. Ideoque ſi alius eas incluſerit, is earum Dominus erit. Favos quoque ſi quos effecerint, eximere quilibet poteſt. Plane integra re, ſi prævideris ingredientem fundum tuum, poteris eum jure prohibere, ne ingrediatur. Examen quoque, quod ex alveo tuo evolaverit, eouſque intelligitur eſſe tuum, donec in conſpectu tuo eſt, nec difficilis perſequutio ejus eſt; alioquin occupantis fit* --. Idem pene ſervato ipſo litterarum cortice legitur ff. *de adquirendo rerum dominio* L. 5. §. 2. & ſeq.

Dubium remanet, an ſi fera caſu incidat in retem alienam, ad Dominum retis pertineat, vel etiam tum ſit primi occupantis? Certe ſi rigorem juris attendamus, accipientis eſt, non autem Domini; ſcriptum eſt enim

enim ff. de adquirendo rerum dominio L. 55. — *In laqueum, quem venandi cauſa poſueras, aper incidit; cum eo hæreret, exemptum eum abſtuli: num tibi videor tuum aprum abſtuliſſe?.... Reſpondit: laqueum videamus, ne interſit in publico, an in privato poſuerim: & ſi in privato poſui, utrum in meo, an in alieno: & ſi in alieno, utrum permiſſu ejus, cujus fundus erat, an non permiſſu ejus poſuerim? Præterea utrum in eo hæſerit aper, ut expedire ſe non poſſit ipſe, an diutius luctando expediturus ſe fuerit? Summam tamen hanc puto eſſe, ut, ſi in meam poteſtatem pervenit, meus factus ſit* —. Fallitur ergo Daniel Concina loco proxime laudato num. 6. ſcribens, quod ex hac lege tantum eruitur, feram eſſe capientis, quando hæc ita in laqueum incidit, ut ſe expedire, fugamque facile arripere poſſit. Id quidem lex expreſſit in poſtulato; ſed in reſponſo indefinite conſtituit feram eſſe capientis quomodocumque remanſerit irretita, ut legem ipſam legenti ſit manifeſtum, & ingenue fatetur Gloſſa ſuper ead. lege. Hoc tamen legis placitum non arridet Authori noſtro, qui in hoc caſu vult feram eſſe Domini retis, non autem accipientis. Et forte hac de cauſa, quia fera ſic irretita naturali libertate non gaudet, ſed jam eſt alicujus. Diſtinguerem nihilominus cum ipſo Concina in hunc modum. Aut fera leviter illaqueata eſt, & facile ſe expedire poteſt: & tunc dicerem eſſe accipientis: quia hæc illaqueatio talis non eſt, quod fera non poſſit amplius dici naturali libertate gaudens. Aut fortiter illaqueata eſt, & difficillime expedire ſe poteſt a laqueo: & tunc cenſerem eſſe Domini laquei: quia iſtiuſmodi illaqueatio ejus indolis eſt, ut per eam fera jam ſit naturali libertate privata. Ita & non aliter naturalis æquitas poſtulare videtur.

Quartum Dubium. Utrum inventores ferarum ſilveſtrium, ſed quæ jam domeſticæ factæ ſunt, puta pavones, columbæ, cervi, apes in alveis, & hujuſmodi, teneantur?

Reſpondeo, quod ſic, quandiu habent animum redeundi domum, quia tandiu ſunt poſſidentis. Et quia conſuetudo introducitur per actum binum, ut notat Gloſſa in L. *De quibus* ff. *de legibus*, & C. *de Epiſcopali audientia* L. 3.; iccirco ſi bis aufugiunt, & horis debitis domum non revertantur, erunt accipientis: quia animum revertendi non habent. Secus dicendum eſt de animalibus naturaliter domeſticis, ut ſunt gallinæ, anſeres, & hujuſmodi; hæc enim, quantumcumque fugiant, ſemper ſunt Domini, & capiens tenetur ea reſtituere cum fructibus, ut ſunt ova, pen-

næ, & hujuſmodi §. *Gallinarum* Inſtitut. *de rerum diviſione*, & ff. *de adquirendo rerum dominio* L. *Naturalem* §. *Pavonum*. Concordat Petrus Caſuel tit. *de furtis*.

(252) Et hoc perſpicuum in lege eſt; ſcriptum eſt enim Inſtitut. *de rerum diviſione* §. 15. -- *Pavonum quoque, & columbarum fera natura eſt: nec ad rem pertinet, quod ex conſuetudine evolare, & revolare ſolent: nam & apes idem faciunt, quarum conſtat feram eſſe naturam. Cervos quoque quidam ita manſuetos habent, ut in ſylvam ire, & redire ſoleant: quorum & ipſorum feram eſſe naturam nemo negat. In iis autem animalibus, quæ ex conſuetudine abire & redire ſolent, talis regula comprobata eſt, ut euſque tua eſſe intelligantur, donec animum revertendi habeant: nam ſi revertendi animum habere deſierint, etiam tua eſſe deſinunt, & fiunt occupantium. Revertendi autem animum videntur deſinere habere tum, cum revertendi conſuetudinem deſeruerint* -- Et ibid. §. 16. -- *Gallinarum autem, & anſerum non eſt fera natura: idque ex eo poſſumus intelligere, quod aliæ ſunt gallinæ, quas feras vocamus, item alii ſunt anſeres, quos feros appellamus. Ideoque ſi anſeres tui, aut gallinæ tuæ, aliquo modo turbati, turbatæve evolaverint, licet conſpectum tuum effugerint, quocumque tamen loco ſint, tui, tuæve eſſe intelliguntur: & qui lucrandi animo ea animalia detinet, furtum committere intelligitur* --. Omnino ſimilia leguntur ff. *de adquirendo rerum dominio* L. 5. §. 5. & ſeq. -- *Pavonum & columbarum fera natura eſt, nec ad rem pertinet, quod ex conſuetudine evolare, & revolare ſolent, nam & apes idem faciunt, quarum conſtat feram eſſe naturam. Cervos quoque ita quidam manſuetos habent, ut in ſylvas eant, & redeant; quorum & ipſorum feram eſſe naturam nemo negat. In his autem animalibus, quæ conſuetudine abire, & redire ſolent, talis regula comprobata eſt, ut euſque noſtra eſſe intelligantur, donec revertendi animum habeant: quod ſi deſierint revertendi animum habere, deſinant noſtra eſſe, & fiant occupantium. Intelliguntur autem, & deſiiſſe revertendi animum habere tunc, cum revertendi conſuetudinem deſeruerint. Gallinarum, & anſerum non eſt fera natura: palam eſt enim alias eſſe feras gallinas, & alios feros anſeres. Itaque ſi quolibet modo anſeres mei, & gallinæ meæ, turbati, turbatæve adeo longius evolaverint, ut ignoremus, ubi ſint: tamen nihilominus in noſtro dominio tenentur. Qua de cauſa furti nobis tenebitur, qui quid eorum lucrandi animo adprehenderit* --.

Certiſſima ſunt hæc, & pœne ubique gentium recepta. Si tamen alicubi editæ fuiſſent leges patriæ aliquid ſuper his immutantes, eſſent ipſæ ſervandæ, uti in Gallia, ubi more receptum eſt, quod accipiter, & falco non deſinant eſſe Domini, tametſi deſeruerint conſuetudinem revertendi domum. Caveant, qui columbas, aut cuniculos eſca, illecebris, aliave fraude divertere, & in propria columbaria pertrahere ſtudent. Peccant

hi dubio procul, & reſtitutionis onere gravantur: quia per ſummam injuriam, & per quamdam vim ad ſe trahunt alienum. Poſſunt utique omnes (ſcribit Concina loco proxime citato num. 3.) e propriis campis hæc animalia expellere, ne damnum inferant. At cum damnum iſtud publica conſuetudine toleretur ob bonum publicum, nemo in ejuſmodi damni compenſationem præfata animalia impedire jure valet, ne ad Domini columbaria redeant, & multo minus efficere, quod in propria ſe recipiant. Cavere tamen debent hi, qui columbarii jure fruuntur, ut columbas ſuas alant eo præſertim tempore, quo vicinis agris damnum poſſunt afferre ſecus enim agentes viderentur velle damnum proximi, & tenerentur ad reſtitutionem.

Ait Author, quod ſi animalia hominis induſtria ad manſuetudinem redacta bis aufugiant, & conſuetis horis domum non revertantur, cenſentur non habere amplius animum revertendi. Id tamen nolo habeas tamquam regulam generalem; nam experientia docemur, quod cervi & apri, tametſi per aliquot dies juxta domum vagentur, & ſponte non redeant, facile ſe reduci permittunt. Determinatio igitur temporis, quo hæc vel illa fera cenſetur deſeruiſſe animum revertendi, prudentum judicio relinquenda eſt.

Quintum Dubium. Utrum inveniens theſaurum occultum, teneatur?

Reſpondeo, quod, ſi invenit in ſuo fundo, vel in loco ſacro, aut religioſo, non tenetur ipſum reſtituere, ſed remanet ſuum. Si vero invenit eum in fundo alieno privato, vel publico, vel Cæſaris, vel Civitatis, & hoc non data opera, ſed caſu, dimidium eſt inventoris, & dimidium debetur Domino fundi, ut Inſtitut. *de rerum diviſione* §. *Theſauros*, & 14. q. 5. cap. *Si quid* in Gloſſa. Si vero data opera, tunc, quidquid invenitur, pertinet ad Dominnm fundi L. unica C. *de theſauris*. Similiter, ſi arte magica quis invenit theſaurum in fundo proprio, non eſt inventoris, ſed ex integro pertinet ad fiſcum, eadem L. unica. Nota, quod theſaurus dicitur pecunia ab ignotis Dominis tempore vetuſto abſcondita, cujus pecuniæ depoſitionis non extat memoria L. *Numquam* §. *Theſaurus* ff. *de adquirendo rerum dominio*, & Gloſſa in dict. §. *Theſaurus*.

Et

Digitized by Google

Et ideo ſi inveniatur pecunia ſparſa, vel in aliquo ſacculo poſita intra feneſtram, aut propter metum occultata, cujus eſt memoria, non dicetur theſaurus, nec fiet inventoris, ſed erit reſtituenda.

(253) *Theſaurus eſt vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat: ſic enim fit ejus, qui invenerit, quod non alterius ſit. Alioquin ſi quis aliquid vel lucri cauſa, vel metus vel cuſtodiæ, condiderit ſub terra, non eſt theſaurus: cujus etiam furtum fit* --. Ita L. *Numquam* §. 1. ff. *de adquirendo rerum dominio*. Super theſauro invento tota eſt L. unica C. *de theſauris* — *Nemo in poſterum ſuper requirendo in ſuo, vel alieno loco theſauro, vel ſuper invento ab alio, vel a ſe, effuſis precibus pietatis noſtræ benignas aures audeat moleſtare. Nam in ſuis quidem locis unicuique, dummodo ſine ſceleratis, ac puniendis ſacrificiis, aut alia qualibet arte legibus odioſa theſaurum (ideſt condita ab ignotis Dominis tempore ~~vetuſtiori mobilia~~) quærere, & invento uti, liberam tribuimus facultatem: ne ulterius Dei beneficium invidioſa calumnia perſequatur, ut ſuperfluum ſit hoc precibus poſtulare, quod jam lege permiſſum eſt, & Imperatoriæ Majeſtatis videatur pervenire liberalitas poſtulanda. In alienis vero terrulis nemo audeat invitis, immo nec volentibus, vel ignorantibus Dominis opes abditas ſuo nomine perſcrutari. Quod ſi nobis ſuper hoc aliquis crediderit eſſe ſupplicandum, aut præter hujus legis tenorem in alieno fundo theſaurum ſcrutatus invenerit, totum hoc locorum Domino reddere compellatur, & velut temerator legis ſaluberrimæ puniatur. Quod ſi forte vel arando, vel alias terram alienam colendo, vel quocumque caſu, non ſtudio perſcrutandi, in alienis fundis theſaurum invenerit: id, quod repertum fuerit, dimidia retenta, altera dimidia data, cum locorum Domino partiatur. Ita enim evenit, ut unuſquiſque ſuis fruatur, & non inhiet alienis* —. Clarius Inſtitut. *de rerum diviſione* §. 39. — *Theſauros, quos quis in loco ſuo invenerit Divus Hadrianus, naturalem æquitatem ſequutus, ei conceſſit, qui eos invenerit. Idemque ſtatuit, ſi quis in ſacro, aut religioſo loco fortuito caſu invenerit. At ſi quis in alieno loco, non data ad hoc opera, ſed fortuitu invenerit: dimidium Domino ſoli conceſſit, & dimidium inventori. Et convenienter ſi quis in Cæſaris loco invenerit, dimidium inventoris, & dimidium eſſe Cæſaris ſtatuit. Cui conveniens eſt, ut ſi quis in fiſcali loco, vel publico, vel Civitatis invenerit, dimidium ipſius eſſe debeat, & dimidium fſci, vel Civitatis* —. Sola harumve legum recitatio.ie eliquatum remanet, & plene diſcuſſum, quicquid ab Authore in hoc caſu fuit expoſitum. Nihilo tamen minus ſi alicubi vigerent leges patriæ, aut conſuetudines ab omnibus receptæ aliquid immutantes de ſupra expoſitis, eſ-

ſent hæ exactè obſervandæ etiam in foro conſcientiæ, & ad reſtitutionem teneretur qui ſecus ageret.

Quæres. Utrum accedente Domini conſenſu poſſit quis inquirere theſaurum in alienis terrulis: & quid juris ipſo invento?

℞. Qui facultatem inquirendi a Domino obtinuit, aut theſaurum inquirit nomine proprio, aut nomine Domini? Si primum, vetitum id eſt textu expreſſo in L. unica modo recitata — *In alienis vero terrulis nemo audeat invitis, immo nec volentibus, vel ignorantibus Dominis opes abditas ſuo nomine perſcrutari* —; & iccirco jure optimo Gloſſa ſuper hac lege, & ſigillatim ſuper ver. *Volentibus* — *Nota Domini voluntatem nil facere, ut alius ſuo nomine quærat* —. Vetitum id puto ad compeſcendam nimiam perſcrutandi aviditatem, ad quam cohibendam eadem lege fuit pariter ſancitum, quod ſi quis conſulto in alieno fundo theſaurum inquirat & inveniat, nihil inventi ſibi retinere poſſit, ſed totum, quantulumcumque eſt, ad Dominum fundi pertineat. Si autem ſecundum, nullo jure id prohibetur: quia ſi per eandem L. unicam permiſſum eſt Dominis inquirere theſauros per ſeipſos in fundo proprio, ſponte fluit, quod id præſtare etiam poſſint alterius adjutorio: nam, ut appoſite Regula 68. Juris in Sexto — *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum* —, & ibid. Regula 72. — *Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſeipſum* —. Invento poſtmodum theſauro, ſi pactum initum fuit inter inventorem & Dominum, pactum ipſum ſervetur, dummodo ſit æquitati conſentaneum, ut ſupponitur. Si vero nihil fuit inter ipſos conventum, æquitas poſtulare videtur, ut æque dividatur inter eoſdem; niſi inventor prius ſciviſſet ibidem eſſe theſaurum, & id callide Domino occultaſſet: quia in hoc caſu inventori prodeſſe non debet fraus, & dolus; & iccirco inventus theſaurus quantuluſcumque ipſe eſt, erit Domini fundi.

SEXTUM DUBIUM. Utrum ille, qui per alluvionem aliquid acquirit terræ ſuæ additum, teneatur?

Reſpondeo, quod non. Sed hic opus eſt diſtinctione: quia, ſi inſula naſcitur in mari, ipſa eſt occupantis. Si naſcitur in medio fluminis, communis eſt eorum, qui habent prædia juxta flumen ex utraque parte. Si autem non in medio, illius eſt, cui eſt proximior. Ager circumdatus a flumine diviſo, remanet illius, ad quem primo ſpectabat. Si flumen mutet alveum, primus alveus efficitur eorum, qui habent prædia circa ipſum, & ſecundus remanet publicus. Si poſtmodum iterum revertatur ad primum, ſecun-

cundus erit eorum, qui circa ipſum poſſident prædia. Si ager aqua inundetur, recedente aqua remanet illius, cujus erat antea. Hæc omnia habentur Inſtitut. *de rerum diviſione §. Inſula*.

(254) Et hic caſus declaratione non indiget; Sed pro eo eliquando ſola ſufficit recitatio legis. Scriptum eſt Inſtitut. *de rerum diviſione* §.20. — *Præterea quod per alluvionem agro tuo flumen adjecit, jure gentium tibi adquiritur. Eſt autem alluvio incrementum latens. Per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paullatim adjicitur, ut intelligi non poſſit, quantum quoquo temporis momento adjiciatur* —. Et ibid. §. 21. — *Quod ſi vis fluminis de tuo prædio partem aliquam detraxerit, & vicini prædio attulerit, palam eſt eam tuam permanere. Plane ſi longiore tempore fundo vicini tui hæſerit, arboreſque, quas ſecum traxit, in eum fundum radices egerint: ex eo tempore videntur vicini fundo adquiſitæ eſſe* —. Super hoc §. annotat Gloſſa, quod ſi terra appoſita unitatem faciat cum terra vicini tui, non erit amplius tua. Sed poſtulabis: quomodo quis ſcire poterit, an hujuſmodi unitio, ſeu immixtio ſecuta ſit? Per ruſticos, reſpondet Gloſſa ibidem, qui hoc ſciunt. Sequitur §. 22. — *Inſula, quæ in mari nata eſt, quod raro accidit, occupantis ſit; nullius enim eſſe creditur. At inſula in flumine nata, quod frequenter accidit, ſi quidem mediam partem fluminis tenet, communis eſt eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia poſſident, pro modo ſcilicet latitudinis cujuſque fundi, quæ prope ripam ſit. Quod ſi alteri parti proximior ſit, eorum eſt tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia poſſident. Quod ſi aliqua parte diviſum ſit flumen, deinde infra unitum, agrum alicujus in formam inſulæ redegerit, ejuſdem permanet is ager, cujus & fuerat* —. Accipe etiam §. 23. — *Quod ſi naturali alveo in univerſum derelicto, ad aliam partem fluere ceperit: prior quidem alveus eorum eſt, qui prope ripam ejus prædia poſſident, pro modo ſcilicet latitudinis cujuſque agri, quæ prope ripam ſit: novus autem alveus ejus juris eſſe incipit, cujus & ipſum flumen eſt, ideſt publicus. Quod ſi poſt aliquod tempus ad priorem alveum reverſum fuerit flumen: rurſus novus alveus eorum eſſe incipit, qui prope ripam ejus prædia poſſident* —. Accipe demum §.24. — *Alia ſane cauſa eſt, ſi cujus totus ager inundatus fuerit: neque enim inundatio fundi ſpeciem commutat: & ob id, ſi receſſerit aqua, palam eſt eum fundum ejus manere, cujus & fuit* —. Omnino ſimilia habentur ff. *de adquirendo rerum dominio* L. 7. §. 1. & ſeq., quæ tu potes conſulere; ſupervacaneum enim duco ea hic ex integro recitare.

SEPTIMUM DUBIUM. Utrum ædificans in ſolo alieno teneatur?

Re-

Reſpondeo, quod de jure, ſi de ſuo ædificat in alieno, ædificium efficitur Domini ſoli, Inſtitut. *de rerum diviſione* §. *Ex diverſo*, & L. *In tantum* ff. *de diviſione rerum*. Excipe, ſi ædificium fiat de rebus Eccleſiæ: quia tunc ſolum, ideſt fundus, cedit ædificio 12. q. 2. *Apoſtolicos* ſecundum Joannem Andreæ ibi, & Extra *de peculio Clericorum* cap. *Inveſtigandum*. Si vero ædificat de alieno, ſed in ſolo proprio, tunc ædificium eſt ſuum Inſtitut. ibidem §. *Cum in ſuo*; ſed reſtituet æſtimationem tigni L. 1. ff. *de tigno juncto*. In conſcientia tamen non credo, quod permittens ædificare in ſuo alteri, qui bona fide credit ædificare in proprio, poſſit retinere ædificium; immo credo, quod teneatur ipſum dare ædificanti ſecundum quod per bonos viros judicabitur; dictum enim juris habet locum in eo, qui mala fide ædificat in alieno: quia tunc merito damnum patitur.

(255) Quod ædificium factum in ſolo alieno cedat Domino ſoli, textu docemur expreſſo Inſtitut. *de rerum diviſione* §. 30. -- *Ex diverſo, ſi quis in alieno ſolo ex ſua materia domum ædificaverit, illius ſit domus, cujus & ſolum eſt. Sed hoc caſu materiæ Dominus proprietatem ejus amittit: quia voluntate ejus intelligitur eſſe alienata. Utique ſi non ignorabat ſe in alieno ſolo ædificare; & ideo, licet diruta ſit domus, materiam tamen vindicare non poteſt* --. Appoſite ait lex *ſi non ignorabat*; ſecus enim conſtituendum eſt, ſi erat ædificator bonæ fidei, & putabat ſe ædificare in proprio, ut ibidem conceptis verbis aſſeritur -- *Certe illud conſtat, ſi in poſſeſſione conſtituto ædificatore, ſoli Dominus petat domum ſuam eſſe, nec ſolvat pretium materiæ, & mercedes fabrorum, poſſe eum per exceptionem doli repelli. Utique ſi bonæ fidei poſſeſſor fuerit, qui ædificavit. Nam ſcienti alienum ſolum eſſe poteſt objici culpa, quod ædificaverit in eo ſolo, quod intelligebat alienum eſſe* --. Eadem habes ff. *de adquirendo rerum dominio* L. 7. §. 12. Non deſunt opinantes, quod etiam ſcienter ædificans in ſolo alieno, repetere poſſit pretium materiæ, & expenſarum. Hos videre potes apud Ferraris ver. *Dominium* art. 3. num. 58. Non placet tamen ipſorum opinio; juſta enim legis punitio eſt, quod amittat, & pretium materiæ, & expenſas, & quod per legem horum omnium proprietas transferatur ad Dominum ſoli, cui injuria facta eſt.

Excipit Author, dum quis de rebus Eccleſiæ ædificat in alieno: nam

ut

ut notat Gloſſa in cap. *Apoſtolicos* 12. q. 2. -- *Hoc eſt ſpeciale in Eccleſia, quod, ſi res comparatur de bonis Eccleſiæ, ſtatim eſt facta Eccleſiæ* --. Ita ſancivit Hadrianus II. in octava Generali Synodo, Conſtantinopolitana ſcilicet 4. Canone 15. qui legitur cap. *Apoſtolicos* nunc memorato -- *Si autem Epiſcopus convictus fuerit conſtruxiſſe Monaſterium de reditibus Eccleſiaſticis, tradat ipſum eidem Eccleſiæ Monaſterium* --. Ita Concilium Arelatenſe Extra *de peculio Clericorum* cap. 1. -- *Inveſtigandum eſt, ſi nihil patrimonii habens Presbyter, quando promotus eſt ad Eccleſiaſticum Ordinem, poſtea emerit prædia, cujus juris ſint: quoniam Eccleſiæ, ad quam nihil habens promotus eſt, eſſe debent juxta Canonicam auctoritatem* --. Ita alibi ſæpe in jure Canonico.

Quod poſtmodum ædificans de alieno, ſed in ſolo proprio, acquirat quidem ædificium, ſed teneatur ad æſtimationem tigni, textum pariter habemus expreſſum Inſtit. *de rerum diviſione* §. 29., in quo inſuper docemur, quid ſit tignum, & quod, ſi ædificium cadat, & tignum nondum ſit ſolutum, Dominus materiæ eam vindicare poſſit. Ipſum igitur accipe -- *Cum in ſuo ſolo aliquis ex aliena materia ædificaverit, ipſe intelligitur Dominus ædificii: quia omne quod ſolo inædificatur, ſolo cedit. Nec tamen ideo is, qui materiæ Dominus fuerat, deſinit Dominus ejus eſſe: ſed tantiſper neque vindicare eam poteſt, neque ad exhibendum de ea re agere propter legem duodecim tabularum, qua cavetur, ne quis tignum alienum ædibus ſuis junctum eximere cogatur: ſed duplum pro eo præſtet per actionem, quæ vocatur de tigno juncto. Appellatione autem tigni omnis materia ſignificatur, ex qua ædificia fiunt. Quod ideo proviſum eſt, ne ædificia reſcindi neceſſe ſit. Quod ſi aliqua ex cauſa dirutum ſit ædificium, poterit materiæ Dominus, ſi non fuerit duplum jam conſequutus, tunc eam vindicare, & ad exhibendum de ea re agere* --. Idem legitur ff. *de adquirendo rerum dominio* L. 7. §. 10. quem potes conſulere. Addo, quod actio, quam habet Dominus materiæ, non extinguitur, quamvis ædificator alteri vendat ædificium, ſicuti de ſumma æquitate ſancitur ibid. §. 11. -- *Illud recte quæritur, an, ſi id ædificium vendiderit is, qui ædificaverit, & ab emptore longo tempore captum poſtea dirutum ſit, adhuc Dominus materiæ vindicationem ejus habeat? Cauſa dubitationis eſt, an eo ipſo, quo univerſitas ædificii longo tempore capta eſt, ſingulæ quoque res, ex quibus conſtabat, captæ eſſent. Quod non placuit.*

OCTAVUM DUBIUM. Utrum ædificans cum damno ſui vicini teneatur?

Reſpondeo, quod non, ſi hoc non facit animo nocendi proximo, ſed unice, ut ſibi conſulat L. 1. §. *Denique* ff. *de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ*: nam uſque ad Cœlum poſſum elevare ædificium meum, ſi hoc mihi eſt utile,

le, & nullam habet ſervitutem L. *Altius* ff. *Si ſervitus vindicetur*. Concordat Gloſſa in cap. *Cum Eccleſia* Extra *de electione* in ver. *Injuriam*. Secus tamen, ſi animo nocendi proximo: nam tunc, ſive denunciatio novi operis facta fuerit, ſive non, in conſcientia tenetur, dicta L. 1. §. *Denique*. Item tenetur ſumptibus propriis demoliri quod ædificavit, quando poſt denunciationem novi operis ſive jure, ſive injuria ædificium conſtruxit, L. 1. §. 1. ff. *de operis novi nunciatione*, & L. *Prætor* §. 1. ibidem, & Extra *de novi operis nunciatione* per totum.

(256) Nullum dubium, quod quis poteſt ædeficium ſuum altius extollere pro libito, dummodo ædificium liberum ſit, & major elevatio nulla ſervitute impediatur. Expreſſum id eſt ff. *de ſervitutibus* L. 9. — *Altius quidem ædificia tollere, ſi domus ſervitutem non debeat; Dominus ejus minime probibetur* —. & L. ſeq. — *Si in ædibus vicini tibi debita ſervitute, parietem altius ædificavit Heraclius: novum opus ſuis ſumptibus per Præſidem Provinciæ tollere compelletur. Sed ſi te ſervitutem habuiſſe non probetur, tollendi altius ædificium vicino non eſt interdictum* —. Et hoc etiamſi talis elevatio officeret vicino; textu aperto ff. *de damno infecto* L. 26. — *Proculus ait, cum quis jure quid in ſuo faceret, quamvis promiſiſſet damni infecti vicino, non tamen teneri ea ſtipulatione. Veluti ſi juxta mea ædificia habeas ædificia, eaque jure tuo altius tollas: aut ſi in vicino tuo agro cuniculo, vel foſſa aquam meam avoces. Quamvis enim & hic aquam mihi abducas, & illic luminibus officias, tamen ex ea ſtipulatione actionem mihi non competere: ſcilicet quia non debeat videri is damnum facere, qui eo veluti lucro, quo adhuc utebatur, prohibetur: multumque intereſſe utrum damnum quis faciat, an lucro, quod adhuc faciebat, uti prohibeatur. Mihi videtur vera eſſe Proculi ſententia* —. *Concinit* L. 21. ff. *de aqua & aquæ pluviæ arcendæ*, tametſi non loquatur de ædificio — *Si in meo aqua erumpat, quæ ex tuo fundo venas habeat: ſi eas venas inciderls, & ob id deſierit ad me aqua pervenire, tu non videris vi feciſſe, ſi nulla ſervitus mihi eo nomine debita fuerit: nec interdicto quod vi aut clam teneris* —

Excipit Auctor, ſi id fiat animo nocendi proximo. Et ſuper hac re textum habemus manifeſtum ff. *de aqua & aquæ pluviæ arcendæ* L. 1. §. 12. — *Denique Marcellus ſcribit, cum eo, qui in ſuo fodiens, vicini fontem avertit, nihil poſſe agi, nec de dolo actionem. Et ſane non debet habere, ſi non animo vicino nocendi, ſed ſuum agrum meliorem faciendi id fecit* —; & L. ſeq. §. 9. — *Idem Labeo ait, ſi vicinus flumen, torrentem averterit, ne*

aqua

aqua ad eum perveniat, & hoc modo ſit effectum, ut vicino noceatur, agi cum eo aquæ pluviæ arcendæ non poſſe: aquam enim arcere, hoc eſſe, curare ne influat, quæ ſententia verior eſt, ſi modo non hoc animo fecit, ut tibi noceat, ſed ne ſibi noceat — . Ratio invicta ea eſt, quam profert Gloſſa ſuper lege hic primo citata: quia quod alii nocet, & ſibi non prodeſt, non licet: & hoc animo agens tenetur de dolo, ut monet ead. Gloſſa ſuper ſecunda lege hic memorata.

Quid ſit Edictum de novi operis nunciatione exponitur ff. ſub hoc tit. L. 1. in principio — *Hoc Edicto permittitur* (ideſt ſtatuitur, ſcribit Gloſſa ibid) *ut ſive jure, ſive injuria opus fieret, per nunciationem inhiberetur: deinde remitteretur prohibitio hactenus, quatenus prohibendi jus is, qui nunciaſſet, non haberet* — . Nunciare novum opus dicitur, qui alteri conſtruere volenti contradicit, ne conſtruat, donec cauſa fuerit per Judicem diſcuſſa. Secuta hujuſmodi denunciatione, ſi quis conſtruat, etſi jure, ideſt *juſte, quia ſit ei jus ædificandi*, ut exponit Gloſſa ſuper ead. lege, ſumptibus propriis tenetur deſtruere quod conſtruxit, ut perſpicue ff. eod. tit. L. 20. §. 1. — *Edicto expreſſum eſt, ne poſt operis novi nunciationem quicquam operis fiat, ~~antequam vel nunciatio~~ miſſa fiat, vel vice nunciationis miſſæ ſatiſdatio de opere reſtituendo fuerit interpoſita. Qui igitur facit, etſi jus faciendi habuit, tamen contra interdictum Prætoris facere videtur: & ideo hoc deſtruere cogitur* —: & L. ſeq. §. itidem 1. — *Si quis autem vult poſt opus novum nunciatum impune ædificare, offerre debet ſatis nunciatori. Quod ſi fecerit, utique conſultum eſt tam ei, qui nunciavit, quoniam cautum habet de opere reſtituendo, quam ei, cui nunciatum eſt, quia molitio ejus non impeditur. Antequam enim caveat, quidquid ædificaverit, interdicto reſtitutorio deſtruere compellitur* — Sæculo Eccleſiæ 12. Epiſcopus Patavinus conſuluit Lucium III. Summum Pontificem, petiitque ab eo, quid agendum ſuper hac re, de qua uſque tum nihil in Canonibus reperiebatur. Et Summus Pontifex, uti legitur Extra *de novi operis nunciatione* cap. 1. ita reſpondit — *Quia vero ſicut leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus diligenter conſiderans, quod poſt denunciationem novi operis ſive jure, ſive injuria aliquid conſtruatur, legalibus debet Conſtitutionibus demoliri: & quia nulla Eccleſia in præjudicium eſt alterius conſtruenda: negotium ipſum ſecundum legum & Canonum ſtatuta non differas terminare* — . Idem reſpondit Inno. III. Archiepiſcopo Cantuarienſi ibid. cap. 2. - *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus quicquid ædificatum eſt in Eccleſia de lamech poſt novi operis nunciationem, expenſis tuis facias penitus demoliri, eo non obſtante, ſi etiam abſens extiteris: cum cautum ſit legitima ſanctione, ut ſi is, cui opus novum fuerat nunciatum, ante remiſſionem ædificaverit, deinde agere ceperit, jus ſibi eſſe ita ædificatum habere, ſibi debeat actio denegari* — . Utroque igitur jure firmatur quod hic docet

Author; & icirco obligatio conſurgit nedum in foro fori, ſed etiam in foro poli.

NONUM DUBIUM. Utrum fructus arboris, & arbor ipſa, reſtituendi ſint illi, in cujus campo arbor habet radices principales, vel pertineant ad illum, in cujus campo eſt arbor?

Reſpondeo, quod ſic, illi nempe, in cujus campo arbor habet radices principales, quibus nutritur, & vivit; illius enim arbor eſt Inſtitut. *de rerum diviſione* §. *Si Titius*, & ff. *de adquirendo rerum dominio* L. *Adeo* §. finali, & ff. *Arborum furtim cæſarum* L. *Si plures* §. 1. Similiter ſi arbor plantetur in campo alterius, & in eo radices figat, illius eſt, cujus eſt campus; nec deſinit eſſe ſua, quamvis tranſportetur; & iccirco eidem in hoc caſu debet reſtitui L. *Adeo quidem* §. ult. ff. *de adquirendo rerum dominio*.

(257) Et hoc ſola legum recitatione clareſcit; ſcriptum enim eſt Inſtitut. *de rerum diviſione* §. 31. — *Si Titius alienam plantam in ſolo ſuo poſuerit, ipſius erit. Et ex diverſo: ſi Titius ſuam plantam in Mævii ſolo poſuerit, Mævii planta erit, ſi modo utroque caſu radices egerit. Ante enim quam radices egerit, ejus permanet, cujus fuerat. Adeo autem ex eo tempore, quo radices egerit planta, proprietas ejus commutatur: ut ſi vicini arbor ita terram Titii preſſerit, ut in ejus fundum radices egerit, Titii effici arborem dicamus. Ratio enim non permittit, ut alterius arbor eſſe intelligatur, quam cujus in fundum radices egerit. Et ideo prope confinium arbor poſita, ſi etiam in vicini fundum radices egerit, communis fit* —: & ff. de adquirendo rerum dominio L. 7. §. ultimo — *Si alienam plantam in meo ſolo poſuero, mea erit: ex diverſo, ſi meam plantam in alieno ſolo poſuero, illius erit, ſi modo utroque caſu radices egerit. Antequam enim radices ageret, illius permanet, cujus & fuit. His conveniens eſt, quod ſi vicini arborem ita terra preſſerim, ut in meum fundum radices egerit, meam effici arborem. Rationem enim non permittere, ut alterius arbor intelligatur, quam cujus fundo radices egiſſet. Et ideo prope confinium arbor poſita, ſi etiam in vicinum fundum radices egerit, communis eſt* —, Id intellige, ſi ſciens meam plantam in alieno ſolo poſuero, ut appoſite C. *de rei vindicatione* L. 11. — *Si quis ſciens alienum agrum ſevit, vel plantas impoſuit, poſtquam hæ radicibus terram fuerint amplexæ, ſolo cedere rationis eſt* —:

eſt --: quoniam ſi bona fide id agam, putans agrum eſſe meum, datur mihi actio in factum, tametſi planta jam radices emiſerit, ut monet Gloſſa ſuper hac ead. L., & aliquid poſſum repetere arbitrio boni viri.

Decimum Dubium. Utrum faciens aliquam ſpeciem de materia aliena, puta annulum de alieno argento, teneatur reddere ſpeciem ipſam, vel duntaxat æſtimationem materiæ.

Reſpondeo, quod cum materia cedat materiato, & efficiatur illius, qui ſpeciem fecit, quando reduci amplius non poteſt ad primam ſuam formam, ſicuti pannus, ex quo veſtis facta eſt, & hujuſmodi, patet quod ſolum æſtimatio debet reſtitui, ut dicit Gloſſa Inſtitut. *de rerum diviſione* §. *Quum ex aliena*.

(258) Fuſe de hac re Inſtitut. *de rerum diviſione* §. 25. 26. 27. 28. -- Accipe §. 25. -- *Quum ex aliena materia ſpecies aliqua facta ſit ab aliquo, quæri ſolet, quis eorum naturali ratione Dominus ſit: utrum is, qui fecerit, an potius ille, qui materiæ Dominus fuerit? Ut ecce ſi quis ex alienis uvis, aut olivis, aut ſpicis, vinum, aut oleum, aut frumentum fecerit: aut ex alieno auro, vel argento, vel ære vas aliquod fecerit: vel ex alieno vino, & melle mulſum miſcuerit: vel ex medicamentis alienis emplaſtrum, aut collyrium compoſuerit: vel ex aliena lana veſtimentum fecerit: vel ex alienis tabulis navem, vel armarium, vel ſubſellia fabricaverit. Et poſt multam Sabinianorum, & Proculianorum ambiguitatem* (Sabinus arbitrabatur Dominum materiæ effici Dominum ſpeciei ex ea fabricatæ; Proculus vero putabat oppoſitum, nempe fabricatorem ſpeciei fieri etiam Dominum materiæ, ut exponitur ff. *de adquirendo rerum dominio* L. 7. §. 7.) *placuit media ſententia exiſtimantium, ſi ea ſpecies ad priorem, & rudem materiam reduci poſſit, eum videri Dominum eſſe, qui materiæ Dominus fuerit. Si non poſſit reduci, eum potius intelligi Dominum, qui fecerit. Ut ecce vas conflatum poteſt ad rudem materiam æris, vel argenti, vel auri reduci; vinum autem, vel oleum, aut frumentum ad uvas, vel olivas, vel ſpicas reverti non poteſt: at ne mulſum quidem ad vinum, & mel reſolvi poteſt. Quod ſi partim ex ſua materia, partim ex aliena ſpeciem aliquam fecerit quis: veluti ex ſuo vino, & alieno melle mulſum miſcuerit: aut ex ſuis, & alienis medicamentis emplaſtrum, aut collyrium: aut ex ſua lana, & aliena veſtimentum fecerit: dubitandum non eſt, hoc caſu eum eſſe Dominum qui fecerit: cum non ſolum operam ſuam dederit, ſed & partem* ejuſ-

ejuſdem materiæ præſtiterit —. In hac media ſententia, quam lex ſequitur, ſcilicet quod ſpecies cedat ſpecificanti, quoties materia reduci non poteſt in priſtinum, jure dicit Author, quod fabricans ſpeciem reſtituere debeat ſecundum æſtimationem, quia fabricavit de alieno. Appoſite quapropter Gloſſa ſuper hoc eod. loco — Si hæc vera ſunt, quod ſpecificanti cedant, contraria eſt regula, quæ dicit, neminem cum alterius jactura fieri locupletiorem, ut ff. *de condictione indebiti* L. *Nam hoc natura*. Reſpondeo: licet fiat ſua ſpecies quoad dominium, tamen actione in factum tenetur ad æſtimationem, ut ff. *de rei vindicatione* L. *In rem* 1. §. *Item quæcumque*, & ff. *de donationibus inter virum & uxorem* L. *Si mulier* 1. (*Si uxor* ut nunc ſcriptum eſt.) §. 1. & L. ſeq. —. Hactenus Gloſſa.

Nollem tamen ex hoc inferas, quamcumque mutationem materiæ transferre dominium in immutantem. Verum id eſt, dum res ita immutatur, ut in communi hominum acceptione nova res habeatur, ſicuti contingit dum ex lana fit pannus. Quoniam ſi accidentalis duntaxat immutatio fiat, ſecus eſt conſtituendum, textu expreſſo ff. *de adquirendo rerum dominio* L. 26. §. 3. — *Si meam lanam feceris purpuram* (ideſt purpuream, ut monet Gloſſa ibidem) *nihilominus meam eſſe Labeo ait: quia nihil intereſt inter purpuram & eam lanam, quæ in lutum, aut cœnum cecidiſſet, atque ita priſtinum colorem perdidiſſet*.

Quid juris, ſi res non immutetur, ſed alienam duntaxat meæ conjungam? Jure acceſſionis cedit hæc conjungenti, tametſi ſit ipſa pretioſior; cum onere tamen reſtituendi tantundem arbitrio boni viri, Inſtitut. *de rerum diviſione* §. 26. — *Si tamen alienam purpuram veſtimento ſuo quis intexuerit, licet pretioſior ſit purpura, tamen acceſſionis vice cedit veſtimento: & qui Dominus fuit purpuræ, adverſus eum, qui ſubripuit, habet furti actionem, & condictionem; ſive ipſe ſit, qui veſtimentum fecit, ſive alius: nam extinctæ res, licet vindicari non poſſint, condici tamen a furibus, & quibuſque aliis poſſeſſoribus poſſunt* —. Si quod acceſſit, ſeparari poſſit abſque detrimento, arbitror quod ſeparatio in hoc caſu debeat fieri, & quidquid acceſſit Domino petenti in ſpecie reſtitui.

Quid, ſi duæ materiæ duntaxat mutuo confundantur? Accipe reſponſum Inſtitut. ibid. §. 27. — *Si duorum materiæ ex voluntate Dominorum confuſæ ſint, totum id corpus, quod ex confuſione fit, utriuſque commune eſt: veluti ſi qui vina ſua confuderint, aut maſſas argenti vel auri conflaverint. Sed etſi diverſæ materiæ ſint, & ob id propria ſpecies facta ſit, forte ex vino & melle mulſum, aut ex auro & argento electrum, idem juris eſt: nam & hoc caſu communem eſſe ſpeciem non dubitatur. Quod ſi fortuitu, & non voluntate Dominorum, confuſæ fuerint, vel ejuſdem generis materiæ, vel diverſæ, idem juris eſſe placuit*.

Quid, ſi duæ materiæ duntaxat invicem admiſceantur? Admixtio a confuſione differt, quia corpora admixta remanent inter ſe phyſice ſeparata,

Digitized by Google

ta, tametſi difficillimum ſit, & quandoque impoſſibile, quod unum ab altero dignoſcatur, confuſa autem ſeparata non remanent, ſed in unum coeunt. Petitioni reſpondetur Inſtitut. ibid. §. 28. -- *Quod ſi frumentum Titii frumento tuo miſtum fuerit, ſi quidem ex voluntate veſtra, commune eſt: quia ſingula corpora, ideſt ſingula grana, quæ cujuſque propria fuerunt, ex conſenſu veſtro communicata ſunt. Quod ſi caſu id miſtum fuerit, vel Titius id miſcuerit ſine tua voluntate, non videtur commune eſſe: quia ſingula corpora in ſua ſubſtantia durant. Sed nec magis iſtis caſibus commune ſit frumentum, quam grex intelligitur eſſe communis, ſi pecora Titii tuis pecoribus miſta fuerint. Sed ſi ab alterutro veſtrum totum id frumentum retineatur, in rem quidem actio pro modo frumenti cujuſque competit; arbitrio autem Judicis continetur, ut ipſe æſtimet, quale cujuſque frumentum fuerit.*

Undecimum Dubium. Utrum ſeminans in alieno, vel pingens, vel ſcribens, poſſit recipere quod fecit?

Reſpondeo, quod, ſi id fecit bona fide, credens ſe laborare in ſuo, & hoc Domino ſciente vel permittente, tenetur ei Dominus ſatisfacere. Si autem bona quidem fide, ſed ignorante Domino, credo, quod hic ſolum teneatur de utilitate, quam percepit ex tali opere, aut vendere ei chartas, & tabulam arbitrio boni viri: quia ff. *de hæreditatis petione* L. *Si quid poſſeſſor* §. *Sicut autem* dicitur, quod quis non debet culpari de adminiſtratione rei, quam bona fide tenet. De aliis Titulis, quibus dominium acquiritur, quoad ea, quæ pertinent ad conſcientiam, ſatis dictum eſt, ubi de emptione, præſcriptione, & hujuſmodi.

(259) Si inquiratur, quinam fiat Dominus in hiſce caſibus, reſponſum habes perſpicuum Inſtitut. *de rerum diviſione*: nam §. 32. de ſeminante ita ſancitur -- *Qua ratione autem plantæ, quæ terræ coaleſcunt, ſolo cedunt, eadem ratione frumenta quoque, quæ ſata ſunt, ſolo cedere intelliguntur* --. De ſcribente ita conſtituitur ibid. §. 33. -- *Litteræ quoque, licet aureæ ſint, perinde chartis membraniſve cedunt, ac ſolo cedere ſolent ea, quæ inædificantur, aut inſeruntur. Ideoque ſi in chartis membraniſve tuis carmen, vel hiſtoriam, vel orationem Titius ſcripſerit: hujus corporis non Titius, ſed tu Dominus eſſe videris. Sed ſi a Titio petas tuos libros, tuaſve membranas, nec impenſas ſcripturæ ſolvere paratus ſis: poterit ſe Titius defendere per exceptionem doli mali, utique ſi earum Chartarum membranarum-*

rumve poſſeſſionem bona fide nactus eſt –. Poſtulat Gloſſa in hunc locum – *Sed cum hodie pretioſior ſit ſcriptura, quam charta, nunquid mutatur hoc? Reſpondent quidam, ut Azo, quod ſic. Nos, quod non. Argum. C. DE TESTAMENTIS L. SANCIMUS, & C. DE APPELLATIONIBUS L. PRÆCIPIMUS in fine* –. In praxi tamen prævalet ſententia Azonis, ut monet Ferraris ver. *Dominium* art. 3. num. 67. De pingente demum ita ſcribitur ibid. §. 34. – *Si quis in aliena tabula pinxerit, quidam putant tabulam picturæ cedere; aliis videtur, picturam, qualiſcumque ſit, tabulæ cedere. Sed nobis videtur melius eſſe, tabulam picturæ cedere. Ridiculum eſt enim picturam Apellis, vel Parrhaſii in acceſſionem viliſſimæ tabulæ cedere. Unde ſi a Domino tabulæ imaginem poſſidente is, qui pinxit, eam petat, nec ſolvat pretium tabulæ, poterit per exceptionem doli mali ſubmoveri. At ſi is, qui pinxit, eam poſſideat, conſequens eſt, ut utilis actio Domino tabulæ adverſus eum detur: quo caſu ſi non ſolvat impenſam picturæ, poterit per exceptionem doli mali repelli: utique ſi bona fide poſſeſſor fuerit ille, qui picturam impoſuit. Illud enim palam eſt, quod ſive is, qui pinxit, ſubripuit tabulas, ſive alius, competit Domino tabularum furti actio* –. Eo tendit hujuſmodi lex, ut vilius cedat pretioſiori; & iccirco ſi pictura eſſet vilis, pretioſa autem tabula, aurea puta, vel argentea, quiſque videt, quod pictura cederet tabulæ, non tabula picturæ, ut monet Ferraris loco proxime citato num. 68.

Hæc omnia ſupponit Author; & iccirco unice poſtulat, an quis, quia ſeminavit, ſcripſit, vel pinxit, poſſit aliquid recipere. Æquiſſimum eſt ipſius judicium, videlicet quod ſi id egit bona fide Domino ſciente, vel permittente, Dominus teneatur ſatisfacere ex integro. Si autem Domino ignorante, Dominus unice teneatur ad id, in quo factus eſt ditior, aut ei vendere chartas, & tabulas. Ratio primi eſt: quia ſciens vel permittens cenſetur probare quod fit: quia inſuper, ſi id non probabat, monere tenebatur bona fide ſcribentem, pingentem &c. Ratio ſecundi eſt: quia nemo debet locupletari de re alterius, qui culpabiliter non operatur. Melioris conditionis eſſe debet agens bona fide, quam mala fide operans. Operans mala fide oleum & operam perdit, nihil poteſt repetere: & hoc juſta legis punitio eſt; fraus enim nemini ſuffragatur. Ergo ſecus dicendum eſt de agente bonæ fidei; & iccirco jure optimo Inſtitut. *de rerum diviſione* §. 32. – *Cæterum ſicut is, qui in alieno ſolo ædificavit, ſi ab eo Dominus petat ædificium, defendi poteſt per exceptionem doli mali ſecundum ea, quæ diximus: ita ejuſdem exceptionis auxilio tutus eſſe poteſt is, qui alienum fundum ſua impenſa bona fide conſevit.*

Titulum hunc ſuum abſolvit Author inquiens, de aliis titulis, quibus dominium adquiritur, ſe alibi ſatis dixiſſe. Dominium tribus modis adquiritur, jure ſcilicet naturali, ſeu gentium, jure civili & canonico, jure demum particulari. Jure naturali, ſeu gentium adquiritur præſertim

occu-

occupatione , alluvione , ſpecificatione , acceſſione , confuſione &, admixtione : & de his omnibus Author egit titulo præſenti . Jure civili atque Canonico adquiritur potiſſimum præſcriptione , ſeu uſucapione , quæ jure civili fuit inducta , & jnre Canonico confirmata : & de hac egit Author titulo viceſimo ſeptimo proxime præcedenti . Jure particulari demum adquiritur per privatos contractus, emptionis puta, venditionis, donationis, & hujuſmodi : & de his omnibus Author fuſe egit ſuis reſpetive titulis, quos omnes jam congruis annotationibus illuſtravi .

Tricesimus Titulus, qui eſt de Beneficiis, ſeu Præbendis, continet tres Quæſtiones, ſeu tria Dubia.

Primum Dubium. Utrum Clericus, qui habet Beneficium ſine titulo, ſicut ſuſpenſus, vel intruſus, vel qui ſuſpenſus ab homine, aut a Canone, nihilominus recipit Beneficia, vel excommunicatus, vel interdictus, teneatur reſignare Beneficium?

Reſpondet Innocentius, quod ſic, in manu ſcilicet illius, qui poteſt reſignationem ſuam recipere, niſi eſſet in articulo mortis conſtitutus; tunc enim ſufficit, quod reſignatio fiat in manu illius, cui poteſt fieri. Et non ſolum tenetur ad hoc; ſed tenetur inſuper reſtituere fructus perceptos Extra *de renunciatione* cap. *Poſt translationem* §. *Rurſus*. Hoc habeas pro conſtanti, dicit Archidiaconus, quod ſi aliquis contra jus & canonem obtinet Beneficium, puta ſimoniace, vel fraude, vel ſurreptione, non præſcribit ipſum in perpetuum, Extra *de Clerico excommunicato, depoſito, vel interdicto miniſtrante* cap. *Poſtulaſti*. Dicit tamen Hoſtienſis, quod poſſit ſibi retinere vitæ neceſſaria de conſilio Confeſſarii, ita ſolum quod non egeat; alios autem fructus debet in Eccleſiæ utilitatem convertere, vel cuſtodire, cum eos teneatur reſtituere, Extra *de Præbendis* cap. *Dilecto* Concordat Petrus Caſuel. tit. *de renunciatione*.

(260) Beneficium, prout ad præſens ſpectat, definiri recte ſolet — *Jus percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis competens Clerico propter officium ſpirituale* —. In hoc ſenſu acceptum Beneficium, antiquum ipſum non eſt in Dei Eccleſia: vere etenim ſcripſit Bened. XIV. de Synodo Diœceſana lib. 4. cap. 4. num. 1. — *Compertum eſt omnibus in hiſtoria Eccleſiaſtica*

ſiaſtica vel mediocriter verſatis, nomina Beneficiorum, & Præbendarum incognita fuiſſe prioribus Eccleſiæ ſæculis —. Aureo illo Apoſtolorum tempore Apoſtoli & Epiſcopi, quos illi variis in locis conſtituerunt, plenam habebant facultatem diſponendi de oblationibus fidelium, & de cæteris Eccleſiæ bonis; omnia enim erant tunc communia, & diſtribuebantur ſingulis juxta cujuſque indigentiam per Epiſcopos ipſos, vel per Diaconos ipſorum OEconomos, uti ſcriptum eſt Act. 4. v. 32., & ſeq. — *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia..... Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat* —. Laudabilis iſthæc diſciplina, ſeu hæc bonorum communitas non diu viguit inter laicos; viguit tamen per aliquot ſæcula inter Clericos ſub Epiſcopi directione, ac adminiſtratione — *Epiſcopus* (ait Concilium Antiochenum 12. q. 1. cap. 23.) *Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes, qui indigent, cum ſumma reverentia, & timore Dei* —. Et hæc diſciplina adhuc vigebat labente ſæculo Eccleſiæ quinto, novimus enim ita ſanxiſſe Gelaſium Summum Pontificem 12. q. 2. cap. 23. — *Quatuor autem tam de reditu, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet Eccleſiæ facultas admittit, (ſicut dudum rationabiliter eſt decretum) convenit fieri portiones: quarum ſit una Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda. De quibus ſicut Sacerdotis intererit integram miniſtris Eccleſiæ memoratam dependere quantitatem: ſic Clerus ultra delegatam ſibi ſummam nihil inſolenter noverit expetendum. Ea vero, quæ Eccleſiaſticis ædificiis attributa ſunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat inſtauratio manifeſta ſanctorum: quia nefas eſt, ſi ſacris ædibus deſtitutis, in lucrum ſuum Præſul impendia his deputata convertat. Ipſam nihilominus adſcriptam pauperibus portionem, quamquam divinis rationibus ſe diſpenſaſſe monſtraturus eſſe videatur, tamen juxta quod ſcriptum eſt: ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt: oportet etiam præſenti teſtificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri* —. Sed & ipſa ſenſim ſine ſenſu immutata eſt: ineunte enim ſæculo Eccleſiæ ſexto nonnulli Epiſcopi primo ad certum tempus, tum per totam vitam quamdam alicui particulari Clerico conceſſere bonorum Eccleſiæ partem, & demum id conceſſerunt particularibus Clericis in perpetuum. Et quamvis nono circiter Eccleſiæ ſæculo aliqui Epiſcopi zelo prioris diſciplinæ ducti, communem inter Clericos vitam inſtaurare conati ſint, in unum præcipue congregantes Canonicos Eccleſiarum Cathedralium, nihilotamen minus & hoc progreſſu temporis abiit in deſuetudinem: Præbendæ diviſæ ſunt inter Canonicos, alioſque Clericos Eccleſiæ inſervientes & hoc modo plura erecta fuere Beneficia huic & illi particulari Clerico conceſſa.

Beneficium poſtmodum aliud eſt regulare, ſæculare alterum. Primum illud eſt, quod ex ſui fundatione, vel conſuetudine legitime præſcripta ſolis competit Regularibus; & hoc ipſis ſolis conferri poteſt, ita ſtatuente Trid. Synodo ſeſſ. 14. in decreto de reformatione cap. 10. — *Regularia Beneficia in titulum Regularibus profeſſis provideri conſueta, cum per obitum, aut reſignationem, vel alias, illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Religioſis tantum illius Ordinis, vel iis, qui habitum omnino ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur, & non aliis, ne veſtem lino, lanaque contextam induant, conferantur* —. Secundum autem eſt illud, quod econtra ſolis competit Clericis ſæcularibus; & hoc iis ſolis poteſt conferri, ſicuti ſancivit ead. Trid. Synodus ibid. cap. 11. Sæculare hoc Beneficium dividitur in Curatum, & non Curatum, ſeu ſimplex. Curatum dicitur, ſi curam animarum habet adnexam, aut aliquam Sacramentorum adminiſtrationem. Simplex vero vocatur, dum Beneficiarius nulli ex his cenſetur adſtrictus. Beneficium item aliud eſt Electivum, Collativum alterum, alterum Patronatum, ſeu mixtum. Electivum eſt, dum confertur per ſuffragia Clericorum ſive ſæcularium, ſive Regularium, per electionem nempe legitime celebratam, & canonice confirmatam. Collativum vero, dum ſine aliqua prævia capitulari electione, vel præſentatione alicui conceditur per ſolam & liberam Prælati ſuperioris collationem. Patronatum demum eſt, dum ad alicujus Patroni præſentationem alicui Beneficium a Prælato confertur; ſeu dum præſentatio a Patrono facta a Prælato confirmatur, & adprobatur. Beneficium tandem aliud dicitur in titulum, aliud commendatum. In titulum vocatur, ſi poſſideatur a titulari, ſeu habente titulum. Vocatur autem commendatum, ſi Beneficium, tametſi ſuapte natura regulare, a Summo Pontifice Clerico ſæculari confertur, qui Clericus in caſu potius eſt adminiſtrator, quam titularis. Qui accipit Eccleſiam in commendam, ſeu cuſtodiam, dicitur Commendatarius, & ſi eandem accipiat in perpetuum, ſicuti noſtra hac ætate commendæ communiter conferri ſolent, vere & proprie Beneficiarius eſt, & commenda in hoc caſu verum eſt, propriumque Beneficium. Adde Beneficium Conciſtoriale, illud nempe, quod iis, qui a Rege nominantur, confertur a Summo Pontifice in Conciſtorio Cardinalium.

Ut quis capax ſit Beneficii requiritur. Primo, quod ſit ex legitimo matrimonio procreatus; illegitimi enim ſunt incapaces ob irregularitatem, a qua quoad ordines minores, & Beneficium ſimplex diſpenſari poſſunt ab Epiſcopo, quoad majores autem, & Beneficia curata, a ſolo Romano Pontifice, textu expreſſo *de filiis Presbyterorum* in Sexto cap. 1. — *Is, qui defectum patitur natalium, ex diſpenſatione Epiſcopi licite poteſt, ſi ei aliud canonicum non obſiſtat, ad Ordines promoveri minores, & obtinere Beneficium, cui cura non imminet animarum: dummodo ſit tale, ſuper quo per ipſum Epiſcopum valeat diſpenſari. Ad ordines quoque majores, vel Be-*

nefi-

neficia curam animarum habentia, ſuper quibus nequit Epiſcopus diſpenſare, ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ promoveri non poteſt –. Secundo, quod ſit Clericus prima tonſura initiatus – *Cum Laici non debeant in Canonicorum numero computari* –, ſicuti ſcriptum eſt Extra *de Inſtitutionibus* cap. 2. Ratio eſt, quia Beneficium fundatur in officio ſpirituali, cujus officii Laicus eſt incapax. Nec ſufficit, quod quis tonſuretur poſt collationem Beneficii; immo collatio ſic peracta nulla eſt, & irrita, ſicuti definitum fuit Extra *de tranſlationibus* cap. 6.: niſi peculiari fiat inſtinctu Spiritus Sancti, ſicuti contigit in electione S. Ambroſii: vel niſi Summus Pontifex juſta de cauſa cum aliquo diſpenſaverit. Tertio, quod ſit in ætate idonea conſtitutus, quia ut appoſite Alex. III. Extra *de ætate & qualitate præficiendorum* cap. 3. – *Indecorum eſt, ut hi debeant Eccleſias regere, qui non noverunt gubernare ſeipſos: cum ad Eccleſiarum regimen tales perſonæ ſint admittendæ, quæ diſcretione præemineant, & morum fulgeant honeſtate* –. Pro Summo Pontifice nulla ætas fuit determinata, tametſi maxime congruat, ut eligendus maturæ ſit ætatis; & iccirco electio non eſſet invalida, ſi juvenis eligeretur, dummodo haberet uſum rationis, quum reipſa electus fuerit Joannes XI. annos natus duodeviginti, Joannes XII. annorum tantum ſexdecim, & Benedictus IX. decem annorum puer. Pro Cardinalibus Epiſcopis & Præſbyteris eadem ætas requiritur, quæ præfixa eſt pro Epiſcoporum electione, triginta ſcilicet annorum, ut dicam infra; id enim ſancitum lego in Synodo Trid. ſeſſ. 24. in decreto de reformatione cap. 1. – *Ea vero omnia & ſingula, quæ de Epiſcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & cæteris qualitatibus alias in eadem Synodo conſtituta ſunt, decernit eadem etiam in creatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, etiamſi Diaconi ſint, exigenda* –. Id tamen quoad Cardinales Diaconos moderatus eſt Sixtus V. Conſtitut. incip. *Poſtquam*, in cujus §. 6. ita legitur – *Neque poſthac quiſpiam in Diaconum Cardinalem aſſumi poſſit, niſi ſaltem in vigeſimo ſecundo ſuæ ætatis anno fuerit conſtitutus, ita ut omnino intra annum ad ſacrum Diaconatus Ordinem valeat, & debeat promoveri; alioquin ſi anno elapſo ad ipſum Diaconatus Ordinem promotus non fuerit, eo ipſo tam in Conſiſtorialibus, ac omnibus aliis actibus, & negotiis Cardinalitiis, quam etiam juxta Conſtitutionem fel. record. Pii IV. Prædeceſſoris noſtri ſuper reform. Conclavis editam in electione Romani Pontificis voce activa & paſſiva omnino careat, ac privatus exiſtat* –. Pro eligendis in Epiſcopos, aut Archiepiſcopos neceſſaria eſt ætas triginta annorum, ut nuper dixi, textu expreſſo Extra *de electione & electi poteſtate* cap. 7. ſub initio, quod eſt Alex. III. in Conc. Lateran. 3. – *Præſenti decreto ſtatuimus, ut nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui jam trigeſimum annum ætatis exegerit* –. Excipe nationes, in quibus Summus Pontifex per concordata aliter indulſit; notum enim omnibus eſt Leonem X. in Conc. Lateran. 5. ſeſſ. 11. indulſiſſe Gallis, ut qui annum inchoavit vigeſimum ſe-

Oooo 2 pti-

ptimum eligi poſſit in Epiſcopum. En verba Concilii — *Statuimus & ordinamus, quod Rex Franciæ unum gravem magiſtrum in vigeſimo ſeptimo ſuæ ætatis anno ad minus conſtitutum, nobis, & Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus nominare poſſit* —. Minorem ætatem expoſtulant Beneficia curata: nam pro his conſequendis ſufficit annus vigeſimus quintus incœptus, ut ſancivit Alex. III. cap. 7. modo citato §. 2. — *Inferiora autem miniſteria, ut puta Decanatum, Archidiaconatum, & alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino ſuſcipiat, ſed nec Parochialis Eccleſiæ regimen, niſi qui jam vigeſimum quintum annum ætatis attigerit* —: quod confirmavit Synodus Trid. ſeſſ. 24. in decreto de reformatione cap. 12. — *Nemo igitur deinceps ad dignitates quaſcumque, quibus animarum cura ſubeſt, promoveatur, niſi qui ſaltem vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum attigerit, & in Clericali ordine verſatus, doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, ac morum integritate commendetur juxta Conſtitut. Alex. III. in Concilio Lateranenſi promulgatam, quæ incipit: Cum in cunctis* —. Minorem pariter cæteræ dignitates in Eccleſiis Cathedralibus, vel Perſonatus, quibus nulla incumbit animarum cura: quum iidem Tridentini Patres ibidem ſubdant — *Ad cæteras autem dignitates, vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores, adſciſcantur* —. Viginti, inquam, duobus annis completis, & non duntaxat inceptis, ſicuti cenſuit Sacra Congr. Concilii an. 1631. die 20. Septembris inquiens — *Dignitatem in Eccleſia Cathedrali non habentem animarum curam non poſſe conferri, niſi ei, qui habuerit 22. annos completos, & Epiſcopum non poſſe diſpenſare* —. Dixi in Eccleſiis Cathedralibus: nam ſi ſermo ſit de iiſdem dignitatibus obtinendis in Eccleſiis Collegiatis, Doctores inter ſe non conveniunt in neceſſaria ætate conſtituenda: aliis contendentibus, quod requiratur annus itidem viceſimus ſecundus: ſcribentibus aliis, quod ſufficiat annus quartus decimus: quia de Eccleſiis Cathedralibus loquitur Trid. Synodus, non autem de Collegiatis. Pro Canonicatibus in Eccleſiis Cathedralibus requiritur illa ætas, quam exigit Ordo Canonicatus, in iis enim Canonicatus debent diſtribui per ordines ſacros juxta formam a Trid. Patribus ſancitam eod. cap. 12. in Decreto de reformat. ſeſſ. 24. — *In omnibus vero Eccleſiis Cathedralibus omnes Canonicatus, ac portiones habeant annexum ordinem Præsbyterii, Diaconatus, vel Subdiaconatus. Epiſcopus autem cum Conſilio Capituli deſignet, ac diſtribuat, prout viderit expedire, quibus quiſque Ordo ex ſacris annexus in poſterum eſſe debeat: ita tamen ut dimidia ſaltem pars Præsbyteri ſint, cæteri vero Diaconi aut Subdiaconi. Ubi vero conſuetudo laudabilior habet, ut plures vel omnes ſint Præsbyteri, omnino obſervetur* —. Et quia iidem Trid. Patres nihil expreſſe conſtituerunt pro Canonicatibus in Eccleſiis Collegiatis; iccirco pro iſtis obtinendis ſufficit ætas 14. annorum, niſi aliter cautum ſit in fundatione Canonicatus, vel aliter conſuetudo alicujus Eccleſiæ poſtulet.

Digitized by Google

let. Sufficit item pro conſequendo Beneficio ſimplici, uti perſpicue idem Concilium Trid. ſeſſ. 23. de reformat. cap. 6. -- *Nullus prima tenſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus ante decimum quartum annum Beneficium poſſit obtinere* --. Immo ſi fundator Beneficii ſimplicis idoneum in fundatione dixiſſet, & voluiſſet Clericum quidem tonſuratum, ſed minorem annis 14.: nil obſtaret quia eligi poſſet junior, etiam ſeptem annorum, & non amplius, ſicuti decrevit S. Congregatio Concilii, id teſtante Sacra Rota Romana in Monopolitana Beneficii, ſeu Capellaniæ 6. Junii 1622. Quarto, quod non ſit matrimonio ligatus, ut perſpicue Alex. III. Extra *de Clericis conjugatis* cap. 2. -- *Provideas attentius, ne deinceps Clericus conjugatus ad Eccleſiaſtica Beneficia, vel Sacros Ordines, aut adminiſtrationes Eccleſiaſticas admittatur: niſi forte caſtitatem voveret perpetuam, & qui unicam, & virginem habuiſſet uxorem* --. Immo ſi Clericus habens Beneficium, poſtmodum contrahat matrimonium, ſtatim amittit Beneficium, ſicuti ſancivit idem Alex. III. ibid. cap. 1. -- *Si qui Clericorum infra Subdiaconatum acceperit uxores, ipſos ad relinquenda Beneficia Eccleſiaſtica, & retinendas uxores, diſtrictione Eccleſiaſtica compellatis* --. Rationem adfert idem Summus Pontifex ibi cap. 3. -- *Utrum Clerici infra Subdiaconatus Ordinem conſtituti, qui continere carnis devicti vitio non valentes, uxores accipiunt, Eccleſiaſtico Beneficio canonice debeant ſpoliari. Id volumus te tenere, quod cum ſimul voluptatibus, & carnalibus deſideriis, ac divinis & Eccleſiaſticis obſequiis vacare non valeant, ob immunditiam ſuam Eccleſiaſticis Sacramentis indigni tractandis, Eccleſiaſticis Beneficiis procul dubio ſunt privandi* --. Conditionibus jam expoſitis adde ſcientiam ſufficientem, morum probitatem, corporis aptitudinem, & quod, ſi quis promotus nondum eſt ad Ordinem, quem natura Beneficii expoſtulat, intra annum promoveatur. Hæc omnia complectitur Greg. X. *de electione* in Sexto cap. 14. -- *Præſenti decreto ſtatuimus, ut nullus ad regimen Parochialis Eccleſiæ aſſumatur, niſi ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate: decernentes collationes de parochialibus Eccleſiis, iis, qui non attigerint 25. annum, de cætero faciendas viribus omnino carere. Is etiam, qui ad hujuſmodi regimen aſſumetur, ut Gregis ſibi crediti diligentius curam gerere poſſit, in parochiali Eccleſia, cujus Rector extiterit, reſidere perſonaliter teneatur: & intra annum a ſibi commiſſi regiminis tempore numerandum ſe faciat ad Sacerdotium promoveri. Quod ſi intra idem tempus promotus non fuerit, Eccleſia ſibi commiſſa, nulla etiam præmiſſa monitione, ſit præſentis Conſtitutionis auctoritate privatus. Super reſidentia vero, ut præmittitur, facienda, poſſit Ordinarius gratiam diſpenſationis ad tempus facere, prout cauſa rationabilis id expoſcit.*

Hiſce præhabitis deſcendo ad caſum Authoris in eo poſitum, quod Clericus habens Beneficium ſine titulo, intruſus nempe, aut aliqua cenſura ligatus, teneatur ipſum reſignare, ſeu dimittere, & inſuper reſtituere

tuere fructus perceptos. Id in hunc modum oſtendo. Ex Regula prima Juris in Sexto – *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione canonica obtineri* –. Atqui intruſus, aut cenſura ligatus, canonice inſtitutus non eſt Beneficiarius. Ergo non poteſt Beneficium licite obtinere, & per conſequens tenetur ipſum dimittere. Major adeo certa eſt, nihil ut magis; quum enim Beneficium, de quo agitur, ſit jus percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis, dubio procul Eccleſiæ auctoritas requiritur, eligendo, confirmando, vel approbando, ut quis dicatur canonice inſtitutus in Beneficiarium. Minor igitur probatur. Tantum abeſt, ut Eccleſia probet collationem Beneficii factam in favorem alicujus cenſura ligati; quin potius eandem omnino improbat tamquam non canonice peractam. En textum expreſſum, ſi Beneficium conferatur excommunicato, Extra *de Clerico excommunicato .... miniſtrante* cap. 7., quod eſt Inno. III. – *Clericis excommunicationis vinculo innodatis Eccleſiaſtica Beneficia conferri non poſſunt, nec illi valent ea retinere licite, niſi forſitan cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum, cum ea non fuerint canonice conſecuti* –. En textum pariter expreſſum, dum Beneficium confertur Clerico ſuſpenſo, Extra *de ætate & qualitate* &c. cap. 8., quod eſt Cœleſtini III. – *Cum bonæ memoriæ Clemens Papa Prædeceſſor noſter I. Buccarum, & quoſdam alios Bran. Clericos vocaviſſet, ut ad præſentiam ipſius accederent, H. Archidiacono ſuo, quem graviter læſerant, reſponſuri: quia venire juxta mandatum Apoſtolicum contempſerunt, in eos fecit ſententiam ſuſpenſionis promulgari, in qua triennio permanentes, quidam ex ipſis ſuſpenſi, aliud Beneficium Eccleſiaſticum ſunt adepti. Et quia utrum Beneficia ſic recepta poſſint rationabiliter retinere nos conſulere voluiſti: reſpondemus, quod non licet eis illa, quæ habuerunt Beneficia, vel quæ poſtmodum ſunt adepti, aliquatenus retinere. Unde Barangnn. Archiepiſcopo dedimus in mandatis, ut eos pro tanta pertinacia, & contemptu Apoſtolico, Beneficiis, quæ habent, non differat ſpoliare* –. Idem definivit Inno. III. Extra *de conſuetudine* cap. 8. – *Quia nobis conſtitit electionem ipſam a ſuſpenſis, & de ſuſpenſo etiam celebratam, eam juſtitia caſſavimus exigente* –. Ratio eſt: quia cenſura primario privat hominem quibuſdam bonis ſpiritualibus Eccleſiæ diſpenſationi commiſſis. Quod dixi de Clerico cenſura ligato, idem dicas de Clerico irregulari, ſicuti ſancivit Bonifacius VIII. cap. 18. *de ſententia excomm.* in Sexto – *Is vero, qui ſcienter in loco celebrat ſuppoſito interdicto (niſi ſuper hoc privilegiatus exiſtat, aut a jure ſit conceſſum eidem) irregularitatem incurrit, a qua nequit per alium, quam per Romanum Pontificem liberari, & adeo efficitur ineligibilis, quod nec ad eligendum cum aliis debebit admitti* –. Ratio eſt: quia Beneficium datur propter officium ſpirituale, & ad hoc ex ſe ordinatur. Irregularis inhabilis eſt ad officia ſpiritualia exercenda ex ipſa definitione irregularitatis, quod nempe ſit impedimentum canonicum, quo prohibetur ſuſceptio ordinum, & horum exercitium. Inhabilis igitur etiam

eſt

Digitized by Google

eſt ad Beneficia recipienda. Addo, quod hoc locum habet, tametſi cenſura occulta ſit, occulta ſit irregularitas: quia ignorantia invincibilis excuſat quidem a culpa, non tamen facit actum validum, qui alias erat invalidus, quum actus nequeat eſſe validus, niſi habeat omnia requiſita ad valorem ipſius. Et iccirco ut occurratur nullitati, quæ reperiri poſſet ob aliquod impedimentum occultum, uſus Curiæ eſt, quod in Literis Pontificiis apponatur abſolutio a cenſura, & irregularitate ad effectum obtinendum, ſeu ad eum effectum, pro quo traduntur Litteræ Pontificiæ, ſi qua electus innodatus exiſtat. Scias tamen volo, non omnem cenſuram reddere electionem nullam, & invalidam; quoniam ſi electus duntaxat eſſet excommunicatione minori ligatus, ejus electio unice eſſet irritanda, ut ſancivit Greg. IX. Extra *de Clerico excommunicato &c. miniſtrante* cap. ult. -- *Si celebrat minore excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione juriſdictionis ſibi competunt, exercere. Si tamen ſcienter talis electus fuerit, ejus electio eſt irritanda, pro eo quod ad ſuſceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a Sanctis Patribus eſt privatus* --. In hoc igitur caſu electio non eſt ipſo jure irrita, quum hoc nullibi reperiatur expreſſum, uti teſtatur Lucius Ferraris ver. *Beneficium* art. 5. num. 71. poſt Barboſam in cap. nunc recitatum.

Dicebam cum Authore, quod ſic electus tenetur inſuper fructus perceptos reſtituere. Id clare etiam docuit S. Antoninus part. 3. tit. 15. cap. 1. §. 2. ſcribens -- *Nota primo, quod* (Beneficium) *aliud eſt ſimplex, quod ſcilicet non habet curam animarum: aliud curatum, quod ſcilicet habet curam animarum. Dicit autem regula juris in 6. de regulis juris, quod Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt ſine inſtitutione canonica poſſideri. Pertinet autem ad Inſtitutionem canonicam, ut non ſolum conferatur ab eo, qui de jure poteſt conferre, puta Prælato Eccleſiaſtico non Domino temporali, ut faciunt quotidie tyranni: ſed etiam quod per modum debitum, & juridicum, non per ſimoniam, & hujuſmodi, ei ſcilicet qui ſit habilis ad hoc, puta ut non ſit irregularis, vel infra legitimam ætatem, & hujuſmodi; alias quando injuſte tenet Beneficium, ut per intruſionem, vel per ſimoniam, vel quia alias inhabilis, talis ſecundum Raymundum, cum non intret per oſtium, eſt fur, & latro, nec habet viam ſalutis niſi reſignando: vel ſi eſt diſpenſabile ſuum impedimentum, petat diſpenſationem ab eo, qui poteſt: & ſi non poſſet obtinere, oportet quod omnino dimittat, & in utroque caſu agat pœnitentiam de peccato commiſſo; & fructus perceptos tenetur reſtituere, niſi ſibi remittantur a Superioribus* --. Ratio eſt in promptu: quia retinet alienum contra voluntatem Domini; non enim Eccleſiæ voluntas eſt, quod tales perſonæ eligantur, dum notum eſt omnibus, Eccleſiam immo vetare ſimiles electiones, eaſque declarare nullas, irritas, invalidas, tamquam ſi non fuiſſent peractæ. Qui porro retinet alienum contra voluntatem Domini,

Digitized by Google

mini, injuſtus detentor ipſe eſt. Injuſta autem detentio una eſt ex potioribus radicibus reſtitutionis; & iccirco jure optimo Inſtitut. *de rerum diviſione* §. 35. -- *Ei vero, qui alienum fundum ſciens poſſederit, non idem conceſſum eſt. Itaque cum fundo etiam fructus, licet conſumpti ſint, cogitur reſtituere.*

Author idem ſtatuit, & merito, de intruſo in Beneficium. Intruſus dicitur, qui obtinet Beneficium Eccleſiaſticum ſine auctoritate illius, ad quem de jure ſpectat collatio. Item ille, qui vi occupat Beneficium, & hic non ſolum dicitur intruſus, ſed etiam invaſor. Item qui a Superiore publice excommunicato, vel ſuſpenſo ab officio, aut alias poteſtate conferendi notorie privato, Beneficium adeptus eſt, illudque recepit. Item qui ſcienter recepit Beneficium, quod injuſte fuit alteri ablatum. Item qui Beneficium adhuc retinet, poſtquam ab ipſo canonice fuit amotus per privationis, vel depoſitionis ſententiam, a qua non appellavit, & ſic ſententia tranſiit in rem judicatam. Item aliis modis benemultis, quos videre potes apud eos, qui hac de re agunt ex profeſſo. De hoc intruſo ſcribit Anacletus lib. 2. Decretal. tit. 5. §. 17. num. 527. -- Intruſio in Beneficiis inter alios effectus etiam hunc habet, quod Clericum ſcienter intruſum conſtituat malæ fidei poſſeſſorem; adeoque iſte teneatur omnino cedere, vel potius recedere a Beneficio, ejuſque poſſeſſionem facto relinquere, fructuſque Beneficii utpote male perceptos reſtituere. Ita Gloſſa *in* cap. *Niſi cum pridem* verſ. *ſed duntaxat*, *de Renunciatione* inter alia dicens -- *Satis poſſet hic dici, quod intruſus omnino debet cedere: quia nec quantum ad opinionem, nec quantum ad veritatem titulum habet* --. Idipſum tradit Abbas in citat. cap. *Niſi cum pridem* num. 6., & Baldus num. 1., & Fagnanus ibi num. 27. 28. 40. & ſeq. citans alios. Cum hoc tamen diſcrimine, ut, ſi intruſio ſit notoria, debeat, ac poſſit quis cedere abſque alia Superioris licentia; ſi vero non ſit notoria, requiratur ad hoc auctoritas Superioris -- Hactenus ille. Sapienter iccirco Clemens VII. in Conſtitutione declaratoria Concordatorum Germaniæ an. edita 1534., quæ incipit *Admonet nos*, loquens de illis, qui Beneficia obtinent contra formam talium Concordatorum, quæ firmata ſunt, & ſancita inter Nicolaum V., & Federicum III. an. 1447., quæ videre potes apud Lucium Ferraris ver. *Beneficium* art. 11. num. 3., §. 2. inquit -- *Declaramus prætenſas collationes, & alias diſpoſitiones de quibuſcumque Beneficiis Eccleſiaſticis cum cura, & ſine cura Nobis, & dictæ Sedi, ut præfertur, reſervatis . . . . contra tenorem & formam dictorum Concordatorum quomodolibet factas, vel in poſterum faciendas perſonis, quibus, aut in quorum favorem factæ ſunt, aut in poſterum fient, niſi ſint per Nos, aut noſtra, vel dictæ Sedis auctoritate approbatæ, nullum titulum vel colorem ipſa Beneficia poſſidendi tribuiſſe, aut in futurum tribuere; ſed illos pro malæ fidei poſſeſſoribus, & mere intruſis ab omnibus haberi, vel cenſeri, ac fructus per eos ex Beneficiis hujuſmo-*

di

Digitized by Google

ſi perceptos, & percipiendos, nullo unquam tempore ſuos facere, ſed ad illorum reſtitutionem in utroque foro efficaciter obligatos eſſe, & ad illorum reſtitutionem ad eorum, quorum intereſt, ſeu etiam Fiſci noſtri in ſententiam omnibus viis Juris, & facti remediis compelli poſſe, & debere, & eos nullo unquam tempore Beneficio Regularum de Annali & Triennali pacifici poſſeſſore gaudere potuiſſe, ac poſſe.

Ait Author, quod reſignatio debet fieri in manu illius, qui poteſt recipere reſignationem, in manu ſcilicet ſui legitimi Superioris Eccleſiaſtici, textu expreſſo Extra *de Renunciatione* cap. 4., quod eſt Alex. III. – *Univerſis perſonis tui Epiſcopatus ſub diſtrictione prohibeas, ne Eccleſias tuæ Diœceſis ad ordinationem tuam pertinentes abſque aſſenſu tuo intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere inconſulto* –: quia reſignatio facta in manu Laici, cujuſcumque conditionis is ſit, nulla eſt, nullamque habet firmitatem, textu pariter expreſſo ibid. cap. 8., quod eſt Inno. III. – *Hi præterea, qui Beneficium Eccleſiaſticum ſibi collatum ſponte in manum laicam reſignantes, illud denuo a Laico ſuſceperunt, eodem ſunt Beneficio ſpoliandi, licet reſignatio talium facta Laico nullam obtineat firmitatem* –. Excipe caſum, in quo Laicus ex privilegio Apoſtolico haberet jus conferendi Beneficia, eorumque reſignationes recipiendi. Super reſignatione Beneficiorum celebris eſt Conſtitutio S. Pii V. incip. *Quanta Eccleſiæ Dei*, anno vulgata 1568. Kal. Aprilis, in cujus §. 5. hæc leguntur – *Ceterum præcipimus, atque interdicimus, ne ipſi Epiſcopi, aut alii collatores de Beneficiis, & Officiis reſignandis prædictis, aut ſuis, aut admittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant providere. Quod ſi ſecus, ac etiam quicquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit a quocumque temere attentatum, id totum ex nunc vires, & effectum decernimus non habere* –. Scias tamen volo, Bullam hanc Pianam prohibentem collationem conſanguineis, affinibus, & familiaribus, locum ſibi non vindicare quoad Beneficia, quæ reſignantur ex cauſa permutationis: quia in hac reſignationis ſpecie totum operatur conſenſus permutantium, & Ordinarius recognita actus validitate ſuum duntaxat conſenſum, & auctoritatem interponit, ſicuti deciſum eſſe novimus a Rota in Leodien. Scholaſticæ 3. Julii 1748. §. 14. coram bonæ mem. Matthejo, & perſpicue Bened. XIV. de Synodo Diœceſ. lib. 13. cap. 24. num. 9. – *Permutationes Beneficiorum non complectitur Bulla S. Pii V.* –. Scias item volo, in verbis ejuſdem Conſtitut. nunc citatis Typographi errore ſcriptum eſſe – *admittentium conſanguineis*, dum ſcribi debebat *dimittentium*. Id probavit Bened. XIV. de Synodo Diœceſ. ibidem ſcribens – In editionibus memoratæ Conſtitut. S. Pii V. incipientis, uti dictum eſt, *Quanta* hæc leguntur verba – *Ceterum præcipimus* ..... ubi deprehenditur ſane manifeſtus Typographi error: neque enim legendum eſt *admittentium conſanguineis*, ſed utique *dimittentium conſanguineis*, uti optime notavit

Fagnanus in cap. *Non ſine* num. 45. *de arbitris*, & latius perſequitur doctus Præſul Marcellus Severolus, quem tum honoris cauſa, tum amoris, quo illum, dum viveret, proſecuti fuimus, libenter hic nominamus. Videatur ipſius allegatio typis edita, quæ eſt ordine trigeſima inter allegationes Hieronymi Palma junioris ante num. 1. Juvat & illud animadvertere, in ſeptimo Decretalium Libro, qui ſub Pontifice Clem. VIII. in publicam lucem emittendus erat, ſed ut alibi diximus, ideo evulgatus non fuit, quia, cum in ipſum identidem inſerta fuerint Trid. Concilii Decreta, ſicuti prohiberi non poterant Canoniſtæ, quin ea interpretarentur, ita aditus patefactus fuiſſet violandæ Summi Pontificis Pii IV. Conſtitutioni, qua vetantur privati homines ſacrum Trid. Concilium commentari, atque interpretari, cum id ſacræ Cardinalium Congregationi ejuſdem Concilii Interpreti privative ſit reſervatum: in hoc (inquam) ſeptimo Decretal. Libro cap. 1. *de Renuntiatione* animadvertere juvat inſertam S. Pii V. Bullam, in qua verbo *Admittentium* ſubſtitutum legitur *dimittentium* —. Hactenus Summus Pontifex. Scias demum volo, memoratam S. Pii V. prohibitionem locum etiam non habere in reſignatione Beneficiorum, quæ ſunt de jure patronatus, quæque conferri debent iis, qui offeruntur a Patronis. Ita declaravit Greg. XIII., uti refert Pirrus Corradus prax. Benefic. lib. 5. cap. 1. num. 50. ſcribens -- *Nos Hieronymus tituli S. Pancratii S. R. E. Presbyter Cardinalis Matthejus fidem facimus, & atteſtamur in Libris Sacr. Congr. Concilii, qui apud Nos aſſervantur, adnotatum eſſe, quod fel. record. Greg. XIII. declaravit Beneficia juris patronatus non comprehendi in §. CÆTERUM contento in Conſtitut. ſan. memor. Pii V. relaxante prohibitionem de non admittendis reſignationibus, quo §. prohibentur Epiſcopi Beneficia in eorum manibus reſignata, eorum, aut reſignantium affinibus, conſanguineis, vel familiaribus conferre* --. Candide tamen fateor hujuſmodi Conſtitutionem ubique non eſſe moribus uſuque receptam, uti teſtatur Zipaeus in Analyſi *de Renunsiatione* num. 1.; non enim, teſte Garcia de Benefic. part. 11. cap. 3. num. 270., recepta eſt in Hiſpania: & an in Germania recepta ſit, conſulere potes Cardinalem de Luca de Benefic. diſcurſ. 65. per totum.

Ait demum Author, quod ſic reſignans Beneficium poteſt de conſilio Confeſſarii, uti docet Hoſtienſis, retinere ſibi neceſſaria vitæ quantum ſufficit ut non egeat. Indulgendum Hoſtienſi eſt, qui ſcripſit ante Conſtitutionem Pii IV., quæ incipit *Romanum Pontificem* anno latam 1564. Kal. Novembris, & Conſtitutionem Pii V. incip. *Intolerabilis* latam an. 1569. Kal. Junii. In hiſce duabus Conſtitutionibus vetantur omnino reſignationes Beneficiorum cum reſervatione penſionis in pecunia, vel fructibus. Immo talis reſignatio vocatur Simonia confidentialis. Accipe verba S. Pii V. in ead. Conſtitut. §. 3. -- *Quare nos volentes periculoſam talium audaciam novi juris ſubſidio cohibere, præſentium auctoritate ſtatuimus. Ut ſi quis qua-*

cum-

Google

cumque auctoritate Eccleſiam, vel Monaſterium, aut alìud Beneficium Eccleſiaſticum qualecumque ex reſignatione, vel ceſſione cujuſcumque perſonæ ſimpliciter, aut cum circuitu retroceſſionis, cum regreſſu, vel acceſſu, etiam ſola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regreſſus, vel acceſſus eidem dimittatur, vel alteri poſtea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel penſiones ſolvantur, ex eiſdem hæc confidentia cenſeatur —. Beneficia conferri debent, & reſignari abſque aliqua diminutione, reſervatione, exceptione, uti peroptime Inno. III. Extra *Ut Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione conferantur* cap. unico — *Non licuit ex pactione, vel conventione quacumque ſub modo vel tenore præſcripto concedere nudum officium, & tibi retinere proventus: cum in Lateranenſi Concilio prohibitum ſit, ne quis conferendo Eccleſiaſticum Beneficium partem proventuum ſuis uſibus retinere præſumat: & alibi cautum reperiatur in Canone, quod Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione debent conferri* —. Concinit Trid. Synodus ſeſſ. 24. in decreto de reformatione cap. 17. loquens de illis, qui Beneficia dimittere debent — *Nec ipſi antea illa obtinentes, tuta conſcientia fructus poſt dictum tempus retineant* —. Ingenue tamen fateor ſuper hac re, quæ juris Eccleſiaſtici duntaxat eſt, diſpenſare poſſe Summum Pontificem — *Qui ſecundum plenitudinem poteſtatis de jure poſſumus ſupra jus diſpenſare* —, ait Inno. III. Extra *de conceſſione Præbendæ* cap. 4. Imo, ut id fiat a Summis Pontificibus in quibuſdam caſibus reſignationis, etiam atque etiam optat Trid. Synodus loco proxime citato inquiens — *Optat autem ſancta Synodus, ut reſignantium neceſſitatibus commoda aliqua ratione, prout Summo Pontifici videbitur, provideatur* —. Aſt id fieri ab alio, quam a Romano Pontifice omnino prohibetur. Et præſertim in caſu, de quo Hoſtienſis, dum videlicet quis ſcienter intruditur, vel ſciens ſe eſſe ſuſpenſum, excommunicatum &c., Beneficium recipit. Is dubio procul ſcienter occupat, & retinet alienum. Æquum igitur non eſt, ut reportet commodum ex iniquitate ſua. Et ſi reſignando eget, merito hoc patitur. Hæc tamen dicta ſunt ſalvo meliori judicio.

Secundum Dubium. Utrum Clerici vel Prælati male utentes Præbendis, & Beneficiis Eccleſiaſticis, teneantur?

Reſpondeo, quod ſi ipſis abutuntur in meretricibus, aut hiſtrionibus, vel ut ipſorum parentes incedant cum pompis, alta ſponſalia contrahant ultra convenientiam, & ſtatum ipſorum: dicuntur hi fures, & tenentur reſtituere Extra *de electione* cap. *Quod ſicut*: nam res Eccleſiaſticæ pauperum ſunt, & pauperibus debentur, 12. q. 2. cap. *Glo-*

ria Epiſcopi, & 14. q. 6. cap. *Si res*. Si is habet peculium caſtrenſe, vel quaſi, aut adventitium ex paterna, vel materna ſucceſſione, quibus ſuccedit uſque ad quartum gradum, authent. *Licentiam* C. *de Epiſcopis & Clericis*, aut habet aliquid artificio ſuo comparatum: cum hæc omnia ſua ſint, de quibus poteſt ipſe diſponere, & teſtari, cap. *Relatum* & cap. *Tua nobis* Extra *de teſtamentis*, & in titulo *de ſucceſſionibus ab inteſtato*, & 12. q. 5. cap. *Fixum*: tenetur de hujuſmodi Eccleſiæ ſatisfacere, & ſi de hujuſmodi aliquid in Eccleſiæ neceſſitatem expendit, poteſt medio hoc compenſare quod debet Eccleſiæ. Si autem nihil habet de prædictis, vel duntaxat habet peculium profectitium ipſi proveniens ratione Præbendæ, vel ipſi traditum intuitu Eccleſiæ: cum talia ſint Eccleſiæ, Extra *de peculio Clericorum* cap. 1. & 2.; ſicut de ipſis non poteſt diſponere pro libito, quia, ſi res mobiles ſunt, tenetur ſuperfluum victui pauperibus erogare, Extra *de teſtamentis* cap. *Relatum eſt auribus noſtris*, ſic non poteſt cum eis compenſare Eccleſiæ quod debet. Doleat igitur in hoc caſu, & proponat ſatisfacere pro poſſe.

(261) Rem hanc fuſe & docte more ſuo exponit S. Antoninus part. 3. tit. 15. cap. 1. §. 19. ſcribens — De bonis, ſeu fructibus Beneficiorum, quæ dant Clerici conſanguineis, vel perſonis turpibus. Utrum in dando peccent, & an teneantur ad reſtitutionem? Super hoc dicit Raymundus, quod Clerici, qui conſanguineis potentibus, vel meretricibus, & hiſtrionibus, & ſimilibus bona Eccleſiaſtica pauperibus debita tribuunt, raptores ſunt: quia quicquid Clerici habent pauperum eſt, dicit Hieronymus 16. q. 1. cap. finali. Nam pauperibus debentur; unde ad reſtitutionem tenentur omnium pauperibus, vel in utilitatem Eccleſiæ 12. q. cap. *Gloria*, & cap. *Et ſi illi*: & peccant mortaliter non ſolum, qui pauperibus ſubtrahunt, ſed quando turpibus perſonis tribuunt 86. diſt. *Qui venatoribus*, & cap. *Donare*. Et quod dictum eſt de conſanguineis intelligendum eſt, quando datur eis non ut pauperibus, ſed ultra ſtatum conditionis eorum ſecundum Guillelmum. Arg. 86. diſt. *Non ſatis* verſ. *Eſt & alia*. Idem videtur ſentire Thomas 2. 2. q. 185.; dicit enim loquens de Epiſcopis, quod ſi ſint diſtincta bona, quæ debentur in uſum Eccleſiæ, ab his, quæ ſunt

ſunt pauperibus eroganda, & miniſtris, & Epiſcopus aliquid ſibi retinuerit de his, quæ eroganda ſunt pauperibus, vel in uſum miniſtrorum, vel cultum divinum expendenda: non eſt dubium, quin mortaliter peccat, & ad reſtitutionem tenetur. De his vero, quæ ſunt ſpecialiter uſui ſuo deputata, peccat ſi immoderate ſibi retineat, & aliis non ſubveniat, ut requirit debitum charitatis; non tamen tenetur ad reſtitutionem. Si vero prædicta bona non ſunt diſtincta, eorum diſtributio fidei ejus committitur. Et ſi quidem deficiat in modico, vel ſuperabundet, poteſt hoc fieri abſque bonæ fidei detrimento: quia non poteſt homo punctualiter accipere in talibus illud, quod fieri oportet. Si vero ſit multus exceſſus, latere non poteſt; unde videtur bonæ fidei repugnare; ideo non eſt abſque peccato mortali. Idem judicium eſt de bonis aliorum Clericorum, ut ponit idem Thomas in quodam Quodlibeto. Petrus vero de Palude in 4. diſt. 24. q. 3. dicit, quod quidam dicunt, quod illud, quod Clerici in malos uſus conſumunt de patrimonio Jeſu Chriſti, non tenentur reſtituere de proprio: quia ſunt Domini ejus, quod percipiunt; aliter teſtari non poſſent. In re autem propria quilibet eſt moderator, & arbiter, ut patet. Arg. etiam ad hoc Extra *de Clericis non reſidentibus* cap. 1., ubi dicitur, quod qui non intereſt horis ſine cauſa rationabili, ſi recipit diſtributiones quotidianas, quæ pro hujuſmodi dantur, non facit eas ſuas, ſed tenetur ad reſtitutionem. Ergo a contrariis, ſi intereſt horis, facit eas ſuas, &, ſi male expendit, non tenetur ad reſtitutionem. Alii dicunt, quod non habet fructum favore ſui ſicut pater in bonis filii adventitiis, quorum fructus, ſi male conſumat, non tenetur reſtituere; ſed pro bono Eccleſiæ, & pauperum facti ſunt adminiſtratores, & tutores, qui ſunt quaſi Domini, ſed non quando pupillum ſpoliant. Et ideo ſicut illi poſſunt ſibi victum & veſtitum retinere, & bene meritis dare; ſed, ſi male expendunt, tenentur reſtituere: ſic & iſti. Et iſtud magis conſonat dictis Sanctorum, & Juri Canonico. Hæc Petrus. Unde Hieronymus: tibi o Sacerdos de altario vivere, non luxuriari permittitur, diſt. 154. §. 1.: & Auguſtinus dicit: non illa noſtra ſunt, quorum procurationes quodammodo gerimus: non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicemus, 12. q. 1. *Si privatum*, ubi dicit Gloſſa, quod loco Domini habentur Prælati, cum bene adminiſtrant, loco prædonis, cum male, ff. *pro emptore* L. *Qui fundum* §. *Si tutor*; cui concordat ipſe Petrus dicens, quod Prælati ſunt Domini ſub certa lege, ſcilicet ſi bene utantur; alias reſtituere tenentur, ſicuti in his, quæ dantur ob certam cauſam in legatis relictis ſub certo modo, quibus deficientibus, licet dominium tranſlatum fuerit repetuntur. Item nota, quod Clericus, ſeu Prælatus tenetur de bonis Eccleſiæ ſuæ amiſſis ſua negligentia, dolo, culpa, ſive lata, ſive levi, ut notat Extra *de Officio Archidiaconi* cap. *Ea quæ* Idem Hoſtienſis. Male autem recipientes a perſonis Eccleſiaſticis de bonis Eccleſiarum, videlicet de fructibus, &

eleemo-

eleemoſynis Beneficiorum, ut fornicariæ, & hiſtriones, & conſanguinei non ratione indigentiæ, ſed parentelæ, & luſores, & hujuſmodi, & alii, & Domini potentes per fraudes, minas, & importunitates, ſecundum Raymundum tenentur reſtituere. Non quidem illi, qui turpiter dedit, ſed auctoritate Superioris convertere in utilitatem illius Eccleſiæ, vel pauperibus erogare 17. q. 4. *Si quis in atrio*. Sed ſi Clericus dediſſet, redimendo vexationem ſuam, puta tyrannis, vel moleſtantibus eum injuſte, & hujuſmodi: tunc deberet reſtitui ipſi Clerico. Qui vero recipiunt intuitu neceſſitatis, eleemoſynæ, vel Eccleſiæ, quia impenderunt ſervitium, vel patrocinium, in nullo tenentur, nec peccant; immo Eccleſia ad hoc tenetur diſt. 86. *Non ſatis*, & 12. q. 2. *Quicumque ſuffraganeo* —. Hactenus S. Archiepiſcopus.

Duo ſuper hac re ad examen vocari poſſunt. Primum nempe, an Beneficiarii teneantur erogare pauperibus, vel in alia pia opera impendere reditus, quos ultra honeſtam ſui ſuſtentationem ab Eccleſia percipiunt, ita ut graviter peccent eos impendentes in convivia, ludos, venationes, alioſve profanos, aut turpes uſus, vel eos conſanguineis non tamquam pauperibus elargientes, non ut minus egeant, ſed ut diteſcant. Secundum vero, an Clerici Beneficiarii eoſdem reditus impendentes in uſus profanos, turpes &c., aut ad ditandos conſanguineos, rei fiant violatæ juſtitiæ, & teneantur ad reſtitutionem? Primum quod reſpicit, veriſſimum eſt, quod ſcripſit Theophilus Raynaudus in Opuſculo, cui tit.: *Mala e bonis Eccleſiæ* lib. 2. ſect. 3. cap. 3. num. 12. — *Denique nemo plane Doctorum diſſentit, ſive inter Theologos Scholaſticos, ſive Morales, ſive inter Juriſperitos, ita ut quamvis jam pridem lites, & diſſidia efferbuerint inter Doctores quoad dominium fructuum ſuperfluorum, ſit ne penes Beneficiarios, an penes alios, tamen quoad peccatum grave in diſpenſatione ſuperfluorum aliter, quam ad pios uſus, nemo plane, plane inquam nemo diſſentiat* —. Ratio eſt, inquit Anacletus lib. 3. Decretal. tit. 25. §. 3. num. 53. — Quia fideles dantes, & offerentes bona ſua Eccleſiis, piis locis hac intentione, & fine, hocque tacito vel expreſſo pacto ac onere dant, ut nonniſi ad Dei gloriam & honorem, cultumque divinum, in uſus, & cauſas pias convertantur —. Hæc ille. Id expreſſit Carolus Magnus in Capitularibus lib. 7. cap. 18. inquiens — *Offero Deo, atque dedico omnes res, quæ in hac chartula tenentur inſertæ pro remiſſione peccatorum meorum, ac parentum, ac filiorum, ad ſerviendum in his Deo in ſacrificiis, Miſſarumque ſolemniis, orationibus, luminariis, pauperum, ac Clericorum alimoniis, & cæteris divinis cultibus, atque illius Eccleſiæ utilitatibus. Si quis autem eas inde (quod fieri nullatenus credo) abſtulerit, ſub pœna ſacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero, atque dedico, diſtrictiſſimas reddat rationes* —. Concinit S. Thomas Comment. in Epiſt. 2. ad Corinth. 12. lect. 5.; ibi enim ſibi objicit inquiens — *Videtur, quod male fecerint Principes, & alii dando divitias Prælatis* —,

& ſibi

& ſibi ipſi reſpondet hiſce verbis — *Dicendum eſt, quod non dederunt Prælatis propter ſe, ſed propter pauperes; & ideo non dederunt eis, ſed pauperibus. Prælatis autem dantur tamquam pauperum diſpenſatoribus* —. Opportune iccirco Concilium Trid. ſeſſ. 25. in Decreto de reform. cap. 1. — *Omnino vero eis interdicit, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſunt, iis ut pauperibus diſtribuant. Eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa. Immo quammaxime poteſt eos S. Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia Seminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcumque Beneficia Eccleſiaſtica tam ſæcularia quam regularia obtinentibus, pro gradus ſui conditione obſervari; ſed & ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit: quorum conſilio apud Sanctiſſimum Romanum Pontificem cum univerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt, non iis etiam virtutum inſignibus, ac vivendi diſciplina eos fulgere, qua merito omnium in ſe oculos convertant* —. Scimus utique (ad rem Bened. XIV. de Synodo Diœc. lib. 7. cap. 2. num. 5.) Magiſtrum Lorcam hunc Tridentini locum intellexiſſe non de Beneficiorum fructibus, ſeu eorundem portione Eccleſiæ Prælatis, aliiſque Clericis attributa, ſed de bonis immobilibus menſæ Epiſcopalis, aliorumque Beneficiorum, quorum dominium eſt penes Eccleſiam. At ipſamet allegata Tridentini verba turpiter deceptum Lorcam evincunt: etenim Tridentinum loquitur de illis bonis, quibus fas eſt Beneficiariis ſublevare ſuorum conſanguineorum, ſi qua vere premantur, inopiam. Nemo autem dicet unquam poſſe in illos conferri bona immobilia Præbendarum, quemadmodum ſcite ponderat Sylvius in 2. 2. D. Thomæ q. 185. art. 7. concluſ. 5. Quo circa nullus omnino Doctor, præter unicum Lorcam auſus fuit unquam eximere Beneficiarios a gravi obligatione diſtribuendi reditus Eccleſiaſticos ſuæ honeſtæ ſuſtentationi ſuperfluos in pauperes, aliave pia & religioſa opera —. Hactenus Pontifex ſapientiſſimus.

Ad ſecundum quod attinet, deciſio pendet ex celeberrima illa quæſtione: an videlicet Beneficiarii ſint Domini redituum, quos ex Beneficiis ipſi percipiunt. Si enim Domini ſunt, peccant quidem eos impendentes in uſus profanos, & turpes, ſed non violant juſtitiam. Si autem ſunt ſimplices adminiſtratores, & non Domini, iis male utentes fiunt rei violatæ juſtitiæ. Ne interim credas opinionem Beneficiariis faventem, eoſque conſtituentem redituum ſuorum Dominos, pervetuſtam eam eſſe, a Conciliis, a Summis Pontificibus, a Sanctis Eccleſiæ Patribus, ab inſigniori-bus Theologis comprobatam. Non ita ſane, non ita eſt; vere ſiquidem ſcripſit Paulus Comitolus lib. 1. reſp. Moral. q. 70. *A recentis memoriæ hominibus ſæpe addubitatum eſt illud, quod ab antiquis Magiſtris, & melioribus*

bus Authoribus ſuperioris , atque adeo noſtræ ætatis in controverſiam nunquam vccatum eſt : num ii , quibus Eccleſiaſtica Sacerdotia , Beneficiaque mandata ſunt , ſint bonorum , fructuumque omnium , qui ex eis percipiuntur , veri Domini ? Authores neſcio quomodo novam , & periculoſam opinionem poſt mille & quingentos annos , in Chriſtianam Rempublicam invehere conati ſunt , eos , a quibus Eccleſiaſtica Beneficia obtinentur , fructuum quos illa pariunt , veros eſſe Dominos : quorum ipſi opinionem in iis libris , quibus Parochorum officia perſecuti ſumus , omni machinarum genere convellere , atque evellere adorti ſumus : horum hominum ſenſum a Conciliorum Decretis , a Romanorum Pontificum ſanctionibus , a Sanctorum Patrum ſententiis , a Theologorum conſenſione , a Sacrorum Canonum graviſſimis explanatoribus , & a certiſſima ratione demonſtravimus abhorrere — . Author antiquam doctrinam ſequens Beneficiarios hujuſmodi vult eſſe reſtitutioni obnoxios . Et reipſa ita ſenſit Conc. Agatheaſe 12. q. 1. cap. 19. — *Epiſcopi de rebus propriis , vel acquiſitis , vel quidquid de proprio habent , hæredibus ſuis , ſi voluerint , derelinquant . Quicquid vero de proviſione ſuæ Eccleſiæ fuerit , ſive de agris , ſive de fructibus , ſive de oblationibus , omnia in jure Eccleſiæ reſervare cenſuimus* — . Ita celeberrimum Conc. Antiochenum ibid. cap. 23. — *Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes , qui indigent , cum ſumma reverentia & timore Dei . Participet autem & ipſe , quibus indiget (ſi tamen indiget) tam in ſuis , quam in fratrum , qui ab eo ſuſcipiuntur , neceſſariis uſibus profuturis : ita ut in nullo qualibet occaſione fraudentur juxta Sanctum Apoſtolum ſic dicentem : Habentes victum , & tegumentum , his contenti ſumus . Quod ſi contentus iſtis minime fuerit , convertat autem res Eccleſiæ in ſuos uſus domeſticos , & ejus commoda , vel agrorum fructus , non cum Presbyterorum conſcientia , Diaconorumque pertractet , ſed horum poteſtatem domeſticis ſuis , aut propinquis , aut fratribus , filiiſque committat , ut per hujuſmodi perſonas occulte res lædantur Eccleſiæ , Synodo Provinciæ pœnas iſte perſolvat* — . Ita Alex. III. Extra *de donationibus* cap. 2. — *Cum Epiſcopus , & quilibet Prælatus Eccleſiaſticarum rerum ſit procurator , & non Dominus* — . Ita S. Petrus Damiani lib. 1. Epiſt. 10. — *Cum Epiſcopus diſpenſator debeat eſſe promptus pauperum , ad eorum menſam affluentibus deliciis alieni ructant , cum & illi , quorum eſt tota ſubſtantia , procul excluſi , famis inopia contabeſcunt* — . Ita S. Bernardus ſerm. 23. , aut 18. in Canticum Canticorum num. 14. — *Timeant Clerici , timeant Miniſtri Eccleſiæ , qui in terris Sanctorum , quas poſſident , tam iniqua gerunt , ut ſtipendiis , quæ ſufficere debent , minime contenti , ſuperflua , quibus egeni ſuſtentandi forent , impie , ſacrilegeque ſibi retineant , & in uſus ſuæ ſuperbiæ , atque luxuriæ victum pauperum conſumere non vereantur , duplici profecto iniquitate peccantes , quod & aliena diripiunt , & ſacris in ſuis vanitatibus , & turpitudinibus abutuntur* — . Ita S. Raymundus de Pennatore in Summa tit. *de raptoribus , & prædonibus* §. 6. — *Quid de Prælatis Eccleſia-*

ſiaſtarum, & aliis Clericis, qui bona Eccleſiaſtica pauperibus debita conſumunt in uſus illicitos, videlicet in meretricibus, hiſtrionibus, conſanguineis potentibus, divitibus, & ſimilibus, & de his etiam faciunt aliqui teſtamentum: numquid tales ſunt judicandi raptores? Videtur, quod ſic. Primo, quia contrectant rem alienam invito Domino; ait enim Hieronymus: quidquid habent Clerici, pauperum eſt, 16. q. 1. Can. ultimo: Item Auguſtinus: Si privatim quæ nobis ſufficiant, poſſidemus, non ſunt illa noſtra, ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus, 12. q. 1. Can. ultimo. De meretricibus autem, & hiſtrionibus, de quibus quæſitum eſt, dico Prælatos & Clericos, qui res Eccleſiæ talibus, vel ſimilibus turpibus perſonis conferunt, vel etiam conſanguineis, non propter naturam ſuſtentandam, ſed ut faciant eos divites de patrimonio Crucifixi: Item divitibus, & potentibus non propter aliquam cauſam licitam, vel honeſtam, ſed propter favorem ſæculi, & pompam: Tales, inquam, Prælatos & Clericos, qui talibus conferunt bona Eccleſiaſtica pauperibus debita, dico eſſe raptores, & per conſequens teneri ad reſtitutionem omnium —. Ita Inno. IV. de cauſa poſſeſſionis & proprietatis in cap. *Cum ſuper* num. 3. — *Non Prælatus, ſed Chriſtus dominium, & poſſeſſionem rerum Eccleſiæ habet; unde quæcumque homines offerunt Eccleſiis, dicuntur eſſe oblata Deo Can. Nulli liceat 12. q. 2. Et ſi aliquando inveniantur hæc bona Deo oblata eſſe Epiſcoporum, vel Prælatorum, vel Capitulorum, dic, eſſe eorum quoad gubernationem* —. Ita Alexander de Ales part. 3. q. 36. membr. 5. art. 2. & 3. — *Clerici, qui in malos uſus bona Eccleſiæ expendunt, ſunt raptores & fures: quod concedimus ſecundum Bernardum ſcribentem ad Canonicum: Quidquid, præter neceſſarium victum, & veſtitum de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt. Sed numquid tenentur ad reſtitutionem, ſi habent aliunde, unde poſſint reſtituere? Aliud certe non video: quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum* —. Ita alii ſexcenti, quos brevitatis gratia omitto. Animadvertas hic volo complures ex his, quos produxi, ſcripſiſſe longe poſt factam in Eccleſia bonorum diviſionem; & iccirco nil prodeſſe diſtinctionem, quam adhibent nonnulli adverſantis ſententiæ homines, videlicet quod Beneficiarii non erant Domini ante diviſionem bonorum, ſed quod Domini facti ſunt ipſa peracta. Omni enim tempore verum eſt, quod legimus 16. q. 1. cap. 59. — *Quia juxta Sanctorum Patrum traditionem novimus res Eccleſiæ vota eſſe fidelium, pretia peccatorum, & patrimonium pauperum* —: & inſuper adverſarii nunquam oſtendent bona Eccleſiæ per diviſionem bonorum immutaſſe naturam, & non eſſe amplius bona Deo dicata, vota fidelium, & patrimonia pauperum.

Si fuſiora cupis, vide Gennettum de Beneficiis cap. 11. per totum, Lucium Ferraris ver. *Beneficiatus* art. 1. num. 38. & ſeq., Anacletum lib. 3. Decretal. tit. 25. §. 2. per totum, & §. 3. num. 55. & ſeq., alioſque. No-

tatu dignum eſt, quod ſcribit Eminentiſſ. Card. Sfondrati apud Anacletum num. 56. — *Veritas hujus Concluſionis, ſi ex ſacris Canonibus, ſententiaque omnium Patrum, hoc eſt ex principiis veræ Theologiæ petenda eſt, certiſſima erit, nullumque dubium admittet. Sed hodierna die alia dicendi ratio invaluit; cum enim aut pigeat Patres, Canoneſque evolvere, quod otioſis delicatiſque Scriptoribus moleſtum eſt, aut non lubeat eorum ſententias amplecti, quippe plerumque cupiditati adverſas, & ad ſeveritatem Evangelicam compoſitas; ideo alia Theologiæ methodus inventa eſt.*

Principale argumentum, quod proferunt contrariæ ſententiæ homines, illud eſt, quod iiſdem ſuppeditat Concilium Trid. ſeſſ. 23. cap. 1., & ſeſſ. 24. cap. 12. de reformatione. Decernit ibi Concilium, quod Beneficiarii, qui e Beneficii loco ſine legitima cauſa diu abſunt, aut fidei profeſſionem intra præſcriptum tempus emittere negligunt, ſuorum Beneficiorum fructus non faciant ſuos. Ergo, ajunt, ſi in loco Beneficii reſideant, & fidei profeſſionem debito tempore emittant, eoſdem fructus faciunt ſuos. Facere autem fructus ſuos idem omnino eſt, ac eorundem dominium acquirere, ut patet ex cap. unico *de Clericis non reſidentibus* in Sexto — *Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit..... rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas immo ad omnium reſtitutionem... teneatur* —. Facile tamen huic argumento reſpondetur, uti animadvertit Anacletus loco proxime citato num. 42., dicendo, quod Clericus reſidens dominium acquirit fructuum, qui neceſſarii ſunt pro honeſta ſui ſuſtentatione, non autem eorum, qui ipſi ſunt ſuperflui: non reſidens vero nec pro honeſta ſui ſuſtentatione dominium acquirit; quia quum altari non inſerviat, non poteſt nec debet vivere de altari, ſed illos fructus tamquam alienos debet eos omnes Eccleſiæ, & pauperibus erogare. Æquiſſimum eſt hujuſmodi reſponſum, & per ipſum jura juribus concordantur, quemadmodum in hiſce caſibus optat, ut fiat, Bonifacius VIII. *de Electione* in Sexto cap. 29. Per hoc enim conceditur Clerico, quod vivat de altari, ſicuti æquum eſt, ipſique negatur, quod patrimonium Chriſti impendat in uſus non pios non ſine gravi Eccleſiarum, cauſarumque piarum præjudicio, contra expreſſam Fundatorum intentionem, & jura ſexcenta ſecus clamantia.

Cave tamen, ne credas, me habere hujuſmodi controverſiam veluti deciſam. Id vetat fieri a Synodis Provincialibus Bened. XIV. de Synodo Diœc. lib. 7. cap. 2. per totum. Potiori igitur jure id non licebit privato Doctori, tametſi argumenta, quibus opinio Auctoris innititur, evidentia ipſi videantur, & ineluctabilia. Præ oculis tamen habeant Beneficiarii aurea verba, quibus idem ſapientiſſimus Pontifex Epiſcopos alloquens caput illud ſuum abſolvit — Urgeant ipſi & inculcent ſuis Clericis, ex Eccleſiæ ſtipendiis victitantibus, gravem obligationem, quam habent, elargiendi pauperibus, aliiſve piis uſibus applicandi ſibi redundantes Eccleſiaſticos reditus.

tus.

tus. Sed adhuc latentem hujus obligationis originem non inveſtigent; ut enim ajebat Card. Bellarminus in Epiſt. ad Theanenſem Epiſcopum nepotem ſuum Controv. 8. & 9., parum refert determinare, unde illud proveniat gravis obligationis vinculum, quo ceteroquin omnes Beneficiarios obſtringi, indubitanter ſcimus -- *Non diſputo* (inquit Bellarminus) *quæſtionem illam, an Prælati ſint vere Domini redituum Eccleſiaſticorum, & an teneantur reſtituere, quæ male expenderunt. Parum enim refert, utrum Prælatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra juſtitiam, an quia peccavit contra charitatem, non bene diſtribuendo facultates ſuas. Solum quæro, in quos uſus debeat expendere ſuas Eccleſiaſticas facultates, ut non amittat vitam æternam* --. Hæc Pontifex.

Quæres primo. An Beneficiarii teſtari poſſint de fructibus Beneficii?

℞. Si jus ſpectemus, teſtari ipſi nullo modo poſſunt, nec ad cauſas pias. Id definivit Alex. III. Extra *de teſtamentis* cap. 8. -- *Ad hæc præſentibus innoteſcat, quod Clerici de mobilibus, quæ per Eccleſiam ſunt adepti, de jure teſtari non poſſunt. Viventes tamen, & ſui compotes moderate valent aliqua de bonis ipſis non ratione teſtamenti, ſed eleemoſynæ intuitu erogare in ægritudine conſtituti* -- & ibid. cap. ſeq. -- *De his tamen, quæ conſideratione Eccleſiæ perceperunt, nullum de jure poſſunt facere teſtamentum* --. Si autem conſuetudinem attendamus, eamque non contemnendam, teſtari ipſi poſſunt ad cauſas pias, & non aliter, textu expreſſo ibid. cap. 12., quod eſt ejuſd. Alex. III. -- *Licet autem mobilia per Eccleſiam acquiſita de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non poſſint: conſuetudinis tamen eſt non improbandæ, ut de his pauperibus, & religioſis locis, & illis, qui viventi ſervierunt, ſive ſint conſanguinei, ſive alii, aliqua juxta ſervitii meritum conferantur.*

Quæres ſecundo. An Beneficiarii, qui habent unde vivant ex bonis ipſorum patrimonialibus, poſſint licite vivere ex reditibus, & fructibus Beneficii?

℞. Optandum vehementer foret, quod Beneficiarii, ſcientes Beneficia eſſe oblationes Fidelium, & patrimonia pauperum, data ad ſuſtentationem indigentium, in caſu, de quo agitur, viverent de fructibus patrimonii, & fructus Beneficii in pia opera impenderent. Præſertim quum ſcripſerit Hieronymus, cujus eſt cap. 7. 1. q. 2. -- *Clericos autem illos convenit Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentari, quibus parentum, & propinquorum nulla ſuffragantur bona. Qui autem bonis parentum, & opibus ſuis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt accipiunt, ſacrilegium profecto committunt, & per abuſionem talium judicium ſibi manducant, & bibunt* --. Dura ſunt hæc, quæ dico (inquit Concilium Aquiſgranenſe celebratum an. 816. c. 107.) nec ego diffiteor. Dura ſunt, ſed obſervare nolentibus. Cæterum ſi faciant iſta, quæ difficilia non facientibus ſunt, ſtatim facilia facientibus fiunt. Non ergo ea quæ nolumus obſervare, impoſſibilitas nobis facit dura, ſed novi-

 tas.

tas. In uſum veniant, & neminem frequentata conturbant. Nam quæro, quid ſit eorum, quæ dixi, difficile? Ut homo id, quo opus non habet, ab Eccleſia non accipiat: an, ut quod habet, ſine cauſa contemnat? Si propter hoc non vult ſua quiſque relinquere, ut habeat unde vivat: ut quid accipit, unde rationem reddat? Ut quid peccatis alienis ſua multiplicat? Quod ſi putant, ideo accipi debere eorum, quæ conferuntur Eccleſiæ, portionem, ne eam videantur abjicere, ſe vero non poſſe ſua relinquere, quod eis deforme ſit inter ſuos pauperes reddi: noverint eſſe deformius poſſeſſores de eleemoſynis pauperum paſci --. Hactenus Concilium. Nihilo tamen minus ingenue fateor, ſecus ſenſiſſe eximium Doctorem S. Antoninum part. 3. tit. 15. cap. 1. §. 18. ita ſcribendo -- *Item nota ſecundum Guillelmum, & Hoſtienſem, quod Clericus, licet habeat ſufficiens patrimonium, ſi deſervit Eccleſiæ, poteſt licite ſuſtentari de bonis Eccleſiæ* 12. *q.* 2. *CHARITATEM, & cap. ECCLESIASTICIS. Sed ſi non deſervit, & in malos uſus expendit, multipliciter peccat, & ſacrilegium committit* 16. *q.* 1. *QUONIAM, &* 1. *q.* 2. *CLERICI. Et de hujuſmodi debet intelligi cap. PASTORALIS, & ſimilia* --. Scriptum quippe eſt 1. ad Timoth. 5. v. 18. -- *Dicit enim ſcriptura: non alligabis os bovi trituranti. Et, dignus eſt operarius mercede ſua* --: & 1. ad Cor. 9. v. 13. & ſeq. -- *Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* --. Et iccirco 1. q. 2. cap. 10. indiſtincte ſtatuit Concilium Agatheuſe -- *Clerici omnes, qui Eccleſiæ fideliter, vigilanterque deſerviunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſervitii ſui meritum, per ordinationem Canonum a Sacerdotibus* (ideſt Epiſcopis) *conſequantur* --. Quod ſub initio protuli ex Hieronymo, id ipſum ſibi objicit S. Thomas 2. 2. q. 185. art. 7. num. 3., & ita ſibi ipſi reſpondet -- *Ad tertium dicendum, quod non omnia bona Eccleſiarum ſunt pauperibus largienda, niſi forte in articulo neceſſitatis, in quo pro redemptione captivorum, & aliis neceſſitatibus pauperum etiam vaſa cultui divino dicata diſtrahuntur, ut Ambroſius dicit. Et in tali neceſſitate peccaret Clericus, ſi vellet de rebus Eccleſiæ vivere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus vivere poſſet.*

Quæres tertio. Utrum Beneficiarii, qui non faciunt expenſas proprio ſtatui convenientes, ſint Domini illius, quod ſubtrahunt congruæ ipſorum ſuſtentationi, ut de his parſimoniis poſſint pro libito diſponere, eaſque conſanguineis, amiciſve donare?

℞. Ut Beneficiarii nimium ſibi ipſis non indulgeant in præfigenda congrua ſuſtentatione, iiſdem ſub oculis pono Regulam a Concilio Trid. propoſitam ſeſſ. 25. in Decreto de reform. cap. 1. -- *In primis vero ita mores ſuos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint.*

ſint . Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi non ſolum jubet , ut Epiſcopi modeſta ſuppellectili , & menſa , ac frugali victu contenti ſint ; verum etiam in reliquo vitæ genere , ac tota eorum domo caveant , ne quid appareat , quod a Sancto hoc inſtituto ſit alienum , quodque non ſimplicitatem , Dei zelum , ac vanitatum contemptum præſeferat —. Difficile certe, immo difficillimum , pro quolibet Beneficiario juſta congruæ , honeſtæque ſuſtentationis præfigere confinia , quum id fieri nequeat niſi ſpectatis omnibus circumſtantiis perſonæ , dignitatis , gradus , doctrinæ , temporis , regionis , & conſuetudinis locorum . Præſertim quum cæteris paribus pro honeſta ſuſtentatione plus competat Epiſcopo , quam Præpoſito , plus huic quam ſimplici Canonico , plus Canonico Cathedralis , quam Eccleſiæ Collegiatæ , plus Parocho quam ſimplici Beneficiario , uti ſcite adnotat Anacletus lib. 3. Decretal. tit. 25. num. 7. Præſertim quum recta ratio poſtulet , ut plus concedatur nobilibus , & litteratis , quam nobilitate , ac ſcientia ſpeciali carentibus , uti animadvertit Gloſſa in cap. 6. ver. *Sufficientia* Extra *de Clericis non reſidentibus* ſcribens — *In hac ſufficientia conſiderantur plura , nobilitas , ſcientia , quia tales perſonæ majoribus reditibus ſunt honorandæ* — . Placet ſummopere quod ſtatuit Fulg. Cuniliati de 1. Decal. præcepto cap. 12. §. 6. num. 16. — Quamvis a ſcrupulis importunis cavere debeat , multo magis ſibi cavendum eſt , ne ab amore propriæ commoditatis ſeducatur : & propterea ſanum erit conſilium , ut fraudes proprii amoris caute declinet , ſi duo obſervet . Unum , quod directioni ſapientis , prudentis , & intaminatæ conſcientiæ viri ſe committat . Alterum , quod attendat , quomodo magis cordati , & exemplares Beneficiarii conſimiles in proprio cultu atque victu , ſe gerant , vel ſe geſſerint — . Hæc ille .

Caſum quod reſpicit , Joannes Pontaſius ver. *Beneficiarius* Caſu 14. verſus finem , Concina lib. 1. in Decal. Diſſert. 6. cap. 18. §. 7. num. 73. , & Franc. Gennettus To. 2. de Beneficiis cap. 11. q. 8. negative reſpondent. Et reipſa quum Concilium Trid. generatim , & ſine exceptione conſtituat , quod Beneficiarii non debeant ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos , familiareſve ſuos augere : quum id , quod hujuſmodi Beneficiarii ſordida hac avaritia ſibi ipſis ſubtrahunt , non deſinat eſſe ex bonis Eccleſiæ : non video , quomodo licite fieri hoc poſſit a Beneficiariis . Quis credat ſordidam quandam avaritiam , quendam immoderatum erga parentes affectum , eſſe de mente Eccleſiæ , & decere virum Eccleſiæ , & Sanctuario conſecratum ? Appoſite iccirco Concina loco laudato — Pium , ſanctumque eſt occurrere parentibus indigentibus , qui cæteris in pari cauſa præferri debent ; ſacrilegum autem velle eos ſacris victimis Deo immolatis ſaginare . Beneficiarii , qui parce vivunt , ut pauperibus parentibus ſuccurrant , ſancte agunt . Qui parce vivunt , ut parentes & conſanguineos ditent , ſtulti & ſceleſti ſunt . Quare tamquam ſacrilegi raptores habendi ſunt , qui eſ-

futire

futire ſolent, ſe conſanguineis ex illis bonis donare, quæ de menſa, de famulorum apparatu ſibi ſubtraxere —. Hæc ille.

TERTIUM DUBIUM. Utrum Clericus non faciens reſidentiam in loco, in quo habet Beneficium, teneatur reſtituere fructus.

Reſpondeo, quod ſic, perceptos nempe, niſi cum eo fuerit diſpenſatum ſuper reſidentia ſecundum Hoſtienſem, & Doctores.

(262) Acriter diſputarunt Theologi in Concilio Trid. ſub Paulo III. ante ſeſſ. 6., & multo magis in eod. Concilio ſub Pio IV. in conventibus habitis ante ſeſſ. 19. & 23., reſidentia Paſtorum divini juris ne ſit, an duntaxat Eccleſiaſtici. Et quamvis pro utraque ſententia exarata tunc fuerint Opuſcula, quæ Venetiis prodierunt an. 1562. impreſſa typis Jordani Ziletti: nihilo tamen minus Concilii Patres id noluerunt definire, ſed prudentes duxerunt ita concinnare reſidentiæ Decretum, ut nihil inde alterutri ſententiæ detraheretur, ſicuti narrat Card. Pallavicinus in Hiſtoria Concilii Trid. lib. 7. cap. 6., lib. 16. cap. 14., lib. 21. cap. 12., & expreſſe declaravit ipſemet Pius IV. in Allocutione habita ad Cardinales & Epiſcopos Kalendis Martii an. 1564., reſpiciens Concilium tum Lateranenſe ſub Inno. III., tum Tridentinum — *Licet vero neque in illo, neque in iſto Concilio clare definitum ſit, an reſidentia de jure divino eſſe cenſeatur, quod neque etiam nos nunc ex improviſo definire audemus* —. Hac de cauſa Bened. XIV. de Synodo Diœc. lib. 7. cap. 1. per totum non probat, quod Epiſcopi in Synodis id definiant, tametſi ibid. num. 6. ingenue fateatur, ſententiam, quæ reſidentiæ obligationem jure naturali & divino animarum Paſtoribus injunctam defendit, communiorem eſſe, eique fere omnes calculum adjeciſſe, qui poſt Tridentinum ſcripſere, tam Theologos, quam Canoniſtas. Reipſa hæc innuitur Eccleſiaſtici 7. v. 24. — *Pecora tibi ſunt? attende illis: & ſi ſunt utilia, perſeverent apud te* —: & Proverb. 27. v. 23. — *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera* —: & 1. Petri 5. v. 2. — *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo* —. Et iccirco Trid. Synodus ſeſſ. 23. in Decreto de reform. cap. 1. — *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia*

nia paſtoralia incumbere : quæ omnia nequaquam ab iis præſtari , & impleri poſſunt , qui gregi ſuo non invigilant , neque aſſiſtunt , ſed mercenariorum more deſerunt : Sacroſancta Synodus eos admonet , & adhortatur , ut divinorum præceptorum memores , factique forma gregis , in judicio , & veritate paſcant , & regant – . Et Bened. XIV. in Encyclica ad omnes Epiſcopos , quæ incipit *Ubi primum* anno data 1740. die 3. Decembris §. 4. – *Jam vero ſcitis , Fratres , divino præcepto mandatum eſſe omnibus animarum Paſtoribus , oves ſuas agnoſcere , eaſque verbi divini prædicatione , Sacramentorum adminiſtratione , ac bonorum omnium operum exemplo paſcere ; hiſque , ac cæteris Paſtoralis officii muniis ſatisfacere , ut par eſt , minime poſſe eos , qui gregi ſuo non invigilent , neque aſſiſtant , vineamque Domini , in qua poſiti ſunt cuſtodes , non cuſtodiant aſſidue . Itaque in ſtatione veſtra maneatis oportet , & perſonalem in Eccleſia veſtra , vel Diœceſi , ſervetis reſidentiam , ad quam ex vi muneris veſtri obligati eſtis , quemadmodum pluribus Generalium Conciliorum decretis , & Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus luculenter declaratur , præſcriptumque eſt .*

Quæres primo . Quid importet hujuſmodi reſidentia ?

℟. Reſidentia iſthæc non ſolum poſtulat corporalem Paſtoris præſentiam , ſed etiam , & multo magis quod Paſtor laboret , & Eccleſiæ deſerviat . Ita Concilium Lateran. III. celebratum an. 1179. Extra *de Clericis non reſidentibus* cap. 3. -- *Cum igitur Eccleſia , vel Eccleſiaſticum miniſterium committi debuerit , talis ad hoc perſona quæratur , quæ reſidere in loco , & curam ejus per ſeipſam valeat exercere . Quod ſi aliter actum fuerit , & qui receperit , quod contra ſacros Canones accepit , amittat , & qui dederit , largiendi poteſtate privetur* -- : & ibid. cap. ſeq. , quod eſt Alex. III. -- *Relatum eſt nobis , quod cum in Lateran. Concilio ſtatutum ſit , ut perſonæ tali Eccleſia , vel Beneficium Eccleſiaſticum conferatur , quæ reſidere in loco , & curam ejus per ſe valeat exercere : nonnulli ad Eccleſias præſentati hoc ſe poſſe affirmant , ſed efficere contradicunt . Quum igitur verba accipienda ſint cum effectu , tales , ſi præſentati fuerint , non debent admitti , & admiſſi poterunt amoveri* -- . Appoſite iccirco Conc. Aquilejenſe an. 1569. Rubrica 5. – *Quod de Epiſcoporum reſidentia a Sacro Concilio Trid. , & Summorum Pontificum Conſtitutionibus cautum eſt , hoc non eſt intelligendum , ut præſentia aſſideant , nihil prætera agant , cum ex ſacris Canonibus reſidentia ſit accipienda in eum ſenſum , ut ſit laborioſa , non otioſa ; id quod duobus præſertim Trid. Synodi verbis egregie exprimitur , ut paſcant , & regant* -- . Vere etenim Synodus Ebroicenſis an. 1576. – *Scimus , in reſidentia Curatorum potius requiri perſonæ induſtriam , quam corporis in eodem loco deſidiam , & inertiam : atque inter reſidentes numerandos potius , qui abſentes corpore , ſpiritu & aſſidua ſpeculatione gregi invigilant , quam qui præſentes corpore , ſe ipſos paſcunt potius , quam gregem , cui ſcandalo ſunt* – . Reſidentia poſtmodum duplex eſt , una vera , altera ficta . Vera dicitur ,

quan-

quando Beneficiarius vere, & realiter præſens eſt in loco Beneficii, hujuſque officia per ſe ipſum exercet. Ficta autem cenſetur, quando abſens ex legitima cauſa, de qua inferius, ex quadam juris fictione habetur tamquam præſens, ut licite poſſit fructus ſuos facere. Exemplum eſt in Canonico Pœnitentiario, dum audit confeſſiones in Eccleſia ſui Beneficii, de quo Trid. Synodus ſeſſ. 24. de Reform. cap. 8. — *In omnibus etiam Cathedralibus Eccleſiis, ubi id commode fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum unione Præbendæ proxime vacaturæ, ab Epiſcopo inſtituatur, qui Magiſter ſit, vel Doctor, aut Licenciatus in Theologia, vel Jure Canonico, & annorum quadraginta, ſeu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur: qui dum Confeſſiones in Eccleſia audiet, interim præſens in Choro cenſeatur.*

Quæres ſecundo. Quinam Beneficiarii teneantur ad reſidentiam?

℞. Si juri communi inſiſtere velimus, quilibet Beneficiarius indiſtincte tenetur reſidere in loco ſui Beneficii. Ita Panormitanus *de Præbendis* in cap. *Extirpandæ* num. 30. ſcribens — *Beneficium quantumcumque minimum de jure communi requirit reſidentiam, ut in cap. CONQUERENTE, DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS, & notat Innocentius in fine eod. titulo* —. Et reipſa Summarium Joannis Andreæ ſup. cap. *Conquerente* Extra *de Clericis non reſidentibus*, id expreſſe conſtituit inquiens — *Qui non reſidet in Beneficio etiam modicæ æſtimationis, illo privatur* —: & perſpicue etiam Alex. III. Extra *de Præbendis* cap. 13. — *Cum ſingula Officia in Eccleſiis aſſiduitatem exigant perſonarum* —. Si autem judicanda res eſt juxta univerſalem Eccleſiæ conſuetudinem, Beneficia non curata, & ſimplicia non obligant ad reſidentiam, niſi aliter cautum ſit a Fundatoribus, vel aliter alicujus particularis Eccleſiæ ſtatuto, aut conſuetudine fuerit inductum. Ita communiter Doctores cum Zerola part. 1. praxis Epiſcopal. verſ. Beneficium §. ad ſeptimum verſ. octava Conclusio, qui ibi in medium profert quandam declarationem ſuper hac re S. Congregationis ita conceptam — *Obtinens Beneficium, quod ſit ſimplex, & ſine cura animarum, & extra Eccleſiam Collegiatam, nec perſonalem reſidentiam ob aliam cauſam requirens, non tenetur in eo reſidere, ſed ad inſerviendum illi per alium, qui probatus ſit ab Ordinario* —. Ad reſidentiam igitur tenentur tum de jure, tum ex probata generali conſuetudine Epiſcopi, Parochi, Canonici, & hujus generis alii, de quibus jure optimo Bened. XIV. Conſtitutione incip. *Ad univerſæ* anno data 1746. die 3. Septembris, in principio — *Ad univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum, ad Eccleſiaſticarum legum cuſtodiam, & fidelium populorum ſalutem, tam magni refert ſingulos Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis Præpoſitos in ipſis Eccleſiis, vel Diœceſibus ſibi creditis aſſidue reſidere: ut difficile ſit aliud ullum reperire Eccleſiaſticæ diſciplinæ caput, quod aut Conciliaribus Canonibus, atque decretis, aut Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus, & ſanctionibus tam ſæpe, tamque impenſe inculcatum fuerit, & commendatum* —:

Digitized by Google

tum —. Dum audis inter eos, qui tenentur ad reſidentiam, connumeratos etiam Canonicos: ne quæſo credas eodem jure hos eſſe devinctos, ac Epiſcopi, & Parochi animarum curam habentes. Non ita ſane; horum enim reſidentiam unice poſtulat jus Eccleſiaſticum, ſeu Canonicum, & primæva diſpoſitio Fundatorum per Sacros Canones approbata: quum Canonicatus inſtitutus quidem ſit propter cultum divinum, non autem propter curam animarum, ſicuti Epiſcopi & Parochi.

Quæres tertio. Utrum hujuſmodi reſidentia debeat eſſe continua, ut hiſce Beneficiariis numquam liceat abeſſe?

℞. Minime gentium. Epiſcopis quolibet anno conceditur, quod abeſſe poſſint per tres menſes. Ita Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. in Decreto de reform. cap. 1. — *Quoniam autem, qui aliquantiſper tantum abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt: Sacroſancta Synodus vult, illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſive continuum, ſive interruptum, extra prædictas cauſas, nullo pacto debere duos, aut ad ſummum tres menſes excedere, & haberi rationem, ut id ex æqua cauſa fiat, & abſque ullo gregis detrimento: quod an ita ſit abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam, & timoratam fore, cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudulenter agere ſuo periculo tenentur. Eoſdem interim monet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium, Dominici adventus, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes item, & Corporis Chriſti diebus, quibus refici maxime, & in Domino gaudere Paſtoris præſentia oves debeant, ipſi ab Eccleſia ſua Cathedrali ullo pacto abſint, niſi Epiſcopalia munia in ſua Diœceſi eos alio vocent* —. Tres itidem menſes conceduntur Canonicis Eccleſiæ ſive Cathedralis, ſive Collegiatæ, niſi ſtatuta alicujus particularis Eccleſiæ obſtent, & Canonicos obligent ad reſidentiam ultra novem menſes. Ita idem Concilium ſeſſ. 24. in Decr. de reform. cap. 12. — *Præterea obtinentibus in eiſdem Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet ſtatuti aut conſuetudinis, ultrà tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe: ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum Conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt. alioquin primo anno privetur unuſquiſque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ ac reſidentiæ fecit ſuos. Quod ſi iterum eadem fuerit uſus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Creſcente vero contumacia, contra eos juxta Sacrorum Canonum Conſtitutiones procedatur* —. Excipe caſum, in quo Fundatores indulſiſſent Canonicis, ut poſſent abeſſe ultra tres menſes; huic enim privilegio non derogavit Trid. Synodus, ſed duntaxat ſtatutis, & conſuetudinibus Eccleſiarum, ſi quæ eſſent in oppoſitum, ſicuti declaravit S. Congregatio die 21. Februarii 1578. teſte Fagnano de Præbendis in cap. *Licet* num. 58. Tempus non adeo longum permittitur Parochis; iis enim duos duntaxat

menſes concedit eadem Trid. Synodus ſeſſ. 23. in Decr. de reform. cap. 1. inquiens — *Eadem omnino, etiam quoad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuſcumque, qui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum curam animarum habens obtinent, Sacroſancta Synodus declarat, & decernit: ita tamen ut, quandocumque eos, cauſa prius per Epiſcopum cognita, & probata abeſſe contigerit, Vicarium idoneum ab ipſo Ordinario approbatum cum debita mercedis aſſignatione relinquant. Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, non obtineant.*

Quæres quarto. Utrum requiratur cauſa, ut Beneficiarius frui poſſit abſentia hac Conciliari, abſentia ſcilicet per Concilium permiſſa?

℟. Certo certius eſt hanc requiri, ſi de Epiſcopis ſermo ſit; ait enim Trid. Synodus eod. cap. 1. proxime laudato de ipſis loquens — *Et haberi rationem, ut id ex æqua cauſa fiat, & abſque ullo gregis detrimento* —. Et iccirco jure optimo Bened. XIV. in Encyclica ad omnes Epiſcopos ſuperius citata §. 4. — *Cavete autem, ne exiſtimetis fas eſſe Epiſcopis per tres menſes ſingulis annis pro libito, aut quacumque ex cauſa abeſſe. Ut enim hoc vere liceat Epiſcopis, conſtat habendam eſſe rationem, ut abſentiam hujuſmodi æqua requirat cauſa, ſimulque conſultum ſit, ne gregi detrimentum obveniat. Mementote autem Judicem futurum eſſe eum, cujus oculis omnia nuda & aperta ſunt; ideoque videte, ut cauſa talis vere ſit, quæ probari jure poſſit ſupremo huic Paſtorum Principi, a quo ovium vobis creditarum ſanguis eſt quantocius requirendus. In quo quidem judicio fruſtra Paſtor contenderet, ea ſe excuſatione tueri, quod lupus oves, abſente ſe, ac inſcio, abductas devoraverit. Nam ſi res penitus inſpiciatur, ſatis apparet, nullum prope malum, aut ſcandalum in Diœceſi ſic deſtituta contingere, quod non ſit ei adſcribendum, cujus erat, ſubditos a recta ſemita deflectentes revocare monitis, allicere exemplis, voce confirmare, auctoritate, & charitate continere. Porro quis etiam non intelligat, multo ſatius eſſe negotia alibi per alios, ubi oportuerit, peragi, quam per ſeipſum ab Epiſcopo extra Diœceſim ſuam morante; negotium vero omnium maximum cuſtodiendi, & gubernandi gregis ab eo per ſe, non per adminiſtros curari? Sunt enim vero quantumvis idonei, probatique miniſtri, non tamen eorum vocem ſic ſolent audire oves, ut vocem veri ſui Paſtoris: nec vicariam illorum operam ſupplere ſatis vigilantiam, atque operam ipſius Epiſcopi, cui peculiaris S. Spiritus gratia ad id opitulatur, experientia abunde compertum eſt* —. Idem dicas volo de Parochis propter eandem rationem, quum id expreſſe conſtituerit ead. Trid. Synodus ibidem — *Cauſa prius per Epiſcopum cognita, & probata* —. Non ita ſentiendum eſt de Canonicis: quoniam hi gaudere poſſunt abſentia iiſdem a Concilio permiſſa etiam ſola recreationis cauſa, ſicuti deciſum fuit a S. Congregatione Concilii teſte Zerola in praxi Epiſcop. part. 1. verſ. Privatio §. 2. Dubio 4. Ratio eſſe poteſt: quia

Cano-

Digitized by Google

Canonici non tenentur ad curam animarum ex vi officii ſicut Epiſcopi, & Parochi, ſed duntaxat ad ſervitium Chori, cui ſervitio abunde providetur, dummodo non omnes ſimul abſint, ſed ille ſolum numerus, ex cujus abſentia nullum ſervitio Chori, cultuique divino præjudicium inferatur.

Quæres quinto. An pro eadem Conciliari abſentia neceſſaria ſit Superioris licentia, Summi ſcilicet Pontificis quoad Epiſcopos, & Epiſcopi quoad Canonicos & Parochos?

℞. Epiſcopi non indigent hujuſmodi licentia; id enim ipſorum conſcientiæ reliquit Trid. Synodus eod. cap. 1. in Decr. de reform. ſeſſ. 23. — *Ut id æqua ex cauſa fiat, & abſque ullo gregis detrimento, quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit, quam ſperat religioſam, & timoratam fore* —. Jure quapropter Bened. XIV. Conſtitut. *Ad univerſæ* Superius memorata — *Ut autem Epiſcopi a ſuis Eccleſiis, vel Diœceſibus licite abeſſe poſſint, quum præter cauſam canonicam, expreſſa quoque licentia Romani Pontificis, ut ſupra diximus, ſit neceſſaria: excepto caſu prædictæ trimeſtris abſentiæ a Concilio permiſſæ, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, quum idem Concilium Epiſcoporum abſcedentium conſcientiæ relinquat, de æquitate cauſæ judicium facere* —. Canonicos quod reſpicit, ſi hi abſint quidem a propria Eccleſia, ſed intra Diœceſim, nulla indigent Epiſcopi licentia. Si autem immorari velint extra Diœceſim, tunc ea indigent, ſicuti declaravit S. Congregatio Concilii in Jadren. 9. Maii 1626. hiſce verbis — *Sacra Congregatio tametſi declaraverit, nullam requiri licentiam ad hoc, ut Canonici abeſſe poſſint in menſibus ab eodem Concilio permiſſis, cenſuit tamen hanc declarationem non vindicare ſibi locum, quoties Canonici abeſſe volunt extra Diœceſim, ac proinde hoc caſu Epiſcopi licentiam eſſe obtinendam; cæterum Epiſcopum non debere illam abſque rationabili cauſa denegare* —. Eodem prorſus modo reſpondit ead. S. Congregatio in una *Caſtri maris* 4. Martii 1737. in reſponſ. ad 1. & 2. Dubium, munus Secretarii obeunte Reverendiſſimo Præſule Domino Cavalchino tunc Archiepiſcopo Philippenſi, & nunc S. R. E. Cardinali optimo. Non ita ſane de Parochis, de quibus Trid. Synodus ibidem conſtituit — *Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, non obtineant* —. Scio Navarrum in Manuali cap. 25. num. 121., alioſque perpaucos ſcripſiſſe oppoſitum. Sed ipſum refellit declaratio S. Congregationis, quam refert Garcias part. 9. de Beneficiis cap. 2. num. 295., dum an. 1593. reſpondit ſuper hac re Epiſcopo Abulenſi. En poſtulatum — *Secundo, an Parochi poſſint abeſſe duos menſes abſque Ordinarii licentia ex cauſa, quæ ſibi videtur juſta, ut tradit Navarrus in Manuali cap. 25. num. 121.?* En reſponſum — *Ad ſecundum de licentia Parochorum cenſuit Congregatio eos minime abeſſe poſſe abſque amplitudinis tuæ licentia* —. Non diffiteor tamen, quod ſi caſus occurreret, qui moram non pateretur, poſ-

ſet tunc Parochus abſque præhabita Ordinarii licentia diſcedere de ſua Parœcia, & alio tranſire; ſed teneretur eo in caſu diſceſſum ſuum quamprimum ſignificare Epiſcopo, eique aperire cauſam, ob quam coactus fuit alio ſe transferre ipſo prius non conſulto, ſicuti Doctores communiter. Id intellige de abſentia per hebdomadam, & amplius: quoniam ſi abeſſe duntaxat deberet per unum, vel alterum diem, univerſali conſuetudine receptum eſt, quod id fieri poſſit a Parochis Epiſcopo non conſulto, nec admonito, dummodo Vicarium relinquant idoneum ab Epiſcopo approbatum: nam ut ait Concilium Trid. ſeſſ. 23. in Decr. de reform. cap. 1. — *Qui aliquantiſper tantum abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt.*

Quæres ſexto. An Epiſcopi, itemque Canonici indigeant licentia Superioris, ut abſint ultra menſes iiſdem a Concilio permiſſos?

℞. De Epiſcopis pluries id dixit Bened. XIV. in ſua jam citata Conſtitut. *Ad univerſæ* — *Quoniam vero & certæ quædam cauſæ adeſſe poſſunt, & hujuſmodi occaſiones incidere, propter quas prævio Romani Pontificis aſſenſu, & approbatione, liceat Epiſcopo e propria Eccleſia, & Diœceſi per aliquod definitum tempus abeſſe..... Ut autem Epiſcopi a ſuis Eccleſiis, vel Diœceſibus licite abeſſe poſſint, quum præter cauſam Canonicam expreſſa quoque licentia Romani Pontificis, ut ſupra diximus, ſit neceſſaria.... Decernentes ſub tranſgreſſorum nomine comprehendi non ſolum eos, qui præter menſes a Concilio toleratos abſque legitima cauſa, & expreſſa Romani Pontificis licentia, extra proprias Diœceſes commorantur; ſed eos etiam, qui hujuſmodi licentiam falſis, ſimulatiſve cauſis doloſe extorquere non dubitaverint; vel ea ſemel rite recteque obtenta, præſcriptos in eadem limites, ac præfinitum tempus prætergreſſi fuerint* —. Hac de cauſa particularem quamdam Sacram Congregationem ſuper Epiſcoporum reſidentia, quam erexerat fel. record. Urbanus VIII., & quæ, dum ipſe ad Summum Pontificatum fuit evectus, non amplius frequentabatur, idem Summus Pontifex Bened. XIV. ead. Conſtitut. *Ad univerſæ* inſtauravit, mandando, ut Seſſiones illico reſumerentur, & opportunas præſcribendo regulas exacte ſervandas in hujuſmodi licentiis concedendis. Canonicos quod reſpicit, id declaravit S. Congregatio Concilii ſemel iterumque, & præſertim an. 1580., teſte Fagnano de Præbendis in cap. *Licet* ſcribente — *Sanctiſſimus die 7. Octobris 1580., audita relatione Congregationis, impertitus eſt facultatem Epiſcopo, ut poſſit ſingulis annis, ſi ſibi juſtæ cauſæ videbuntur, licentiam concedere Canonicis non reſidendi per aliam menſem ultra tres a Concilio eis conceſſos.*

Quæres ſeptimo. Quænam ſunt cauſæ, ob quas Epiſcopi, itemque Parochi legitime & licite poſſunt abeſſe?

℞. Has enumerat Trid. Synodus ſeſſ. 23. in Decr. de reform. cap. 1. inquiens — *Nam cum Chriſtiana Charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia,*

Digitized by Google

ria, ac evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnumquam abeſſe poſtulent, & exigant: decernit eadem Sacroſancta Synodus, has legitimæ abſentiæ cauſas a Beatiſſimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel ab, eo abſente. ſuffraganeo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas: ni cum abſentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Epiſcopatibus adjunctum: cujus quoniam cauſæ ſunt notoriæ, & interdum repentinæ, ne eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit —. Et iccirco has, & non alias agnovit, probavitque Bened. XIV. in memorata Conſtitut. *Ad univerſæ* ſcribens — *Cauſæ a præfata Synodo citat. cap. 1. ſeſſ. 23. non aliæ agnitæ fuerunt, quam Chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas..... quibus verbis animi levitas, oblectationum cupiditas, aliæque futiles cauſæ penitus excluduntur*.

Quæres octavo. Utrum Epiſcopi trimeſtrem abſentiam unius anni iiſdem a Concilio permiſſam poſſint conjungere cum trimeſtri abſentia ſequentis anni, & ſic abeſſe per ſex menſes continuos?

℞. Miror profecto, quod nonnulli Doctores ſententiam defenderint affirmativam, hac futili ratione ducti, quod hoc non reperiatur a Trid. Synodo expreſſe prohibitum. Poſſem cum Lucio Ferraris ver. *Epiſcopus* art. 3. num. 37. oſtendere oppoſitum, Tridentinam nempe Synodum id ſufficienter vetuiſſe tum ſeſſ. 6. in Decreto de reform. cap. 1. iiſdem prohibens, ne abſint per ſex menſes continuos, tum ſeſſ. 23. in decreto pariter de reform. cap. itid. 1., eoſdem admonens, & hortans in Domino, ne abſint tempore Dominici Adventus, & Nativitatis Domini, quæ abſentia eſſet neceſſaria, ut abſentia præcedentis anni conjungeretur cum abſentia ſequentis. Sed opus non eſt ad ratiocinia confugere. Id fuit expreſſe declaratum & vetitum ab Urbano VIII., ejuſque Succeſſoribus, teſte Bened. XIV. in ead. Conſtitut. *Ad univerſæ* ita ſcribente — *Cum vero idem Urbanus declaraſſet, ſe, per ea, quæ in ſuis præfatis literis conſtituerat, minime ſublatam voluiſſe dictam trium menſium licentiam a Concilio indultam: hinc plures ortæ quæſtiones, & varia condita ſunt Decreta ab eodem Urbano, ejuſque Succeſſoribus approbata: cujuſmodi ſunt, non licere trimeſtrem abſentiam prædictam conjungere, ſive cum eo tempore, quo permittitur Epiſcopis poſt ſuam promotionem in Urbe commorari, ſive cum eo, quod ad peragendam Sacrorum liminum Viſitationem eiſdem conceſſum fuit: neque fas eſſe abſentiæ tempore ita diſponere, ut tres poſtremi menſes unius anni continuentur cum tribus prioribus menſibus anni ſubſequentis. Sicut etiam vetitum eſt prædictos menſes conjungere cum eo anni tempore, quo, propter aeris inſalubritatem, alicui Epiſcopo permittitur extra Diœceſim degere, ne ſcilicet continuatis abſentiæ temporibus, vernos ſimul & æſtivos menſes, ſive æſtivos una cum autumnalibus, extra Diœceſim duci contingat. Denique, ne quis indulgentia Sacri Concilii per fraudem abuti poſſet, declaratum fuit, præ-*

prædictam trium menſium vacationem intra cujuſque anni limites coerceri, ut qui uno anno uſus ea non fuerit, non ideo ſequenti anno diutius ab Eccleſia ſua abeſſe valeat.

Poſtulabis forſan hic, occaſione nacta ex hiſce verbis Summi Pontificis, quantum temporis permittatur Epiſcopis, quod immorentur in Urbe poſt ipſorum promotionem: quantum item temporis iiſdem concedatur pro viſitandis ſacris liminibus Apoſtolorum?

℞. Utrique poſtulationi reſpondet idem Summus Pontifex Bened.XIV. in ead. Conſtitut. ſcribens — *Præfatus autem Prædeceſſor ad peculiares occurrentes caſus deſcendens, Epiſcopis in Curia promotis unum conceſſit menſem (quem poſtea declaratum fuit, a die ipſorum propoſitionis in Conſiſtorio computandum eſſe) quo menſe elapſo, ſinguli ad proprias Eccleſias ſe conferre deberent. Sed quum in Concilio Romano habito a felic. record. Benedicto Papa XIII. Prædeceſſore pariter Noſtro, Epiſcopi expoſuiſſent, tam exiguo temporis ſpatio non poſſe a recens promotis ſua in Urbe negotia expedire, idem Benedictus facultatem conceſſit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali ſuo, & Romani Pontificis pro tempore in Urbe, ejuſque diſtrictu Vicario, ut præfatum unius menſis terminum, juxta caſuum contingentiam, & cauſa cognita, ad alios quadraginta dies, & non ultra, prorogare poſſet. Præterea Epiſcopis ad ſacra Apoſtolorum limina ſtatutis temporibus viſitanda perſonaliter accedentibus, ſupradictus Urbanus Prædeceſſor indulſit, ut, qui Eccleſiis citra Montes & citra mare poſitis præſiderent, per quatuor; qui vero Ultramarinis & Ultramontanis Eccleſiis præeſſent, per ſeptem menſes continuos a reſidentia in ſuis reſpective Sedibus facienda, hujuſmodi Viſitationis gratia excuſarentur.*

Hiſce præhabitis deſcendo ad caſum, & reſponſum Authoris: Beneficiarios nempe, qui abſque legitima cauſa, & facultate, dum neceſſaria hæc eſt, abſunt a loco Beneficii, teneri ad reſtitutionem fructuum perceptorum pro rata abſentiæ. Id contra eoſdem conſtituit Trid. Synodus in Decreto de reform. Seſſ. 23. cap. 1. inquiens — *Si quis autem (quod utinam numquam eveniat) contra hujus Decreti diſpoſitionem abfuerit, ſtatuit Sacroſancta Synodus, præter alias pœnas adverſus non reſidentes ſub Paulo III. impoſitas, & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe, ſed teneri, aut ipſo ceſſante per Superiorem Eccleſiaſticum, illos fabricæ Eccleſiarum aut pauperibus loci erogare: prohibita quacumque conventione, vel compoſitione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur: non obſtantibus quibuſcumque privilegiis cuicumque Collegio, aut fabricæ conceſſis. Eadem omnino, etiam quoad culpam, amiſſionem fructuum, & pœnas de Curatis inferioribus, & aliis quibuſcumque, qui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum curam animarum habens obtinent, Sacroſancta Synodus* decla-

declarat, & decernit --. Tridentinum ſequitur Benedictus XIV. in pluries memorata Conſtitut. *Ad univerſæ* ſcribens -- *Secundo loco, & conſequenter ad præmiſſa, adverſus prædictarum legum, & Conſtitutionum tranſgreſſores, omnes & ſingulas pœnas in eiſdem Decretis, & Conſtitutionibus latas, & comminatas auctoritate quoque noſtra confirmamus, & innovamus: amiſſionis ſcilicet quartæ partis fructuum unius anni, ipſo facto ab iis incurrendæ, qui legitimo impedimento, ſeu juſtis & rationabilibus cauſis ceſſantibus, & abſque expreſſa, ut præfertur, Apoſtolicæ Sedis licentia, ſex menſibus continuis extra ſuam Diœceſim morando abſuerint: & amiſſionis alterius quartæ partis fructuum eodem modo incurrendæ, ubi hujuſmodi abſentia ad alios ſex menſes protrahatur, ut in prædicto Concilio Trid. Seſſ. 6. cap. 1. de reformatione ſtatutum fuit: incurſus quoque in peccati mortalis reatum, & obligationis reſtituendi fructus in abſentia perceptos, nulla etiam prævia declaratione, eoſque erogandi in Eccleſiarum fabricas, ſeu in ſubventionem pauperum ipſius loci, quacumque conventione, ſeu compoſitione pro hujuſmodi fructibus male perceptis prohibita, ut in eodem Concilio Seſſ. 23. cap. 1. præſcribitur* --. Proſequitur Pontifex alias nonnullas enumerans, & confirmans pœnas a ſuis Prædeceſſoribus impoſitas -- *Similiter impoſitam a prædicto Pio IV. Prædeceſſore pœnam amiſſionis facultatum teſtandi, & diſponendi, ſi quæ tranſgreſſoribus hujuſmodi competere dignoſcantur: nec non inhabilitatis ad majores dignitates, & Eccleſias obtinendas, quam præfatus quoque Prædeceſſor Clemens VIII. indixit, per omnia confirmamus, & innovamus* --, Proſequitur idem Pontifex aliam pœnam de novo ipſe adjiciens -- *Quibus omnibus hoc etiam ſuperaddimus, ut iidem tranſgreſſores omnibus & ſingulis Indultis, & privilegiis, quæ forſan ipſis tamquam Pontificio ſolio aſſiſtentibus conceſſa fuerint, ipſo facto privati eſſe cenſeantur* --. Canonicos quod ſpectat, jam quæres tertio protuli verba ejuſdem Concilii Seſſ. 24. in Decr. de reform. cap. 12. eos reſpicientia, quæ hic iterum recitare non erit abs re -- *Præterea obtinentibus in eiſdem Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones non liceat vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe: ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt. Alioquin anno primo privetur unuſquiſque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ, ac reſidentiæ fecit ſuos. Quod ſi iterum eadem fuerit uſus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Creſcente vero contumacia contra eos juxta ſacrorum Canonum Conſtitutiones procedatur.*

Quum Trid. Synodus agens de Epiſcopis (idem dicas de Parochis) dicat -- *Alia etiam declaratione non ſecuta*, ideſt ut exponit Bened. XIV. nunc laudatus, *nulla etiam prævia declaratione*; de Canonicis autem loquens unice adſerat -- *Privetur*: inquiri hic poteſt, an ad hujuſmodi reſtitutionem teneantur ipſo facto, & ante quamcumque Judicis declarationem?

Re-

Reſponſio in promptu eſt. Nullum dubium de Epiſcopis, & Parochis; id enim poſtulat phraſis, quam Trid. Synodus uſurpavit hac ſuper re. Non ita tamen de Canonicis; verbum enim *privetur*, quod eadem Trid. Synodus adhibuit, ſententiam Judicis appellat, ante quam Canonicus non tenetur reſtituere, ut cum pluribus oſtendit Ferraris ver. *Canonicus* art. 5. num. 17. & præſertim cum Rota in cauſa Caurien. fructuum coram Orano 10. Aprilis 1592. Salvo nihilominus meliori judicio adderem ego, quod, tametſi Canonicus non reſidens jure Eccleſiaſtico non teneatur ad reſtitutionem ante ſententiam Judicis; ad eandem tamen tenetur jure naturali: quia Præbenda & fructus ſtipendium ſunt ab Inſtitutoribus, & Fundatoribus eidem adſignatum, & collatum propter Officia Canonicatui adnexa, inter quæ principem tenent locum reſidentia, & Chori ſervitium.

Quæ de reſtitutione a Canonicis non reſidentibus facienda huc uſque dixi, fructus reſpiciunt, quos ipſi percipiunt ex Præbendis, non vero diſtributiones quotidianas, quæ ſolis Canonicis Choro intereſſentibus tribui ſolent, & debent. Has nullo modo recipere poſſunt Canonici non reſidentes, & ſi ipſas recipiunt, ſtatim, ante quamcumque Judicis ſententiam, nulla prævia declaratione, tenentur ad eas reſtituendas. Id expreſſe definivit Bonifacius VIII. anno 1298. de quo cap. unicum *de Clericis non reſidentibus* in Sexto — *Conſuetudinem, quæ in quibuſdam partibus inolevit, qua Canonici, & alii Beneficiati, ſeu Clerici Cathedralium, & aliarum Collegiatarum Eccleſiarum, diſtributiones quotidianas, (quæ alias manualia Beneficia, ſeu victualia nuncupantur, & tantum reſidentibus tribuuntur) qualitercumque in Civitatibus, ſeu aliis locis, in quibus ipſæ conſiſtunt Eccleſiæ, ſint præſentes, licet divinis Officiis non interſint, ex integro percipiunt, ac ſi continue in ipſis Eccleſiis in eiſdem Officiis deſervirent penitus improbantes. Statuimus, ut diſtributiones ipſæ quotidianæ in quibuſcumque rebus conſiſtant, Canonicis ac aliis Beneficiatis, & Clericis Eccleſiarum ipſarum, qui eiſdem Officiis in eiſdem Eccleſiis adfuerint, tribuantur juxta Eccleſiæ cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, ſeu etiam faciendam. Qui vero aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret) rerum ſic receptarum dominium non acquirat; nec faciat eas ſuas: immo ad omnium reſtitutionem, quæ contra hujuſmodi noſtram Conſtitutionem receperit, teneatur. De diſtributionibus etiam pro defunctorum Anniverſariis largiendis idem decernimus obſervandum* —. Id ipſum confirmavit Trid. Synodus Seſſ. 24. in Decr. de reform. cap. 12. ſcribens —. *Diſtributiones vero, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant. Reliqui, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, penitus careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit CONSVETVDINEM, quod Sancta Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis, & conſuetudinibus.*

Trice-

TRiceſimus primus Titulus, qui eſt de turpi cauſa, continet unam quæſtionem, ſeu unum Dubium.

Dubium. Utrum acquiſita in cauſa turpi, in qua dominium transfertur in accipientem, & illi, qui illam dedit, vel cujus antea fuit, non competit repetitio, ſint reſtituenda de neceſſitate?

Reſpondet Raymundus tit. *de Raptoribus* ſic diſtinguendo. Aut cauſa turpis eſt talis turpitudinis, quæ in jure civili ſolum punitur nota infamiæ, ut hiſtrionatus, & exercitium eorum, qui pugnant in arena, vel in duello, exercitium item meretricum, & hujuſmodi: & tunc acquiſitum ex tali cauſa non eſt de neceſſitate reſtituendum, ſed duntaxat de conſilio. Aut talis turpitudinis eſt, quæ a jure punitur pœna corporali, aut extorſione turpis lucri: & in hoc caſu non tenetur quis in conſcientia de neceſſitate reſtituere, niſi prius in judicio condemnetur. Aut cauſa turpis ideo turpis eſt, quia prohibetur, ſicuti ſunt torneamenta, negotiatio Clericorum, lucrum Medici, vel Advocati, in caſibus non permiſſis, emere triticum ut carius vendatur, & hujuſmodi: & tunc ſic acquiſitum non eſt in conſcientia de neceſſitate reſtituendum, niſi ſecuta condemnatione. Aut cauſa ideo eſt turpis, quia contra charitatem proximi, puta dum quis aliquid accipit, ut alteri faciat injuriam: & in hoc caſu, licet in foro fori ille, in cujus injuriam illud datum eſt, habeat petitionem L. *Et generaliter* §. *Illud* ff. *de calumniatoribus*; in conſcientia tamen non tenetur quis reſtituere ante condemnationem, niſi injuriam reipſa fecerit proximo, quia tunc tenetur ei reſtituere pro rata inju-

riæ: Excipitur caſus de Judice, de Aſſeſſore, & de Teſte; hi enim ſi acceperunt aliquid, ut male judicarent, aut ut falſum teſtimonium dicerent, tenentur indiſtincte illi, in cujus injuria datum eſt. Arguitur cap. *Non ſane* 14. q. 5. & cum hoc concordant Joannes Andreæ, & Archidiaconus ibidem, & Innocentius in cap. *Quia plerique* Extra *de immunitate Eccleſiarum*, Hoſtienſis item, & Raymundus. Vel tenentur dare pauperibus, ſi ille nullum habuit damnum. Concordat Directorium tit. *Reſtitutio*, quod bene nota. Aut demum cauſa ita turpis eſt, quod non ſolum prohibetur, ſed jus ultra hoc etiam præcipit reſtitutionem omnium acquiſitorum ex ipſa, cujuſmodi ſunt ludus alearum, ſimonia &c. & in hoc caſu omnia acquiſita ex tali cauſa ſunt de neceſſitate reſtituenda. In aliis autem caſibus turpibus, in quibus jus non præcipit reſtitutionem, nec reſtitutio facienda eſt certæ perſonæ: de conſilio eſt, ut acquiſita erogentur in uſus pios, non autem de neceſsitate, niſi præcedat condemnatio Judicis, vel niſi Confeſſarius id opportunum judicet, & neceſſarium, ut Gloſſa 12. q. 2. cap. *Fraternitas*. Concordat Monaldus tit. *Reſtitutio ſecundo*.

(263) De Medico jam multa dixi art. 2. hujus Conſiderationis ſuper Dubio 3. & 4. Multa item de Advocato art. 3. tit. 12. Dubio 9. De Advocato iterum, & de Teſte, & de Judice, & de Adſeſſore tit. 28. per totum. De ludo alearum tit. 23. pariter per totum. De ſimonia demum in univerſo tit. 25. Recole igitur, quæ in hiſce locis ſcripſi, ne ad paginas implendas idem repetere tenear. Dicam igitur ſolummodo de turpi meretricum exercitio, quod toleratur in Eccleſia, ne pejus contingat in Urbibus Catholicis, ſicuti poſt S. Auguſtinum ſcribit S. Thomas Opuſculo 20. de regimine Principium lib. 4. cap. 14. — *Auguſtinus dicit, quod hoc facit meretrix in mundo, quod ſentina in navi, cloaca in palatio. Tolle cloacam, & repleveris fœtore palatium: & ſimiliter de ſentina. Tolle meretrices de mundo, & replebis ipſum Sodomia. Propter quam cauſam Idem Auguſtinus ait lib. 13. de Civitate Dei, quod terrena Civitas uſum ſcortorum licitam turpitudinem fecit* —. Meretricem ex neceſſitate non teneri ad ea reſtituenda, quæ acquiſivit per meretricium, communis eſt Doctorum ſententia. Ita Ale-
xander

xander de Ales part. 4. q. 86. Membro 3. art. 6. §. 2. — *Ad hoc poteſt dici, quod meretrix non tenetur reſtituere quod acquiſivit per meretricium. Nec valet hæc argumentatio: meretrix per peccatum acquirit; ergo non poteſt bona conſcientia retinere acquiſitum. Multi enim ex ardenti cupiditate de nundinis ad nundinas pergunt, & multa lucrantur, & acquirunt ſine fraude, nec tamen tenentur reſtituere, cum non deceperint aliquem. Nec eſt ſimile de acquiſito per meretricium, & uſuram; quia acquiſiti per meretricium transfertur dominium, acquiſiti per uſuram non transfertur* —. Ita S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2. — *Dicendum, quod aliquis dupliciter aliquid illicite dat. Uno modo, quia ipſa datio eſt illicita, & contra legem, ſicut patet in eo, qui ſimoniace aliquid dedit. Et talis meretur amittere quod dedit; unde non debet ei reſtitutio fieri de his. Et quia etiam ille, qui accepit, contra legem accepit, non debet ſibi retinere, ſed debet in pios uſus convertere. Alio modo aliquis illicite dat, quia propter rem illicitam dat, licet ipſa datio non ſit illicita, ſicut cum quis dat meretrici propter fornicationem. Unde & mulier poteſt ſibi retinere quod ei datum eſt. Sed ſi ſuperflue aliquid per fraudem, vel dolum extorſiſſet, teneretur eidem reſtituere* —. Clarius ibid. q. 32. art. 7. in corpore — *Tertio modo eſt aliquid illicite acquiſitum, non quidem, quia ipſa acquiſitio ſit illicita, ſed quia id, ex quo acquiritur, eſt illicitum, ſicut patet de eo, quod mulier acquirit per meretricium. Et hoc proprie vocatur turpe lucrum. Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei. Sed in eo, quod accipit, non injuſte agit, nec contra legem. Unde quod ſic illicite acquiſitum eſt, retineri poteſt, & de eo eleemoſyna fieri* —. Scriptum quidem eſt Deuter. 23. v. 8. — *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium carnis in domo Domini Dei tui, quidquid illud eſt quod voveris: quia abominatio eſt utrumque apud Deum tuum* —. Sed intelligi hoc debet, ſicuti exponitur ab Alexandro de Ales loco proxime citato — *Dicendum, quod non omnis oblatio acquiſita per meretricium eſt abominabilis Domino, ſed publica oblatio, quæ fit cum ſcandalo, eſt abominabilis, ſicuti ſi meretrices traherent currum ad fabricam Eccleſiæ, vel darent pannum ſericum, vel feneſtram vitream in Eccleſia; talia non debet Eccleſia recipere a congregatione meretricum, ne videatur approbare opus meretricium. Sed privatas eleemoſynas dare pauperibus de pecunia ſic acquiſita, licitum eſt eis, & offerre candelas, & hujuſmodi, in quibus non eſt ſcandalum* —. Idem brevibus dixit S. Bernardinus To. 1. ſerm. 37. art. 2. cap. 2. ſcribens — *Talis enim mulier turpiter agit, & contra legem; ſed in eo quod accipit, non agit injuſte, nec contra legem. Propterea quod accipit & retinere poteſt, & eleemoſynas pauperibus diſpenſare; oblationem autem publicam ad Altare minime offerre poteſt* —. Ita demum S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 23. §. 10. — *De acquiſito per meretricium, quod pertinet ad turpe lucrum, ſciendum eſt ſecundum B. Thomam 2. 2. q. 32. & Ricardum in 4. & Petrum de Palude in 4. &*

Gloſſam ſummariam 14. q. 5. In principio, quod non debet reſtituere, ſed poteſt de eo fieri eleemoſyna, & conſulendum eſt illud pauperibus erogari; non tamen tenetur de neceſſitate. Quia etſi lex Divinina vel Canonica prohibeat actum, per quem lucratur non tamen ipſam acceptionem, vel dationem. Quod autem Eccleſia prohibeat recipi oblationes talium in veteri lege, intelligitur hoc de oblationibus ad altare, quod fit in deteſtationem criminis, ut illa magis erubeſcat, & deſiſtat, & ne Eccleſia videatur approbare talia ſcelera. Et idem dicendum de acquiſito per concubinatum, & ſodomium, & adulterium eadem ratione. Tamen quia ſumme omnia jura deteſtantur ſodomiam, ideo magis inducendum ad dandum illud pauperibus. Quidam tamen dicunt, quod acquiſitum per adulterium, eſt dandum ei, in cujus injuriam eſt factum, ſcilicet viro, cum ipſe eſt innocens. Sed occulto modo dandum eſt ei, ne ei innoteſcat adulterium, vel niſi etiam econtrario uxori fidem fregiſſet; tunc enim pauperibus eſt erogandum. Sed videtur idem dicendum quod de aliis turpibus lucris, ſcilicet meretricio, & hujuſmodi. Si quis tamen, vel ſi qua accepiſſet aliqua bona in notabili quantitate ab his, qui alienare non poſſunt, ſcilicet a Religioſis, ſervis, pupillis, & Clericis quoad bona Eccleſiaſtica, reſtituere tenentur his, qui habent curam de his, vel Eccleſiis, vel Monaſteriis eorum. Quæ etiam in hujuſmodi turpitudine, ut contingit per fraudes, & importunas extorſiones habuiſſet, tenetur reſtituere ei, a quo habuit, etiam Laico, vel habenti curam ejus, ſi non eſt ſui juris. Arguitur 14. q. 6. SI RES —. Quod hic breviter dixit S. Antoninus de Religioſis, ſervis, & filiisfamilias, id fuſe exponit Aſteſanus lib. 1. tit. 35. art. 4. ſcribens -- Quid de muliere, quæ pecuniam accepit pro carnali opere? Reſpondet Rodonenſis, quod ſi recepit a Clerico ſæculari de rebus propriis, non tenetur reſtituere, etiamſi ſit Monialis, ſed acquitur Monaſterio ejus illud, quod accepit. Honeſtius tamen eſt, quod Monaſterium illud non retineat, ſed eroget in pios uſus. Si autem accepit à Clerico ſæculari de rebus Eccleſiæ, debet fieri reſtitutio ſecundum quod dictum eſt in præcedenti quæſtione, niſi Epiſcopus velit diſpenſare cum muliere, quæ recepit, quod retineat illud, ſi eſt Sæcularis, aut cum Monaſterio, ſi eſt Regularis. Si autem recepit a perſona Regulari de rebus Monaſterii, quod præſumendum eſt; niſi de contrario conſtet: aut recepit ab habente adminiſtrationem, aut a ſimplici Clauſtrali. In primo caſu debet fieri reſtitutio Monaſterio, vel Prioratui, vel Adminiſtratori, de cujus bonis datum eſt: & poteſt fieri reſtitutio eidem perſonæ, quæ dedit, ſi adhuc remanet in adminiſtratione illa, maxime ſi creditur correctus; alias tutius eſt, quod ei non reddatur, ſed fiat quod dictum eſt ſupra. Si tamen tali non correcto facta eſt reſtitutio, liberata eſt quæ accepit. Si autem amotus ſit ab adminiſtratione illa, aut ſi eſt ſimplex Clauſtralis, qui dedit, fieri debet reſtitutio Monaſterio, vel Prioratui, vel Adminiſtratori. Nec liberatur, ſi ſolverit illi, qui dedit, niſi tunc demum, cum id converſum

fue-

fuerit in utilitatem Eccleſiæ, Monaſterii, Prioratus, vel Adminiſtratoris. Nec retineri poteſt a Monaſterio illius mulieris Regularis illud, quod accepit a Regulari alterius loci, niſi de conſenſu Abbatis, & Conventus; ſi donum fuerit magnum, aut Abbatis ſolius, ſi fuerit parvum, vel etiam mediocre. Quod autem dictum eſt de rebus taliter datis a Regularibus perſonis, intellige etiam de rebus datis a perſonis Sæcularibus etiam Laicis, qui non ſunt ſui juris, ut cum ſervus, & filiusfamilias quando dant talibus de rebus etiam peculiaribus, niſi rerum illarum habeant ita liberam adminiſtrationem, quod quaſi paterfamilias de eiſdem diſponere poſſint. Item quod dictum eſt de Moniali reſpectu viri Regularis, tenendum eſt econverſo, quando vir Regularis recepit aliquid a muliere Regulari. Vir autem Sæcularis, quod a muliere conjugata recepit pro carnali copula, debet reſtituere viro, ſi illa de rebus dotalibus, vel communibus dedit. Si autem dedit de paraphernalibus, aut ſi mulier ſoluta ſui juris dedit aliquid amaſio de rebus propriis, licet ſit honeſtum, quod expendat illud in pias cauſas, non tamen tenetur, niſi velit. Poterit etiam ei reſtituere quod dedit, quod videtur melius, ſi pœniteat, vel egeat -- Hactenus Aſteſanus. Quod huc uſque dixi de acquiſito per opus meretricium, textu confirmatur aperto ff. *de conditione ob turpem, vel injuſtam cauſam* L. 4. §. 3. -- *Sed quod meretrici datur, repeti non poteſt, ut Labeo, & Marcellus ſcribunt. Sed nova ratione, non ea, quod utriuſque turpitudo verſatur, ſed ſolius dantis: illam enim turpiter facere, quod ſit meretrix; Non turpiter accipere, cum ſit meretrix.*

Trice-

TRiceſimus ſecundus Titulus, qui eſt de duobus fratribus, continet quæſtiones decem & octo, ſeu decem & octo Dubia.

PRIMUM DUBIUM. Utrum filiusfamilias, qui opera ſua aliquid negotiando lucratur cum pecunia patris, teneatur communicare lucrum fratri poſt mortem patris?

Reſpondet Bartolus in Tractatu *de duobus fratribus*, quod, cum lucrum, quod fit cum pecunia patris, partim tribuatur pecuniæ, & partim operi lucrantis L. 1. C. *pro Socio*, & ff. *Pro ſocio* L. *Si non fuerint* §. 1., qua de cauſa dum unus ponit pecuniam, & alter perſonam, lucrum dividitur inter eos ſecundum quod convenerunt: & cum omne lucrum proveniens ex perſona filii ſit adventitium L. *Cum oportet* poſt principium C. *de bonis quæ liberis in poteſtate patris conſtitutis*: illa pars lucri, quæ tribuitur pecuniæ, tamquam quid profectitium, eſt communicanda; illa vero quæ tribuitur operi & perſonæ, tamquam quid adventitium non eſt communicanda, ſed filius eam ſibi retinere poteſt, L. finali C. *de collationibus*. De hoc etiam eſt Gloſſa ſecunda in L. *Illud* in principio C. eodem titulo. Nec obſtat L. *Si ita* §. finali ff. *de uſu & habitatione*, quam Speculator allegat in contrarium: quia loquitur de ſervo, qui acquirit alteri ex opere ſuæ perſonæ.

(264) Varia filiorum bona, caſtrenſia nempe, quaſi caſtrenſia, adventitia, & profectitia, jam fuſe explicui Annotatione 206., quam potes recolere. Reipſa Bartolus ſub initio memorati Tractatus id docuit, quod hic Author exponit, ipſumque ſequuntur nedum Author ipſe in Angelica ver. *Peculium* num. 11., ſed & Roſella ver. itidem *Peculium* num. 8., & Thabiena, ſeu Joannes de Thabia, ver. pariter *Peculium* num. 17. Ingenue tamen

tamen fatetur ipſe Bartolus, ſecus opinari & Gloſſam in L. *Cum oportet* C. *de bonis quæ liberis*, ſingillatim in ver. *Exceptis caſtrenſibus peculiis* ſcribentem — *Hic nota, quod quoddam peculium eſt profectitium, ſcilicet quod acquirit filius familias de rebus paternis* —, & Jacobum Balduinum, & Speculatorem. Scriptum revera eſt Inſtitut. *Per quas perſonas cuique adquiritur* §. 1. — *Sancitum enim a nobis eſt, ut ſi quid ex re patris ei obveniat; hoc ſecundum antiquam obſervationem totum parenti adquiratur. Quæ enim invidia eſt, quod ex patris occaſione profectum eſt, hoc ad eum reverti* —? Ex re patris certe eſſet lucrum, de quo in caſu. Certe ex occaſione patris eſſet profectum, quia ex pecunia patris. Arbitror iccirco recedendum hoc in caſu eſſe a ſententia Bartoli, & firmiter conſtituendum, lucrum, de quo ſermo, eſſe profectitium, atque ideo communicandum poſt mortem patris. Præcipue quum dicta L. *cum oportet* conſtituatur, ad filium pertinere quod acquirit, non ex ſubſtantia patris, ſed alia duntaxat de cauſa, ex alia nempe ſubſtantia — *Si quis itaque filiusfamilias vel patris ſui, vel avi, vel proavi in poteſtate conſtitutus, aliquid ſibi acquiſierit, non ex ejus ſubſtantia, cujus in poteſtate ſit, ſed ab aliis quibuſcumque cauſis, quæ ex liberalitate fortunæ, vel laboribus ſuis ad eum perveniant: eas ſuis parentibus non in plenum, ſicut antea fuerat ſancitum, ſed uſque ad uſumfructum ſolum acquirat: & eorum uſusfructus quidem apud patrem, vel avum, vel proavum, quorum in ſacris ſit conſtitutus, permaneat; dominium autem filiisfamilias inhæreat, ad exemplum tam maternarum, quam ex nuptialibus cauſis filiisfamilias adquiſitarum rerum* —. Vim hujuſce ratiocinii forte præſenſit Thabiena; & iccirco ſubdidit — *Et iſtud tale peculium nihil valet filio, niſi ad hoc ne publicetur in caſu, quo omnia bona alia patris publicantur, ut L. SI FINITA §. SI DE VECTIGALIBUS ff. DE DAMNO INFECTO, & quod ibi notat Bartolus. Poſt mortem tamen patris, erit commune cum aliis fratribus* —. An in caſu, in quo omnia bona patris publicari deberent, fiſcus vellet excipere bona, de quibus agitur, tametſi lex expreſſe dicat eorum duntaxat dominium pertinere ad filium, quæ adquiſivit, non ex ſubſtantia patris, ſed ex alia ſubſtantia: judicent alii. Mihi ſatis eſt, quod Thabiena ipſe fateatur, lucrum hujuſmodi poſt mortem patris inter filios eſſe dividendum. Leges, quas in confirmationem propriæ opinionis proferunt adverſantis ſententiæ homines, eo tendunt, quod ſocietas contrahi poſſit, uno pecuniam conferente, alio operam, ſicuti ſancitur L. 1. C. *pro Socio*, & quod in hac ſocietate lucrum dividi debeat inter eoſdem. Veriſſimum hoc eſt; ſed falſum omnino, quod in caſu, de quo agitur, vera habeatur ſocietas — *Eſt autem ſocietas, ut ait Marcus Tullius, duorum, pluriumve conventio honeſte contracta ad uberiorem quæſtum, & commodiorem uſum* —. Ita Gloſſa in Rubrica ſuper Inſtitut. *de ſocietate*. Porro pater & filius non emancipatus, & aliunde non habens de proprio, de quo ſermo, in jure cenſentur una perſona. Ergo

inter

inter ipſos vera non poteſt haberi ſocietas. Ergo leges veræ, propriæque ſocietatis nequeunt extendi ad caſum præſentem.

Quid interim juris, ſi pecunia patris, de qua ſermo, otioſa omnino fuiſſet, & veluti mortua? Huic caſui reſpondet Fulg. Cuniliati de 7. Decal. præcepto cap. 2. §. 2. num. 9. inquiens — *Quando filius ex bonis paternis, quæ pater, ut dici ſolet, mortua tenet, & inoperoſa, negotiatur, & lucrum ex ſola ſua induſtria reportat: puta ex pecunia, frumento &c., quæ pater tenet otioſa, lucrum illud erit quidem filii, utpote ſolius induſtriæ ejuſdem; peccabit tamen contra reverentiam, & forte contra obedientiam patri debitam id agendo clam a notitia patris; non tamen contra juſtitiam, dummodo habeat bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia, quibus ſecurum efficere poſſit capitale patris, ſi forte negotiando periclitetur, aut aliud damnum emergat, & dummodo in cæteris ſibi commiſſis patri deſerviat. Si vero ita negotietur, ut non habeat, quo ſecurum reddat patrem in caſu periculi, aut damni, cui exponit patrem peccabit etiam contra juſtitiam ob periculum notabilis damni. Nihilominus, ſi propitiante eventu, lucretur, lucrum erit ſuum, utpote ſolius induſtriæ propriæ; quippe quod nullum patri lucrum bona illa erant allatura. Salvo meliori judicio ita in caſu maxime practico reſolvendum puto* —. Verum enim vero quum etiam in hoc caſu verificetur, quod lucrum ſit ex re patris, ex ſubſtantia patris, ex occaſione patris: quum inſuper nulla ponatur inita ſocietas inter patrem, & filium habentem bona caſtrenſia; ponatur immo quod filius utatur pecunia paterna patre penitus inſcio: & in hoc caſu lucrum arbitror eſſe profectitium, non adventitium, & idcirco inter fratres dividendum poſt mortem patris.

Secundum Dubium. Utrum omne acquiſitum per filium ſit præſumendum ex bonis patris in dubio, & ſit communicandum?

Reſpondet Bartolus ubi ſupra, quod aut reſultat ſuſpicio delicti, niſi ſic præſumatur, puta quia filia præſumitur turpiter acquiſiviſſe, quia aliter habere non potuit: & tunc credetur ex bonis patris, ut evitetur ſuſpicio delicti, L. *Si defunctus* C. *Arbitrium tutelæ*, & L. *Quintus* ff. *de donationibus inter virum & uxorem*, &. C. eod. tit. L. *Etiamſi uxoris tuæ nomine*. Aut præſumptio delicti evitatur: & tunc præſumetur ex bonis filii per dictas leges. Aut nec evitatur, nec oritur præſumptio delicti: & tunc recurrendum eſt ad conjecturas. C. *de Epiſcopis & Clericis* Authent. *Licen-*

centiam ſumpta ex Authent. *de Eccleſiaſticis titulis* cap. *Interdicimus*. Et hoc etiam per omnia tene in Prælato, tutore, uxore, & hujuſmodi, qui circa bona aliorum verſantur, & maxime in conſcientia: licet Gloſſa in dicta L. *Etiamſi*, & in L. *Cum oportet* C. *de bonis*, *quæ liberis*, aliter dicat.

(265) Textus eſt apertus de uxore in L. *Quintus* ab Authore producta -- *Quintus Mucius ait, eum in controverſiam venit, unde ad mulierem quid pervenerit: & verius & honeſtius eſt, quod non demonſtratur, unde habeat, exiſtimari a viro, aut qui in poteſtate ejus eſt, ad eam perveniſſe. Evitandi autem turpis quæſtus gratia circa uxorem hoc videtur Quintus Mucius probaſſe* --. Idem dicas de filia ob eandem rationem. Clarius L. *Etiamſi* itidem ab Authore memorata -- *Nec eſt ignotum, quod, cum probari non poſſit, unde uxor matrimonii tempore honeſte quæſierit, de mariti bonis eam habuiſſe veteres juris auctores merito crediderint* --. Excipe, ſi uxor haberet bona paraphernalia, quorum proprietas, adminiſtratio, & uſusfructus ad ipſam pertinent; tunc enim non oritur præſumptio delicti præſumendo eam habuiſſe ex propriis. Textus pariter apertus eſt de tutore L. *Si defunctus*, cujus Author meminit -- *Si defunctus tutelam veſtram adminiſtravit, non rerum ejus dominium vindicare, vel tenere potes: ſed tutelæ contra ejus ſucceſſores tibi competit actio: Debitum autem aliis indiciis comprobari oportet. Nam quod neque ipſe, neque uxor ejus quicquam ante adminiſtrationem habuerunt, non idoneum ejus continet judicium. Nec enim pauperibus induſtria, vel augmentum patrimonii, quod laboribus & multis caſibus quæritur, interdicendum eſt*.

Si exemplum peroptas eorum omnium, quæ hic poſt Bartolum Author conſtituit, ipſum accipe. Si filia, aut uxor, quæ non habeat bona paraphernalia, conſtante matrimonio, aliquid acquiſierint: oritur ſuſcipio delicti, ſi dicatur eas habuiſſe ex proprio. Dices ergo in hoc caſu, quod filia habuit ex bonis patris, & uxor ex bonis mariti. Si uxor habens bona paraphernalia, aut filius habens caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, acquiſierint aliquid: evitatur ſuſpicio delicti, ſi dicatur & hanc uxorem, & hunc filium acquiſiviſſe ex proprio. Ita igitur conſtitues. Quod ſi acquiſitum per hanc uxorem, & per hunc filium, multum excedat fructus omnes bonorum paraphernalium, & caſtrenſium, itemque induſtriam, quæ fuit conſpicua: nec in totum evitatur, nec in totum oritur delicti ſuſpicio, præſumendo eos acquiſiviſſe de proprio. In hoc caſu igitur confugiendum eſt ad conjecturas, & ſecundum iſtas proferri debet judicium. Monitum tamen te volo, hujuſmodi regulas locum habere in caſu dubio, de quo loquitur Author, & non aliter. Quoniam ſi certum foret, quod acquiſi-

quiſitum per filiam, aut uxorem, aut filium eſſet ex turpi quæſtu, ſecus foret conſtituendum, & ſignanter juxta id, quod in præcedenti titulo fuit ſancitum. Item ſi certo conſtaret, fillum, filiam, uxorem, Prælatum, tutorem accepiſſe de bonis patris, mariti, Eccleſiæ, & pupilli: nullum tunc dubium, quod res ex integro reverti deberet ad Dominum ſuum. Monitum inſuper te velo, præfatas regulas locum ſibi vindicare maxime, & præſertim in foro conſcientiæ, & defuncta perſona, quæ acquiſivit. Forum enim fori in omnibus hiſce caſibus indicia huc illucque conquirit, & expendit, teſtes examinat, libros rationum diligenter ſcrutatur, & judicium profert juxta allegata & probata. Perſona itidem vivente non eſt opus hiſce regulis, ſed ipſamet audienda eſt, ipſiuſque confeſſioni ſtare debet Confeſſarius.

Tertium Dubium. Utrum filiusfamilias, qui ex morte uxoris ſuæ vigore ſtatuti lucratur dotem, aut partem ipſius, teneatur eam communicare inter fratres?

Reſpondet qui ſupra, quod aut filius ſuſtinet onera matrimonii de lucro ſuæ perſonæ: & tunc lucrum erit filio adventitium, & non communicabit. Aut ipſe pater eſt, qui onera matrimonii ſuſtinet: & tunc lucrum erit profectitium, & ipſum communicabit. Sic intelligenda eſt opinio Dyni in L. *Si cum dotem* §. *Tranſgrediamur nunc* ff. *ſoluto matrimonio*, qui tenet, quod communicabit per L. 2. C. *Familiæ erciſcundæ*, & L. *Dotem* ff. *de caſtrenſi peculio*. Si vero partim pater, partim filius onera ſuſtinent: tunc lucrum partim erit profectitium, & partim adventitium pro rata oneris ff. *de uſufructu & quemadmodum* L. *Sed & ſi quid* §. 1., & ff. *de ſtipulatione ſervorum* L. *Si ſervus communis Mævii* §. finali.

(266) Illud vere & proprie in jure dicitur dos, quod datur marito occaſione matrimonii, vel a muliere, vel ab ejus patre &c., vel etiam ab extraneo. Si detur a patre, vel ab alio aſcendente paterno, ſub cujus poteſtate filia ſit, ſive ab alio quolibet, mandato tamen, nomine, aut intuitu patris, dicitur profectitia, ſeu a patre profecta – *Profectitia dos eſt* (L. 5. in principio ff. *de jure dotium*) *quæ a patre, vel parente profecta eſt de bonis, vel facto ejus. Sive igitur parens dedit dotem, ſive procurator ejus, ſive juſſit alium dare, ſive cum quis dediſſet negotium ejus gerens,*

rem, parens ratum habuerit: profectitia dos eſt. Quod ſi quis patri donaturus dedit Marcellus lib. 6. Digeſtorum ſcripſit hanc quoque a patre profectam eſſe. Et eſt verum --. Si autem detur ab alio non aſcendente paterno, puta a fratre, vel ab alio extraneo, non tamen de mandato, nec nomine, nec intuitu patris, dicitur dos adventitia, ſeu mulieri accedens --. *Extraneum autem* (ait L. unica §. 13. C. *de rei uxoriæ actione*) *in eligimus omnem, citra parentem per virilem ſexum adſcendentem, & in poteſtate dotatam perſonam non habentem.*

Dum mulier moritur ante virum, aut filios relinquit ex legitimo matrimonio procreatos, aut moritur ſine liberis. Si primum, uſusfructus dotis pertinet ad virum, proprietas autem ad filios, textu expreſſo L. 1. C. *de bonis maternis* -- *Res, quæ ex matris ſucceſſione, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato fuerint ad filios devolutæ, ita ſint in parentum poteſtate, ut utendi, fruendi dumtaxat habeant in diem vitæ facultatem, dominio videlicet earum ad liberos pertinente* --. Si vero ſecundum, & ſermo ſit de dote profectitia, & filia non fuerit emancipata, tunc de jure communi dos revertitur ad patrem dotantem, ff. *de jure dotium* L. 6. in principio --. *Jure ſuccurſum eſt patri, ut filia amiſſa, ſolatii loco cederet, ſi redderetur ei dos ab ipſo profecta: ne & filiæ amiſſæ, & pecuniæ damnum ſentiret* --. Dixi, ſi ſermo ſit de dote profectitia, nam dos adventitia eo in caſu non revertitur ad patrem, a quo non eſt profecta, nec ſpectat ad maritum, qui non amplius ſuſtinet onera matrimonii, ſed tranſit ad hæredes ipſius uxoris ab inteſtato, ut Doctores communiter. Dixi item, ſi filia non fuerit emancipata: quoniam tunc dos non revertitur ad patrem, quum hic per emancipationem ceſſerit juri ſuo, nec ad maritum ſpectat propter rationem ſupra productam, ſed tamquam res omnino pertinens ad mulierem tranſit pariter ad ipſius hæredes ab inteſtato, ut colligitur ex C. *de rei uxoriæ actione* L. unica §. 11. -- *Cumque juris certi atque indubitati ſit, ſi parens per virilem ſexum aſcendens dote pro filia vel nepte præſtita, emancipaverit eam, vel ipſe deceſſerit, in rei uxoriæ actione dotem omni modo ad mulierem pertinere, etiamſi fuerit exhæredata* --. Dixi demum de jure communi, nam in materia dotium ſtandum eſt conſuetudini patriæ, ut peroptime Greg. IX. Extra *de donationibus inter virum & uxorem* cap. 8. -- *Sane ſoluto matrimonio, ſicut dos ad mulierem, ſic & donatio propter nuptias redit ad virum: niſi de conſuetudine ſecus obtineat, vel ex pacto de lucranda dote, & donatione propter nuptias, quod æquale ſit tamen, hinc inde contrarium inducatur* --. Præſertim quum notum omnibus ſit, varias eſſe ſuper hac re locorum conſuetudines. Alicubi enim cautum eſt, quod, ſi uxor per annum vixerit cum marito, & poſtea moriatur ſine liberis, maritus acquirat ex integro dotem. Alicubi, quod in omni caſu, in quo uxor decedit ſine liberis, maritus lucretur medietatem dotis, & alia medietas redeat ad patrem dotantem. Alicubi, ut fert ſtatutum Mediolanenſe

nenſe in cap. 298. vol. 1., quod, ſi non exiſtentibus liberis, præmoriatur uxor jam ad maritum traducta, & cum qua matrimonium per carnalem copulam jam fuerit conſummatum, quamvis præmoriatur uno vel altero die poſt matrimonium initum, & conſummatum, maritus omnem lucretur dotem ſive datam, ſive unice promiſſam. Cautum eſt alibi, quod, ſemel inito matrimonio per verba de præſenti, maritus lucretur dotem, quamvis uxor moriatur matrimonio nondum conſummato. Et alibi aliter.

Author in præſenti ponit, quod vi alicujus ſtatuti maritus acquirat dotem, ſi uxor decedat ſine liberis. Ponit item, quod hic maritus tunc vivat ſub poteſtate patris, & habeat fratres ſub eadem poteſtate viventes. His poſitis inquirit, an hujuſmodi dos, quam unus ex fratribus acquirit, conferri debeat in commune, & ſit dividenda poſt mortem patris. Super hac re variæ fuerunt Doctorum opiniones, ut monet Editor Annotationum ſuper Angelica ver. *Peculium* num. 12. Author adamavit doctrinam Bartoli, & ita ſe geſſit Thabiena ver. *Peculium* num. 18. ne tranſverſum quidem unguem ab eadem recedens. Doctrina hæc confirmari poteſt ex L. 66. ff. *Pro ſocio* — *Quod ſi eo tempore, quo dividitur ſocietas, in ea cauſa dos ſit, ut certum ſit, eam, vel partem ejus reddi non oportere, dividere eam inter ſocios Judex debet* —. Quoniam ſi in ſocietate omnium bonorum, de qua lex, dos acquiſita ab uno ex ſociis conferri debet in commune, & dividi inter ſocios, quia ſocietas ipſa ſuſtinuit onera matrimonii: quum hæc eadem onera in caſu ſuſtineat pater, pari ratione dicendum erit dotem fieri patris, & poſt mortem ipſius eſſe dividendam. Nihilo tamen minus quum adquiſitum ex cauſa nuptiali computetur inter bona filii adventitia, non profectitia ex L. *Cum oportet* C. *de bonis, quæ liberis*, quam jam ſupra protuli Annotatione 264., & quam iterum proferre non erit abs re — *Si quis itaque filiusfamilias, vel patris ſui, vel avi, vel proavi in poteſtate conſtitutus, aliquid ſibi adquiſierit, non ex ejus ſubſtantia, cujus in poteſtate ſit, ſed ab aliis quibuſcumque cauſis, quæ ex liberalitate fortunæ, vel laboribus ſuis ad eum perveniant: eas ſuis parentibus non in plenum, ſicut antea fuerat ſancitum, ſed uſque ad uſumfructum ſolum acquirat, & eorum uſusfructus quidem apud patrem, vel avum, vel proavum, quorum in ſacris ſit conſtitutus, permaneat: dominium autem filiisfamilias inhæreat, ad exemplum tam maternarum, quam ex nuptialibus cauſis filiisfamilias adquiſitarum rerum* —. Quum lucrum, de quo ſermo, non ſit ex re patris, ex ſubſtantia patris, nec occaſione nec intuitu patris: arbitrarer idcirco dotem non eſſe dividendam, ſed privative ſpectare ad maritum poſt mortem patris. Verum quidem eſt, quod vivente patre, pater ipſe ſuſtinet onera matrimonii, alendo filium, & ipſius uxorem. Sed verum etiam eſt, quod pater ipſe percipit fructus dotis, & quod tum filius, tum hujus uxor laborant pro communi utilitate patris & familiæ: & ſic compenſant onus, quod ſuſtinetur a patre. Hoc, ut puto, pene

ubi-

Digitized by Google

ubique locorum eſt conſuetudine receptum. Si tamen alicubi eſſet aliter in more poſitum, ſervetur ibi conſuetudo patria; conſuetudo enim optima eſt legum interpres, uti ſancitur L. 37. ff. *de legibus*. Hac nihilominus dicta ſint ſalvo meliori judicio. Doctrina iſthæc, quod nempe dominium dotis pertineat ad filium, & ad patrem unice ſpectet uſusfructus, perſpicua ipſa eſt in L. 4. C. *de bonis quæ liberis* — *Quæcumque res ad filium, vel filiam, nepotes, ſive pronepotes utriuſque ſexus in poteſtate conſtitutos ex priore, vel ſecundo, aut tertio, ſeu numeroſiore conjugio pervenerint, ex dote, vel quacumque donatione ſeu hæreditate, vel legato, vel fideicommiſſo: earum rerum uſque in diem vitæ ſuæ pater, vel avus, vel proavus uſumfructum habeant, eaſdem res quocumque modo alienandi, vel pignoris, ſeu hypothecæ jure obligandi facultate eis penitus interdicta: dominio videlicet earum apud filios, & nepotes, ſive pronepotes utriuſque ſexus permanente, etiamſi ex eodem matrimonio procreati non ſint, ex quo eædem res ad parentes eorum, qui quæve in poteſtate ſunt, fuerint devolutæ. Eo videlicet obſervando, ut morientium fratrum, ſororumve portiones, qui quæve ex eodem matrimonio progeniti, vel progenitæ ſunt, primo quidem ad liberos eorum, ut dictum eſt, ſi tamen fuerint, deinde his non extantibus, ad ſuperſtites tantummodo fratres, vel ſorores eorum perveniant, aut ad ſuperſtitem, ſi ex iiſdem fratribus aut ſororibus unus unave remanſerit. Omnibus autem, qui ex eodem conjugio fuerint procreati, defunctis: tunc demum ad eos, qui ex alio ſunt matrimonio editi, eaſdem res pro virili pervenire ſtatuimus: nulla autem ex memoratis perſonis exiſtente, parentes eorum eas percipere. Parentibus vero, quorum ſub poteſtate ſunt, uſumfructum duntaxat habituris, memoratas res jure poteſtatis alienandi, vel obligandi licentiam denegamus.*

Quartum Dubium. Utrum donatum, vel relictum ab extraneo filiofamilias ſit communicandum?

Reſpondet qui ſupra, & cum eo Doctores communiter, quod aut datum eſt contemplatione patris, & tunc ſit commune, quia eſt profectitium. Aut datum eſt contemplatione filii, & tunc non ſit commune, quia eſt adventitium L. *Sed ſi plures* §. *In adrogato* ff. *de vulgari & pupillari ſubſtitutione*, & L. *Additio* ff. *de adquirenda vel omittenda hæreditate*, & ff. *de uſufructu & quemadmodum* L. *Sed & ſi quid donetur*, & Gloſſa in L. *Cum oportet* C. *de bonis quæ liberis*. Quod ſi non appareat, cujus contemplatione ſit datum, licet iſte Doctor aliter diſtinguat, credo

quod

quod in conſcientia recurrendum ſit ad conjecturas. Poteſt tamen ex futuro eventu præſumi, cujus contemplatione ſit datum: puta quando relinquitur filio, ut illud habeat poſt mortem patris, nam tunc præſumitur datum contemplatione filii. Si vero ut tantum illud habeat vivente patre, patet quod datum eſt contemplatione patris. Item præſumi poteſt ex opere, nam ſi filius mercando acquiſivit amicitiam cum aliquo, ex qua ille aliquid ipſi donavit, tunc datum erit filii tamquam adventitium, L. *Socium qui* §. finali ff. *Pro ſocio*, ubi habetur caſus expreſſus. Nota, quod leges, quæ dicunt inſpiciendum cujus contemplatione, debent intelligi de cauſa proxima, dicta L. *Socium*: quoniam in damnum acquirentis non conſideratur cauſa remota L. finali ff. *de conjungendis cum emancipato liberis*, quæ bene conſideratur quantum ad commodum L. *Si forte* ff. *de caſtrenſi peculio*.

(267) Eadem habet Thabiena ver. *Peculium* num. 14. ſervato pene ipſo litterarum cortice. Nullum dubium, quod, ſi extraneus, de quo ſermo, largitus eſt donum contemplatione filii, donum erit adventitium, & ex illis, de quibus Inſtitut. *Per quas perſonas cuique adquiritur* §. 1. in fine — *Quod autem ex alia cauſa ſibi filiusfamilias adquiſivit, hujus uſumfructum patri quidem adquirat, dominium autem apud eum remaneat: ne quod ei ſuis laboribus, vel proſpera fortuna acceſſerit, hoc in alium perveniens, luctu ſum ei procedat* —. Dubitari unice poteſt, an donum ſit profectitium, ſi ipſum largiatur contemplatione patris: quia Inſtitut. loco nunc citato profectitium dicitur, quod ex re patris obvenit filio, & C. *de bonis quæ liberis* L. *Cum oportet* cenſetur profectitium, quod ex ſubſtantia patris filius adquirit; nulla in hiſce locis mentione facta de eo, quod a filio acquiritur contemplatione patris. Sed dubium omne tollit Gloſſa in dict. L. *Cum oportet*, & ſingillatim in ver. *Ex ejus ſubſtantia* inquiens — *Ex ſubſtantia patris eſſe videtur, ſi aliquid contemplatione patris datum eſt filio*.

Subdit Author, hac in re conſiderandam eſſe cauſam proximam, non vero remotam: quod perbene exponit Roſella ver. *Peculium* num. 10. ſcribens — *Hoc tamen limitari debet ſic, quod filius habet beneficio patris, intellige quando beneficium patris eſt cauſa proxima, vel immediata. Sicut verbi gratia: reperit filium meum in Anglia, & dat ſibi aliquid, quod*

non

non dares niſi propter me ; unde ſum cauſa proxima . Secus ſi pater eſſet cauſa remota , quia propter patrem meum habui notitiam cum quodam Domino , diligit me plus quam patrem meum . Certe illud , quod daretur mihi ab illo Domino , non erit profectitium , ſed adventitium . Hanc diſtinctionem ponit textus in dict. L. SOCIUM .

Quintum Dubium . Utrum donatum filiofamilias ſub hac conditione , quod illud habeat in caſtrenſe , vel quaſi , fieri debeat commune ?

Reſpondet qui ſupra , quod aut filius eſt miles , vel Advocatus , vel habet aliquas dignitates ex illis , quæ ponuntur in L. finali C. *de inofficioſo teſtamento* , & inſuper certum eſt , quod donans non dediſſet niſi militi , Advocato &c. & tunc erit bonum caſtrenſe , vel quaſi , nec fiet aliis commune L. *Cum allegas* C. *de caſtrenſi peculio* , & L. *Caſtrenſe* ff. eod. tit. & ſic intelligenda eſt L. *Divus* eod. tit. Si autem miles non eſt , nec Advocatus , nec hujuſmodi , tunc unice cenſebitur bonum quaſi adventitium L. *Si forte* ff. *de caſtrenſi peculio* , & iccirco non fiet commune .

(268) *Caſtrenſe peculium eſt , quod a parentibus , vel cognatis in militia agenti donatum eſt : vel quod ipſe filiusfamilias in militia adquiſiit , quod , niſi militaret , adquiſiturus non fuiſſet : nam quod erat & ſine militia adquiſiturus , id peculium ejus caſtrenſe non eſt* — L. 11. ff. *de caſtrenſi peculio*. Immo & peculium caſtrenſe eſt , quod filio obvenit occaſione , ſeu ratione militiæ L. 4. ff. eod. tit. — *Cum allegas te a fratre tuo , eodemque commilitone in eiſdem caſtris inſtitutum hæredem , ſucceſſionem ejus potius in caſtrenſi peculio tuo , quam patri tuo , cujus in poteſtate es , per te quæſitam videri , rationis eſt . Etenim peregrinationis laborem ſociatum commilitii ejus , & obeundorum munerum conſortium , affectioni fraternæ non nihil addidiſſe , quin immo vice mutua cariores invicem ſibi eos reddidiſſe , credendum eſt* — . Gaudent poſtea privilegio caſtrenſium , & dicuntur quaſi caſtrenſia , quæ filius acquirit medio ordinato ad bonum commune Reipublicæ , puta ex arte liberali , ex publico officio Miniſtri , Advocati , Medici , Judicis , Conſiliarii , Prætoris &c. , quibus adde ex Beneficio , vel officio Eccleſiaſtico — *Ut puta viris diſertiſſimis Patronis cauſarum , viriſque devotiſſimis memorialibus* , (*ideſt Notariis , qui ſcribunt cauſa memoriæ* ita Gloſſa) *& agentibus in rebus , nec non Magiſtris ſtudiorum liberalium ,*

Ar-

Digitized by Google

Archiatris quoque, & aliis omnibus omnino, qui ſalaria, vel ſtipendia percipiunt publica. In his itaque omnibus ſancimus (quia ad imitationem peculii caſtrenſis quaſi caſtrenſe peculium ſupervenit) omnes, qui tale peculium poſſident, ſuper ipſis tantummodo rebus, quæ quaſi caſtrenſis peculii ſunt, ultima condere, ſecundum leges tamen, poſſe elogia — L. ultima C. *de inofficioſo teſtamento*. Immo inter peculium quaſi caſtrenſe connumerantur etiam dona, quæ filius habet a Principe, ipſiuſque uxore, L. 7. C. *de bonis quæ liberis — Si quis igitur a Sereniſſimo Principe, vel a piiſſima Auguſta, ſive maſculus, ſive fœmina, donationes ſit conſecutus, vel conſecuta, ſive mobilium, ſive immobilium, ſive ſe moventium rerum, filiusfamilias tamen conſtitutus, vel conſtituta, habeat hujuſmodi res omni acquiſitione abſolutas, & nemini eas acquirat, neque earum uſumfructum pater, vel avus, vel proavus ſibi vindicet, ſed ad ſimilitudinem caſtrenſis peculii omnem facultatem in eas filii, vel filiæfamilias habeant* —. Quod ſi filius ex illis non eſt hic recenſitis, conditio a donante appoſita, quod habeat donatum tanquam caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe, non ſufficit, ut donum naturam immutet, & tale fiat, L. 8. ff. *de caſtrenſi peculio — Si forte uxor, vel cognatus, vel quis alius, non ex caſtris notus, filiofamilias donaverit quid, vel legaverit, & expreſſerit nominatim, ut in caſtrenſi peculio habeat: an poſſit caſtrenſi peculio adgregari? Et non puto. Veritatem enim ſpectamus, an vero caſtrenſis notitia vel affectio fuit, non quod quis finxit* —. Si enim ſecus eſſet, uno vel altero verbo eluderentur pene omnia, quæ de bonis filiorum per leges fuere ſancita, & quiſque pro arbitratu poſſet efficere caſtrenſe, quod caſtrenſe non eſt. Sufficit tamen, ut donum ſit filii, nedum quoad dominium, ſed etiam quoad uſumfructum, ut Authent. *Excipitur* C. *de bonis quæ liberis — Excipitur, quod eis datur, vel relinquitur ab aliquo parentum, conditione hac adjecta, ne ad patrem perveniat uſusfructus*.

Hæc omnia adeo dilucide expoſuit Bartolus, nihil ut magis. Verba igitur ipſius accipe — Quarto quæro. Pone, aliquid donatum fuit filiofamilias pacto appoſito, quod illud habeat in caſtrenſi peculio, vel quaſi: an erit caſtrenſe, vel quaſi? Diſtingue. Aut donatur ei filio, qui non eſt miles, vel quaſi, quia non eſt Advocatus, nec habet aliquas dignitates, quæ ponuntur in L. finali C. *de inofficioſo teſtamento*: & tunc non erit caſtrenſe, vel quaſi, ſed adventitium. Veritas enim eſt inſpicienda, non verba a donante prolata, ut ff. *de caſtrenſi peculio* L. *Si forte*. Aut erat miles, vel Advocatus, vel hujuſmodi: & tunc aut eſt certum, quod non donaſſet niſi occaſione militiæ, & erit caſtrenſe, vel quaſi, L. *Cum allegas* C. *de daſtrenſi peculio*, & L. *Caſtrenſe* ff. *de caſtrenſi peculio*, & ſic etiam debet intelligi L. *Divus* eod. titulo. Aut erat dubium: & tunc aut donantur res militiæ neceſſariæ, ut equus, & arma militi, & Advocato libri, & erit caſtrenſe, vel quaſi, a quocumque concedatur, C. *de caſtrenſi peculio* L. *Miles* in principio, & L. *Caſtrenſe* ff. eod. titulo. Aut

ſunt

ſunt res ad militiam non neceſſariæ : & tunc aut donantur ab eo , qui in militia notus erat , & erit caſtrenſe peculium , etiamſi hoc non dixit donans , dict. L. *Si forte* , & ibi notatur , & C. eodem L. 1. Licet autem appoſitio illorum verborum non valeat facere eſſe caſtrenſe , tamen forte operabitur , quod patri non quæreretur quantum ad uſumfructum , quod poteſt facere donans , C. *de bonis quæ liberis* Authentica *Excipitur* . Et licet forte vitietur expreſſum , tamen non vitiatur tacitum , L. 1. ff. *Quibus modis pignus , vel hypotheca ſolvitur* : & quod plene notatur per Cynum in illa quæſtione de illo , qui ex pacto aliquid reſervavit ſibi —. Hactenus Bartolus .

Sextum Dubium . Utrum donatum filiofamilias militi , Advocato &c. ſine aliqua expreſſione , ſit caſtrenſe , vel quaſi , & ideo non commune ?

Reſpondet qui ſupra , quod aut donantur res militiæ ſuæ neceſſariæ , ut equus militi , Advocato libri , & hujuſmodi : & tunc in dubio dicetur eſſe bonum caſtrenſe , vel quaſi , a quocumque , & quomodocumque donetur , nec fiet commune , L. *Miles præcipue* , & L. *Caſtrenſe* ff. *de caſtrenſi peculio* . Si autem donantur ea , quæ non ſunt neceſſaria ad militiam , non erit tunc caſtrenſe , etiamſi donans id expreſſe dixerit , L. *Si forte* ff. *de caſtrenſi peculio* , quod ibi tenet Dynus , & L. 1. C. eod titulo . Verum hoc eſt , niſi ille , qui donat , ſit ſolum notus ex militia : quia in hoc caſu cenſeri in dubio deberet caſtrenſe , vel quaſi . Nota hic ſecundum eundem ubi ſupra , quod licet appoſitio verborum , ut ſcilicet ſit caſtrenſe , vel quaſi , non valeat niſi ad hoc quod fiat quaſi adventitium : tamen hoc operatur , quod patri non acquiratur uſusfructus ; hoc enim facere poteſt donans , ut C. *de bonis quæ liberis* Authentica *Excipitur* . Et iccirco licet vitietur expreſſum , non vitiatur tamen tacitum , L. 1. ff. *Quibus modis pignus vel hypotheca ſolvitur* , & plene per Cynum in prima quæſtione , ubi agit de eo , qui ſibi ex pacto aliqnid reſervavit .

(269) Hoc dubium nihil aliud eſt, niſi fuſior declaratio precedentis. De noto ex ſola militia perſpicue L. 1. C. *de caſtrenſi peculio* — *Peculio autem caſtrenſi cedunt res mobiles, quæ eunti in militiam a patre, vel a matre, aliiſve propinquis, vel amicis donatæ ſunt. Item quæ in caſtris per occaſionem militiæ quæruntur, in quibus ſunt etiam hæreditates eorum, qui non alias noti eſſe potuerunt, niſi per militiæ occaſionem, etiamſi res immobiles in his erunt* —. Dum Author ait, quod, dum donantur res ad militiam non neceſſariæ, cenſeri iſtæ non debent bonum caſtrenſe: excipe non ſolum caſum, in quo donans duntaxat notus eſt ex militia, ſed etiam eum, in quo quis donaret quidem res non neceſſarias ad militiam, ſed expreſſa hac conditione appoſita, quod donata vendantur, & de eorum pretio emantur arma, libri, aliave neceſſaria ad militiam, aut ad publica munera exercenda. In hoc enim caſu perinde eſt ac ſi donentur neceſſaria ad militiam, quum donata in hunc uſum ſint convertenda, & non aliter.

Septimum Dubium. Utrum libri filio empti a patre debeant fieri communes cæteris fratribus poſt mortem patris?

Reſpondet qui ſupra, quod ſi libros non tradidit, vel tradidit quidem, ſed non expreſſit ſe donare, tunc ſunt patris, licet nomine filii ſui eos emerit; & iccirco erunt communes inter fratres, C. *de caſtrenſi peculio* L. 1. in principio; ad donationem enim requiritur traditio, C. *Si quis alteri vel ſibi* L. 2. Si vero eos tradidit, & ſe donare expreſſit, tunc filius, ſi erat Advocatus, vel Doctor, eos ſibi acquirit quaſi caſtrenſe, nec fient communes, L. 1. & 2. C. *de caſtrenſi peculio*, & ff. eod. titulo L. *Caſtrenſe*: nec pater poterit ſic datum revocare L. 1. §. *Nec caſtrenſe* ff. *de collatione bonorum*, & C. *Si filius* C. *Familiæ erciſcundæ*. Si autem tempore collationis non erat Doctor, ſed tantummodo Scholaris, tunc non poterunt dici quaſi caſtrenſe, quia conditio perſonæ hoc non patitur, nam Scholares non gaudent privilegiis, quibus gaudent Magiſtri, & Doctores L. 1. in fine C. *de ſtudiis liberalibus*: & favet quod notatur C. *de juriſdictione omnium Judicum* L. finali. Verum hoc credo, niſi ante mortem patris filius compleverit ſtudium ſuum: quia ſic cœpit quaſi militare, & erunt quaſi caſtrenſe,

nec

Digitized by Google

nec fient communes, L. *Sive emancipatis filiis* C. *de donationibus*, & L. *Donationes in concubinam* §. *Pater* ff. eod. titulo. Nota, quod, ſi pater ei non emancipato libros dedit, quos adeptus non eſt niſi poſt emancipationem, non tenetur eos reddere communes: quia emancipatione donatio confirmata eſt, dicta L. *Sive*, & dicto §. *Pater*, & L. *Quæ pater* ff. *Familiæ erciſcundæ*. Item donatio confirmatur morte, quamvis filius non eſſet emancipatus; & tunc non erunt communes L. *Filiæ* C. *Familiæ erciſcundæ* ſecundum opinionem approbatam in Authentica *Ex teſtamento* C. *de collationibus*. Secus, ſi pater eam ante mortem revocaſſet. Hanc diſtinctionem uſurpat Jacobus de Bella pertica in quadam ſua Diſputatione, quam ponit Cynus in L. 1. C. *de inofficioſo teſtamento*. Cogita bene, addit Baldus, quod, quando neſcitur, an pater donaverit nec ne, tunc recurrendum eſt ad conjecturas: nam in parva expenſa præſumitur donatio, non autem in magna. Arguitur L. *Si filiæ* ff. *de legatis tertio*, & aliis juribus multis per eum adductis.

(270) Quod emptum a patre nomine filii ſub patria poteſtate conſtituti adhuc ſit patris, textu docemur aperto L. 1. C. *de caſtrenſi peculio* ab Authore laudata — *Si in poteſtate tua filius tuus fuit eo tempore, quo quædam ejus nomine emiſti, ea tua eſſe non dubitatur* —. Quod peculium caſtrenſe non ſit in commune conferendum, jam pluries dixi, idque perſpique docetur ff. *de collatione bonorum* L. 1. §. 15. — *Nec caſtrenſe, nec quaſi caſtrenſe peculium fratribus confertur: hoc enim præcipuum eſſe oportere, multis Conſtitutionibus continetur* —. Quod Scholares non gaudeant privilegiis Magiſtrorum æquiſſimum hoc eſt, quum lex eos non recenſeat, & lex quod voluit, expreſſerit. Huc reſpicit Gloſſa in L. final., & in ver. *Pertinet* C. *de juriſdictione omnium Judicum* ſcribens — *Quid ergo in Scholarium Univerſitate? An poſſint habere Rectores? Videtur, quod non: quia non exercent profeſſionem, ſed ſub exercentibus ſunt diſcipuli; ſicut nec diſcipuli pelliparioum ſecundum Azo. Magiſtri ergo poſſunt eligere, quia ipſi exercent profeſſionem, & ſic fit Pariſiis* —. Quod donatio non revocata emancipatione confirmetur, id eruitur ex L. 17. C. *de donationibus* — *Sive emancipatis filiis res donaſti, ſive in poteſtate conſtitutis, & ſui juris effectis,*

ſtis, ac tenentibus non ademiſti: blandiri tibi non debes, velnti res donatas ex pœnitentia liceat auferre —: & clarius ff. eod. tit. L. 31. §. 2. — *Pater, qui filiæ, quam habuit in poteſtate, mancipia donavit, & peculium emancipatæ non ademit, ex poſt facto donationem videbatur perfeciſſe* —. Quod demum donatio itidem non revocata confirmetur morte, perſpicuum eſt L. 18. ſeu *Filiæ* C. *Familiæ erciſcundæ* — *Filiæ, cujus nomine pater res comparavit, ſi non poſtea contrarium ejus judicium prcbetur, per arbitrium dividundæ hæreditatis præcipuas adjudicari ſæpe reſcriptum eſt. His itaque, ſi patri ſucceſſiſti, quem nomine tuo quædam comparaſſe dicis, adverſus ſororem tuam apud Præſidem Provinciæ, ſi res integra eſt, uti potes* —. Super ver. *res comparavit* ita Gloſſa — *Unde quia nomine ejus emit, videtur quod per ultimum judicium conferret in eam, ut hic: quod facit pro filio, cujus nomine pater emit libros* —. Confirmari hoc poteſt Authent. *Ex teſtamento* C. *de collationibus* — *Ex teſtamento, & ab inteſtato ceſſat dotis, & aliorum datorum collatio, ita demum ſi parens hoc deſignavit expreſſim: aliis, quæ de collatione dicta ſunt, ſuum robur obtinentibus* —. Secus videtur ſancitum C. *de collationibus* L. *Si donatione* in fine. En integram legem — *Si donatione tibi poſt mortem patris fundum quæſiſti, ſoror tua portionem ejus vindicare non poteſt. Nam ſi is filiæfamilias conſtitutæ tibi a Patre donatus eſt, cum ſorore patri communi ſuccedens, eum præcipuum habere contra juta poſtulas* —. Objectionem hanc ſibi proponit, & ſolvit Gloſſa loco nunc laudato ſcribens — *Sed contra infra de collationibus L. Si donatione in fine. Solve. Ibi non ejus nomine pater emit, ſed ſuam rem filio donavit. Vel plenius ſolve, ut ibi* —: ubi ingenue fatetur L. *Si donatione* veritati non eſſe innixam, & iccirco fore emendandam. En verba Gloſſæ ſuper ead. L., & ſignanter ſuper ver. *Poſtulas* — *Immo ſecundum jus, ut ſupra Familiæ erciſcundæ L. Filiæ cujus, quæ eſt contra.*

OCTAVUM DUBIUM. Utrum pecunia data filio a patre pro ſtudio ſit ei imputanda poſt mortem patris tempore diviſionis?

Reſpondet Bartolus ubi ſupra, quod, ſi apud patrem nihil erat, quod eſſet filii, tunc non imputabitur ei in partem, L. *Quæ pater filio* ff. *Familiæ erciſcundæ*. Sed ſi apud patrem erat pecunia filii ex peculio caſtrenſi, vel quaſi, tunc in dubio, niſi aliud conſtet de voluntate patris, præſumitur quod fuerit de bonis filii, & quod pater adminiſtratorio nomine egerit id de pecunia ipſius filii; & iccir-

circo ipſi imputabitur in partem. Facit quod notatur in L. final. C. *de dotis promiſſione*, quod bene notandum eſt.

(271) Æquiſſimum videtur hujuſmodi judicium. Quoniam ſi filius nihil habet proprii, pater tenetur ei ſubminiſtrare neceſſaria, & ſubminiſtrando cenſetur ea ipſi paterna pietate donare. Nec de hoc juſte conqueri poſſunt cæteri filii, quum & ipſi votis omnibus exoptent, quod & iiſdem neceſſaria ſuppeditet pro rata talentorum, & profeſſionis, quam unuſquiſque exercet. Quod ſi filius habeat de proprio, & pecunia pro eodem in ſtudio expendenda multa ſit, non videtur æquum, quod pater huic oneri ſuccumbat de proprio non ſine damno cæterorum filiorum, qui juſte conqueri poſſent tamquam ex hac paterna liberalitate gravati. Primum erui poteſt ex L. *Quæ pater filio* ab Authore memorata — *Quæ pater filio emancipato ſtudiorum cauſa peregre agenti ſubminiſtravit, ſi non eredendi animo pater miſiſſe fuerit comprobatus, ſed pietate debita ductus, in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas non patitur* —. Si ita lex conſtituit de filio emancipato, potiori jure ſtatuendum id eſt de filio ſub paterna poteſtate vivente. Secundum poteſt inferri ex L. *Neſennius* ff. *de negotiis geſtis* — *Avia nepotis ſui negotia geſſit: defunctis utriſque, aviæ hæredes conveniebantur a nepotis hæredibus negotiorum geſtorum actione: reputabant hæredes aviæ alimenta præſtita nepoti: reſpondebatur, aviam jure pietatis de ſuo præſtitiſſe..... Igitur in re facti facilius putabo, aviam vel hæredes ejus audiendos, ſi reputare velint alimenta: maxime ſi etiam in ratione impenſarum ea retuliſſe aviam apparebit* —. Dixi, ſi pecunia pro eodem in ſtudio expendenda multa ſit: nam ſi ageretur de parva quadam expenſa, quæ pene nullum cæteris filiis adferret incommodum: hos conſulerem, quod eam haberent tamquam ex paterna liberalitate donatam.

Nonum Dubium; Utrum filius, qui vivente patre incœpit ſtudere de ipſius mandato, poſt mortem patris poſſit ſtudium abſolvere de communibus bonis?

Reſpondet qui ſupra, quod non: nam factum patris erga filium initiatum eatenus obligat hæredem, quatenus pater erat obligatus, L. *Et ſi filium* ff. *de muneribus & honoribus* juncta L. *Honores* §. *Is qui* ff. *de Decurionibus*, & L. *Si filia* §. *Idem ſcribit* ff. *Familiæ erciſcundæ*. Atqui pater non erat obligatus. Neque igitur fratres. Expendat

dat iccirco de ſuo dicit Baldus; & ſimiliter ſi vult fieri Doctor, id faciat ſumptibus ſuis: quia hoc eſt novus actus, L. *Si ſervus legatus* §. *Sed ſi cum mihi ex teſtamento* ff. *de lagatis primo*; fratres enim ad id non tenentur.

(272) Et hoc æquitati quammaxime eſt conſentaneum; in libertate enim patris erat proſequi expenſas incœptas pro filio, vel ab iiſdem ceſſare. Non ergo ad eas proſequendas obligari poterunt hæredes, quicquid in contrarium ſcripſerit Dynus, quem impugnarunt Bartolus, & Baldus: quia in vim hæreditatis obligantur duntaxat ad ea, ad quæ pater tenebatur, non vero quæ omnino libera voluntate faciebat. Textus eſt apertus ff. *ad Municipalem* L. Lucius Titius §. 2. – *Idem reſpondit, hæredes patris propter munera filii, quæ poſt mortem patris ſuſcepit, jure conveniri non poſſe. Hoc reſponſum & ad eum pertinet, qui a patre Decurio factus, poſt mortem patris munera ſuſcepit* –. Decurionatus erat initium ad alias dignitates, ut notat Bartolus ibidem, & expreſſim legitur ff. *de Decurionibus* L. *Honores* §. 1. – *Is, qui non ſit Decurio, Duumvirato, vel aliis honoribus fungi non poteſt, quia Decurionum honoribus plebei fungi probibentur* –. Immo nec tenentur hæredes, etiamſi alter filius patre vivente communibus expenſis ſtudium abſolverit, textu pariter aperto ff. *de muneribus & honoribus* L. *Et qui originem* §. ultimo – *Si is, qui duos filios relinquebat, nihil de expediendis muneribus alterius filii ex communi patrimonio ſupremis ſuis cavit: propriis ſumptibus is munera, & honores, qui ei injungentur, ſuſcipere debet, quamvis pro altero vivus pater ejuſmodi onera expedierit* –. Adjiciunt Bartolus & Baldus, quod, ſi hic filius vivente patre ſtudiorum cauſa contraxit debitum, dummodo expenſa facta ſit in re filio neceſſaria, fratres tenentur in communi ipſum ſolvere, tamquam æs alienum debitum a patre. Et hoc expreſſe fuit ſancitum L. *Macedoniani* C. *ad Senatuſconſultum Macedonianum* – *Macedoniani Senatuſconſulti auctoritas petitionem ejus pecuniæ non impedit, quæ filio familias ſtudiorum, vel legationis cauſa alibi degenti, ad neceſſarios ſumptus, quos patris pietas non recuſaret, credita eſt.*

DECIMUM DUBIUM. Utrum tempore diviſionis fratrum veniant expenſæ factæ a patre uxori unius ex filiis, & alia ornamenta pro eadem empta?

Reſpondet Baldus in Additionibus ad Tractatum Bartoli, quod hic filius non tenetur de conſumptis. Nec frater ipſius poteſt dicere, ducam & ego uxorem meam, & tantun-

tundem expendam de communibus bonis, niſi pater aliter caverit in teſtamento L. 3. §. *Si is* ff. *de muneribus & honoribus*, & ibi per Gloſſam, & L. *Ex parte* §. *Filius* ff. *Familiæ erciſcundæ*. De extantibus autem, ſicuti ſunt veſtes, & alia ornamenta, ſi hæc neceſſaria ſunt pro uſu quotidiano, non conferuntur in commune, ſed ſunt uxoris; tenuit enim a principio donatio inter ſocerum & nurum, L. *Ex annuo* ff. *de donationibus inter virum & uxorem*, & ff. *ad legem Falcidiam* L. *Si dos* cum ſua Gloſſa. Si vero neceſſaria non ſunt pro uſu communi, ſed ſunt pretioſa: tunc conferri debent in commune talia qualia ſunt, L. *Id veſtimentum* ff. *de peculio*. Nec poteſt dici, quod morte ſoceri donatio fuerit confirmata: quia non fuerunt donata, ſed duntaxat conceſſā ad uſum, L. *Mortis* in fine ff. *de donationibus inter virum & uxorem*. Præterea etiamſi fuiſſet donatio, non valeret conſtante matrimonio inter virum, ſeu filium & uxorem, ut ff. eod. tit. L. *Cum hīc ſtatus* §. *Oratio non ſolum*, & §. *Sive*. Et pro prædictis facit L. finalis ff. *ſoluto matrimonio*, & quod dicit Bartolus ff. *commodati* L. *Si ut certo* §. *Interdum*.

(273) Placet audire verba ipſa Baldi -- Tertio quæro: ſi pater fecit ſumptus in nuptiis pro filio capiente uxorem, & mortuo patre alter frater vult, quod pecunia expenſa, & alia ornamenta veniant in diviſionem, vel quod frater, pro quo iſti ſumptus ſunt facti, imputent in propriam partem. Quæritur quid juris? Reſpondeo, quod licet pater expenderit in nuptiis filii, quatenus iſta expenſa conſumpta eſt, non debet filio imputari. Et ſi alter frater vellet dicere, ego volo ducere uxorem, & tantundem expendere de communi, non auditur: quia pater non expendit de communi patrimonio liberorum, ſed de ſuo proprio, in quo filii nondum habebant aliquod jus. Et hoc eſt verum, niſi pater aliter caverit in teſtamento ff. *de muneribus & bonoribus* L. 3. §. finali. Sed circa veſtes, & alia ornamenta uxoris an veniant: dic, aut loquimur de veſtibus quotidianis, & neceſſariis ad uſum quotidianum, & non ſunt conferendæ, & ſunt propriæ mulieris, & a principio tenuit donatio inter ſocerum, & nurum, ut ff. *de donationibus inter virum & uxorem* L. *Ex annuo*, & ff. *ad legem Falcidiam* L. *Sed uſusfructus* ff. *Dos relegata*, in fine cum ſua Gloſ-

Gloſſa. Aut loquimur de veſtibus, & aliis ornamentis pretioſis & feſtivis: & illa qualia nunc ſunt, ſunt conferenda, nam remanſerunt ff. *de donationibus inter virum & uxorem* L. *Mortis ſuæ cauſa* §. finali; & probatur hæc diſtinctio ff. *de peculio* L. *Id veſtimentum*. Nec poteſt dici, quod donatio morte ſoceri ſit confirmata: quia non fuerunt res donatæ, ſed ad uſum traditæ, ut dicta L. *Mortis ſuæ cauſa* in fine. Præterea, poſito quod fuiſſet donatio, non confirmatur morte ſoceri, conſtante matrimonio inter virum & uxorem, ſive filium, ff. *de donationibus inter virum & uxorem* L. *Cum hic ſtatus* §. *Oratio* —. Hactenus Baldus.

Leges nunc audiamus communientes ea omnia, quæ Baldus adſeruit. Quod expenſæ factæ a patre in matrimonio unius ex filiis non debeant huic adjudicari in diviſione fratrum, ſi pater in teſtamento aliter non cavit, probatur ex §. *Si is qui*, quem produxi in Annotatione proxime præcedenti; nam ſi quod expendit pater, ut unus ex filiis ſtudium abſolveret, non debet huic præjudicium adferre in partitione hæreditatis, ſi pater ſecus non diſpoſuit: pari ratione idem adſerendum eſt de eo, quod idem pater expendit, dum unus ex filiis uxorem duxit. Quod veſtes pro uſu pene quotidiano uxori neceſſariæ ſint uxoris, cenſeri debeant a ſocero donatæ, & conferri non debeant in commune poſt mortem patris: probatur ff. *de peculio* L. 25. — *Id veſtimentum peculii eſſe incipit, quod ita dederit Dominus, ut eo veſtitu ſervum perpetuo uti vellet, eoque nomine ei traderet, ne quis alius eo uteretur, idque ab eo ejus uſus gratia cuſtodiretur* —: & ff. *ad legem Falcidiam* L. *Sed uſusfructus* §. 1. & 2. — *Dos relegata extra rationem legis Falcidiæ eſt, ſcilicet quia ſuam rem mulier recipere videtur. Sed & de his quoque rebus, quæ mulieris cauſa emptæ paratæ eſſent, ut hæ quoque extra modum legis eſſent, nominatim ipſa Falcidia lege expreſſum eſt* —. Quod ſecus ſit dicendum de veſtibus pretioſis, aliiſque ornamentis ejuſdem indolis, id demonſtrat memorata L. 25 *de peculio* — *Sed quod veſtimentum ſervo Dominus ita dedit utendum, ut non ſemper, ſed ad certum uſum, certis temporibus eo uteretur, veluti cum ſequeretur eum, ſive cœnanti miniſtrabit, id veſtimentum non eſſe peculii* —: & ff. *de donationibus inter virum & uxorem* L. *Mortis ſuæ* §. 1. — *Res in dotem æſtimatas, conſentiente viro, mulier in uſu habuit. Uſu deteriores ſi fiant, damni compenſatio non admittitur. Eaſdem res non poteſt mulier ſibi quaſi donatas defendere ex illis verbis, quibus donationes ei a viro legatæ ſunt* —. Hæc enim, & his ſimilia cenſentur commodata, non donata, ff. *Commodati* L. *Si ut certo loco* §. 10. — *Interdum plane dolum ſolum in re commodata, qui rogavit, præſtabit: ut puta ſi quis ita convenit: vel ſi ſua duntaxat cauſa commodavit, ſponſæ forte ſuæ, vel uxori, quo honeſtius culta ad ſe deduceretur* —. Quod demum conſtante matrimonio etiam vera donatio in caſu ſuum non ſortiatur effectum, textu docemur aperto ff. *de donationibus inter virum & uxorem* L. *Cum hic ſtatus* §. 16. in fine — *Ut igitur valeat donatio iſta,*

Papi-

Papinianus exigit, ut & filius ejus, qui donavit, ante deceſſerit, & ſocer poſtea, durante voluntate -- ; & iccirco appoſite Gloſſa in hunc locum -- *Sed ſi ſocer prius deceſſerit, an ejus morte confirmetur donatio? Reſpondeo, non: quia morte ſoceri non ſolvitur matrimonium* --. Excipe cum Authore in Angelica ver. *Peculium* num. 21., & cum Thabiena ver. item *Peculium* num. 19., veſtes lugubres, quæ fiunt mulieris. Excipe item cum Bartolo in eodem Tractatu, veſtes nuptiales, quæ de mente ejuſdem & ipſæ remanent mulieri -- *Aut quærimus* (ita Bartolus) *de veſtibus nubilibus, & aliis neceſſariis ad uſum quotidianum, & illæ non ſunt conferendæ, ſed ſunt propriæ mulieris* --. Ingenue tamen fateor in his aliiſve ſimilibus conſulendas eſſe leges patrias, & ſecundum eas proferendum eſſe judicium.

Undecimum Dubium. Utrum expenſæ factæ a patre in peculio filii adventitio debeant conferri in commune poſt mortem patris?

Reſpondet Bartolus ubi ſupra eodem titulo, quod aut hujuſmodi expenſæ fuerunt neceſſariæ, vel ad perpetuam utilitatem, & tunc imputari debent filio, L. finali §. finali C. *de bonis quæ liberis*, & L. *Jubemus* C. *ad Senatuſconſultum Trebellianum*. Verum hoc eſt, ſi pater eas fecit animo repetendi. Secus autem, ſi animo non repetendi. Arguitur L. *Si in area* ff. *de condictione indebiti*, & L. *In hoc judicium* ff. *de communi dividundo*. Quod ſi neſcitur quali animo eas fecerit, tunc, ſi ſunt parvi ſumptus, præſumuntur donati L. *Si is ſervus* ff *de donationibus inter virum & uxorem*. Si vero ſunt magni, ita quod excedant quantitatem fructuum, tunc præſumitur, quod pater habuerit animum eos repetendi, niſi expendiſſet in cauſa alimentorum, vel ſimili, L. *Neſennius* ff. *de negotiis geſtis*. Secus, ſi non excederent quantitatem fructuum: quia tunc etiam videretur donaſſe. Arguitur dicta L. finali §. *Sin autem æs*. Quod ſi dictæ expenſæ non fuerunt neceſſariæ, nec ad perpetuam utilitatem, ſed ſolum ad utilitatem fructuum, tunc non debent imputari filio: quia onera pertinent ad patrem: & idem dicas de eo, quod a patre expenditur in datiis, & colle-

ctis, cum ipſe habeat uſumfructum, L. *Si pendentes* §. *Si quid* ff. *de uſufructu & quemadmodum*, & L. *Neque ſtipendium* ff. *de impenſis in res dotales factis*. Nec obſtat L. unica §. *Taceat . . . . ſed nec ob impenſas* C. *de rei uxoriæ actione*: quia vir habet dotem propter onera matrimonii; & iccirco non debet gravari onere impenſarum. Idem tamen dicendum non eſt de alio uſufructuario: quia hic ſimpliciter habet uſumfructum ex alia cauſa puta ex contractu, vel quaſi. Concordat Baldus in Tractatu de duobus fratribus.

(274) Nullum dubium, quod in re adventitia filii pater tenetur neceſſarias facere expenſas textu expreſſo C. *de bonis maternis* L. 1. -- *Parentes autem, penes quos maternarum rerum utendi, fruendique tantum poteſtas eſt, omnem debent tuendæ rei diligentiam adhibere: & quod jure filiis debetur, in examine per ſe, vel per procuratorem poſcere: & ſumptus ex fructibus impigre facere, & litem inferentibus reſiſtere, atque ita omnia agere, tamquam ſolidum, perfectumque dominium eis acquiſitum fuiſſet, & perſonam gerant legitimam* --: & C. *de bonis quæ liberis* L. ultima §. ultimo -- *Patrem autem omnibus oneribus hæreditariis, licet nomine filii adiit, modis omnibus illigamus* --. An autem id debeat imputari filio, vel fieri debeat ex propriis patris, hoc eſt quod in præſentia inquiritur. Bartolus, & Baldus, qui hanc rem expendunt, paullo aliter diſtinguunt ac Author noſter. Magis tamen arridet diſtinctio ab authore uſurpata, quam ipſe repetit in Angelica ver. *Peculium* num. 22., & quam in totum probarunt Roſella ver. item *Peculium* num. 37., & Thabiena ver. pariter *Peculium* num. 23., quod videlicet expenſæ neceſſariæ, vel perpetuæ utilitatis, imputari debeant filio; patri autem expenſæ factæ gratia fructuum quærendorum, cogendorum, conſervandorumve. Expenſa eſſet neceſſaria, ſi domum ruinæ proximam pater ex integro reficeret non ſine magno ſumptu. Ad perpetuam eſſet utilitatem, ſi in agro pro tritico non ſatis idoneo vineam plantari curaret, aut arbores bene multas. Gratia fructuum tandem eſt quicquid expenditur in colonis, in ſolvendis tributis, & hujus generis aliis. Primi, & ſecundi generis expenſæ fiunt in gratiam filii, & proprietatis, quæ pertinet ad filium. Jure igitur imputantur filio; quia nemo debet cum alterius jactura locupletari. Expenſæ autem tertii generis fiunt gratia uſusfructus, qui ſpectat ad patrem; & iccirco jure optimo imputantur patri, ut ff. *de uſufructu & quemadmodum* L. *Si pendentes* §. 3. -- *Si quid cloacarii nomine debeatur, vel ſi quid ob formam aquæductus, quæ per agrum tranſit, pendatur, ad onus fructuarii pertinebit* --.

bit --. Excipit Author dum expenſæ factæ ſunt cauſa alimentorum ; has enim non poteſt pater repetere , ut ff. *de negotiis geſtis* L. *Neſennius* — *Præterea conſtitutum eſſe dicebatur, ut ſi mater aluiſſet, non poſſet alimenta, quæ pietate cogente de ſuo præſtitiſſet, repetere* — : & L. *Ex duobus* §. 1. eod. tit. — *Titium, ſi pietatis reſpectu ſororis aluit filiam, actionem hoc nomine contra eam non habere reſpondit* --. Excipit item Author, ſi pater expenſas, etſi neceſſarias, & ad perpetuam utilitatem fecit animo eas non repetendi ; pater enim Dominus eſt patrimonii ſui, & arbitrio ſuo poteſt donare huic, vel alteri filio, quod ſibi magis arridet. In dubio recte ait Author, quod, ſi ſunt parvi ſumptus, non excedentes quantitatem fructuum, hi cenſentur donati, nec eos curare debet arbiter, textu expreſſo ff. *de impenſis in res dotales* L. 12. — *Omnino & in ædificandis ædibus, & in reponendis, propagandiſque vineis, & in valetudine mancipiorum, modicas impenſas non debet arbiter curare* --. Secus autem, ſi ſumptus fuerunt egregii, & longe excedentes fructuum quantitatem ; non enim veriſimile eſt, niſi ſecus aliunde conſtet, quod pater in gratiam unius ex filiis non indigentis velit facere ſimiles expenſas in damnum cæterorum.

Adjicit Author, quod vir habet dotem propter onera matrimonii, & iccirco gravari non debet onere expenſarum. Puto Authorem non loqui de expenſis, quæ fieri debent gratia fructuum quærendorum, cogendorum, conſervandorumque ; ſi enim dos conſiſteret in prædiis, dubio procul fieri hæ deberent a marito uſufructuario : ſecus paucis annis dos conſumeretur, & mulier ſine dote remaneret. Loquitur ergo de expenſis neceſſariis, vel perpetuæ utilitatis ſupra expoſitis, quarum primæ minuunt dotem, ſecundæ vero dotem adaugent. De his textum habemus expreſſum C. *de rei uxoriæ actione* L. unica §. *Taceat* — *Sed nec ob impenſas in res dotis factas retentio nobis ſatis videtur eſſe idonea. Cum enim neceſſariæ quidem expenſæ dotis minuant quantitatem, utiles autem non aliter in rei uxoriæ actione detinebantur, niſi ex voluntate mulieris: non abs re eſt, ſi quidem mulieris voluntas intercedat mandati actionem a noſtra auctoritate marito contra uxorem indulgeri: quatenus poſſit per hanc, quod utiliter impenſum eſt, adſervari: vel ſi non intercedat mulieris voluntas, utiliter tamen res geſta eſt, negotiorum geſtorum adverſus eam ſufficere actionem* --. Sed quid juris, ſi expenſæ ſint voluptariæ ? Sancitum id eſt ead. lege verbis proxime ſequentibus — *Quod ſi voluptariæ ſint, licet ex voluntate ejus expenſæ, deductio operis, quod fecit, ſine læſione tamen prioris ſpeciei, marito relinquatur* —. Speciale hoc in dote eſt ; in aliis enim rebus, ſi expenſæ voluptariæ fiant de conſenſu Domini, tenetur Dominus eas ex integro compenſare, & reſtituere ff. *de in rem verſo* L. 3. §. 4. — *Sed ſi mutua pecunia accepta domum Dominicam exornavit tectoriis, & quibuſdam aliis, quæ magis ad voluptatem pertinent, quam ad utilitatem, non videtur verſum* :

ſum : quia nec procurator hæc imputaret : niſi forte mandatum Domini , aut voluntatem habuit .

Subdit Author, idem pariter non eſſe dicendum de alio ſimplici uſufructuario . Pater ex diſpoſitione legis habet dominium utile , uſumfructum , & adminiſtrationem omnium bonorum , quæ filio ſunt adventitia . Alter autem uſufructuarius hoc habet ex natura contractus , vel quaſi . In alio igitur ſimplici uſufructuario contractus eſt expendendus , an ſcilicet vi ipſius teneatur ad aliquas expenſas , nec ne ; id enim infinitis pene modis poteſt contingere : & juxta conditiones in contractu appoſitas æquum ferri debet judicium , quia ex Regula 85. Juris in Sexto -- *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur .*

DUODECIMUM DUBIUM . Utrum pecunia a patre donata filio ſit conferenda in commune ?

Reſpondet Bartolus ubi ſupra , quod aut præceſſerunt merita filii , propter quæ etiam extraneus idem habuiſſet : & tunc , ſi pater aliquid donat filio , donatio a principio tenet , & donatum erit adventitium , ut tenet Gloſſa C. *de inofficioſo teſtamento* Authent. *Unde & ſi parens* , & cum hoc concordat Jacobus Butrigarius . Aut non donat propter merita quædam præcedentia , ſed ſimpliciter ut filio : & tunc eſt ſimplex donatio , quæ utrum conferenda ſit in commune , notatur in Authent *Ex teſtamento* C. *de collationibus* .

(275) Rem hanc expendunt Author in Angelica ver. *Peculium* num. 15., Roſella ver. *Donatio primo* num. 46., & Thabiena ver. item *Peculium* num. 21., & omnes in eandem deſcendunt ſententiam, videlicet donatum eſſe filii, ſi hujus merita præceſſerunt ; conferendum autem eſſe in commune, ſi nulla præceſſerunt merita , & donatio morte confirmata non ſit . Sed quomodo ſcietur, quod donatio facta ſit propter merita ? Reſpondet Gloſſa in L. *Si donatione* C. *de collationibus* -- *Si præceſſerint merita , quibus non intervenientibus non eſſet donatio* -- . Reſpondet Roſella loco nunc memorato -- *Si quidem pater donat filio propter merita præcedentia talia , propter quæ cuilibet extraneo ad idem teneretur ; tunc valet donatio , & res donata efficitur peculii adventitii : videtur enim filius quæſiviſſe ex operis & laboribus ſuis ; & ſic eſt adventitium dicta L. CUM OPORTET* §. 1. -- . Scias tamen volo , tria in hoc caſu requiri , ut donatio reipſa valeat . Primum , quod vere præceſſerint merita filii , & hæc adpareant ,

reant, vel probari facile poſſint; non enim ſufficeret, ſi pater diceret ſe donaſſe propter merita filii — *Veritatem enim ſpectamus*. ... *non quod quis finxit*, ait L. *Si forte* ff. *de caſtrenſi peculio*. Secundum, quod merita reſpondeant rei donatæ: videlicet quod ea ſint, quæ ſi fuiſſent ab extraneo poſita, idem donum a patre obtinuiſſent. Ex quo infer, quod ſi donum multum excederet merita, exceſſus ille non valeret, nec eſſet adventitius. Jure igitur Alex. III. Extra *de teſtamentis* cap. 12., loquens de Clericis, & de bonis ab iiſdem per Eccleſiam acquiſitis — *Conſuetudinis tamen eſt non improbandæ, ut de his pauperibus, & religioſis locis, & illis, qui viventi ſervierant, ſive ſint conſanguinei, ſive alii, aliqua juxta ſervitii meritum conferantur* —. Tertium, quod merita, de quibus ſermo, non ſint ſolius reverentiæ, ſolius ſubſidii; hæc enim, & his ſimilia remunerationem non poſtulant, cum ea filius patri exhibere teneatur, C. *de patria poteſtate* L. 5. — *Filia tua non ſolum reverentiam, ſed etiam ſubſidium vitæ, ut exhibeat tibi, Rectoris Provinciæ auctoritate compelletur*.

Si quis adverſus principalem aſſertionem objiciat, quod ſcriptum eſt Inſtitut. *de inutilibus ſtipulationibus* §. 6. — *Item inutilis eſt ſtipulatio, ſi vel ab eo ſtipuleris, qui tuo juri ſubjectus eſt, vel is a te ſtipuletur* —. Reſpondeo cum Gloſſa in Authent. *Unde & ſi parens* C. *de inofficioſo teſtamento* in citato §. ſermonem eſſe de peculio filii profectitio, ſuper quo, generatim loquendo, filius & pater ſtipulari nequeunt ad invicem, quum juxta legum diſpoſitionem in totum pertineat ad patrem, ſicuti ſuperius dixi. Dum autem pater donat propter merita præcedentia filii, ipſi donat quaſi cuidam extraneo, & intuitu laborum ſuorum: quia idem donum præberet extraneo, ſi hic eidem æque inſerviſſet. Donum igitur in hoc caſu bonum ſit quaſi adventitium, ſuper quo nulla lege vetatur, quod pater & filius ſtipulentur ad invicem. Ex hac reſponſione ſponte fluit ſecunda Authoris principalis adſertio, nempe quod ſi pater donet filio qua filio, non qua benemerenti, donatio non valet, niſi morte confirmetur. Donare quidem pro arbitrio poteſt pater huic vel alteri filio, quum patrimonii ſui verus ſit, perfectuſque Dominus. Sed quum donationem revocare etiam ipſe poſſit pro libito; iccirco requiritur, quod donatio facta revocata non ſit, immo morte patris fuerit confirmata, ſicuti late expoſui Annotatione 270., quam potes recolere.

Tertiumdecimum Dubium. Utrum patre obligante ſe pro delicto filii totum debeat ſolvi poſt mortem patris cum ea parte, quæ contingit filio, vel cum hæreditate communi?

Reſpondet Baldus ubi ſupra, quod ſi pater ſuſcipit obligatio-

gatio-

gationem pro delicto filii paterna pietate ductus, tunc ſuſtinere id debent omnes fratres, & in communi concurrere L. *Liber captus* C. *de poſtliminio reverſis*. Sed ſi neceſſitate id egit, puta ſtatuto aliquo hoc dictante & volente, ut notat Gloſſa ſuper Rubrica C. *de Decretis Decurionum*, tunc naſcitur naturalis obligatio inter patrem & filium ex tali geſtione negotiorum ejus, quæ tranſit ad hæredes, & ideo filius ſolvet de parte ſua, L. *Igitar* §. finali ff. *de liberali cauſa*, quod notant Doctores de eo, qui cogitur ſolvere condemnationem alterius in L. 2. §. finali ff. *de verborum obligationibas*.

(276) Diſtinctio iſthæc a Baldo uſurpata ea ipſa eſt, quam uſurpavit L. 18. ff. *de adimendis, vel transferendis legatis*, caſum licet alium diſpiciens. Sed optima procul dubio; ſi enim pater id egit paterna pietate ductus, animum certe non habuit repetendi quod ſolvit — *Pro pietaris itaque ratione* (ait L. 17. C. *de poſtliminio reverſis*) *ab hoſtibus redempto filio, facti te pœnitere, ac de pretio quicquam tractare non convenit* —. Huc etiam conferre poteſt L. 11. C. *de negotiis geſtis* agens de matre erga filios ſuos — *Alimenta quidem, quæ filiis tuis præſtitiſti, tibi reddi non juſta ratione poſtulas : cum id exigente materna pietate feceris. Si quid autem in rebus eorum utiliter, & probabili more impendiſti : ſi non & hoc materna liberalitate, ſed recipiendi animo feciſſe te oſtenderis : Id negotiorum geſtorum actione conſequi potes* —. Fratres igitur poſt mortem patris non poſſunt id computare in partem filii delinquentis, quum pater illud idem libere filio donaverit, & donatio nullo umquam tempore fuerit revocata; quum inſuper pater ſecus non caverit in teſtamento. Quod ſi neceſſitate compellente id pater egit — *Cum nemo in neceſſitatibus liberalis exiſtat*, ut ait L. *Rem legatam* ff. *de adimendis vel transferendis legatis*, præſumi nequit libera donatio patris; & iccirco poſt hujus mortem juſte fratres omne ſolutum computabunt in partem delinquentis — *Si quid damnum mihi dederit, qui ad libertatem proclamat, illo tempore, quo bona fide mihi ſerviebat (Veluti ſi ego bona fide Dominus noxali judicio conventus & condemnatus, litis æſtimationem pro eo obtuli) in id mihi condemnabitur* — L. 12. §. ult. ff. *de liberali cauſa*. Immo etiam omne damnum, ſi quod propter talem ſolutionem familia paſſa eſt, ut ad rem Gloſſa in hanc legem. Statutum, de quo Author, quod videlicet pater teneatur ſolvere pro delicto filii, eſſet profecto contra omne jus, ut animadvertit Gloſſa in Rubricam ab Authore memoratam; niſi filius haberet bona adventitia, quorum pater uſum-

uſumfructum quidem habet, & adminiſtrationem, non tamen dominium, & proprietatem.

Quartumdecimum Dubium. Utrum fratres teneantur emendare damnum, quod pater intulit in bonis adventitiis unius filii?

Reſpondet Baldus ubi ſupra, quod, aut dilapidatio eſt duntaxat fructuum, & tunc non tenentur, L. *Cum oportet* C. *de bonis quæ liberis*. Quod verum eſt, quando pater habet uſumfructum dicti peculii, ſicuti communiter habet. Nam ſi eum non haberet, ſicuti contingit, quando ille, qui legavit, prohibuit uſumfructum quæri patri, quod poteſt fieri, ut notat Gloſſa in Authent. *Ut liceat matri & aviæ* (*Collatione* 8. *tit.* 18.), & in Authenticam *Excipitur* C. *de bonis quæ liberis*: tunc fratres tenentur. Si vero dilapidatio concernit perpetuam rei deteriorationem, vel læſionem intolerabilem: tunc etiam tenentur, dicta L. *Cum oportet* §. *Sed cum tacitas*.

(277) Hoc idem reſpondet Author in Angelica ver. *Peculium* num. 24., & poſt ipſum Thabiena ver. item *Peculium* num. 25., & Roſella ver. pariter *Peculium* num. 36. Paullo fuſius Baldus ipſe, cujus verba recitare placet -- Sed quid, ſi filius habeat bona adventitia, & Pater ea dilapidat, & ea conſumit, & filius vult ea emandari a fratribus, an poſſit? Et videtur, quod non: quia non cadit inter patrem & filium etiam ex juſta cauſa naturali obligatio; & ideo lex ſtatuit, quod tali patri auferatur adminiſtratio, non autem imponatur cautio L. *Imperator* ff. *ad Trebellianum*, & arguitur C. *de ſententiam paſſis* L. finali. In contrarium videtur, nam inter patrem & filium cadit efficax obligatio ex cauſa adventitia, juxta notata ff. *de fidejuſſoribus* L. *Si quis pro eo* §. 1. Hic ergo naturalis obligatio tranſit ad hæredes patris ſaltem in ſimplum. Si autem pater non habet uſumfructum: quia ille, qui legaverat, prohibuerat uſumfructum quæri patri, C. *de bonis quæ liberis* Authent. *Excipitur*: tunc, quia pater deliquit præciſe in re aliena, tenetur ut quilibet extraneus; & ſic tenetur filio emancipato, ut dixi C. *de dolo malo* L. *Si ſuperſtite*. Sed ſi pater habet uſumfructum rei, tunc debet diſtingui modus dilapidationis, qui aut concernit ſolos reditus, aut rei perpetuam deteriorationem, vel intolerabilem etiam læſionem. Primo caſu non tenetur pater: quia de eo,

quod

quod committit circa reditus, non tenetur filio reddere rationem, C. *de bonis quæ liberis* L. *Cum oportet* §. *Cum autem*: quia non tenetur hos fructus filio conſervare. Sed ſi pater rei ſubſtantiam diſſipat, tunc tenetur de eo reddere rationem, ut dicta L. *Cum oportet* §. *Sed cum tacitas*: quia tenetur ſecundum iſtam rationem proprietatem ſervare filio illæſam. Ideo in matre dilapidante bona filii, in quibus habet uſumfructum, diſtingue eo jure, C. *de ſecundis nuptiis* L. *Hac edictali* §. *Omnibus*—. Hactenus Baldus. Brevibus nunc. Pater in bonis adventitiis filii eſt Dominus fructuum, ut jam oſtendi ex L. *Cum oportet* C. *de bonis quæ liberis*. Eos igitur dilapidando dilapidat proprium, & iccirco non tenetur ad reſtitutionem, ac per conſequens nec etiam tenentur ipſius hæredes. Non eſt autem pater Dominus ipſorum bonorum, quum horum dominium omnino ſpectet ad filium, ut ſuperius demonſtravi ex eadem Lege. Ea igitur dilapidando dilapidat alienum, & iccirco tenetur ipſe ad reſtitutionem, & eo non reſtituente tenentur ipſius hæredes. Immo non ſolum ad damnum ipſis bonis illatum, ſed etiam ad aliud quodcumque, ſi quod ex tali dilapidatione fuit ſecutum, ſicuti ſæpenumero contingit.

Quintumdecimum Dubium. Utrum lucrum, quod facit unus fratrum mercando cum pecunia hæreditaria, aliis fratribus ſit communicandum?

Reſpondet Baldus ubi ſupra, quod aut fecit nomine communi, & tunc erit communicandum. Aut fecit nomine proprio, & tunc non communicabit lucrum perceptum, L. *Titium & Mævium* §. *Altero* ff. *de adminiſtratione & periculo tutorum*. Quod verum eſt, niſi ſit tutor, vel curator aliorum fratrum: quia tunc lucrum, quod fecit ex prima mercatura empta de pecunia communi, debet eſſe commune, licet mercatus fuerit nomine proprio. Aliud autem lucrum, quod facit iterando emptiones cum pecunia mercando acquiſita, & nomine ſuo, erit ſuum. Quod ſi neſciatur, cujus nomine lucrum fecerit, ſuo ne, an nomine communi: tunc aut continuavit negotia conſueta patris, & in hoc caſu præſumitur feciſſe nomine communi. Arguitur L. *Nam & Servius* §. *Si vivo* ff. *de negotiis geſtis*: quia a primordio tituli probatur poſterior eventus L. unica C. *de imponenda lucrativa deſcriptione* in fine; & iccirco

circo totum lucrum erit commune. Aut fecit negotiationem inſolitam, quam non faciebat pater, & tunc præſumitur feciſſe nemine proprio; & ideo lucrum non erit commune. Concordat Bartolus ubi ſupra.

(278) Ut facilius percipiantur ea, quæ dicturus ſum ſuper hac re, tria præmittere congruum duco. Primum eſt, quod fratres mortuo patre indiviſa hæreditate, & in communi viventes, videntur contrahere quandam tacitam ſocietatem inter ſeſe, ita ut & bona hæreditaria ſint illis communia, & lucra pariter ex iiſdem provenientia. Secundum eſt, quod hæc tacita ſocietas non eſt ſocietas omnium bonorum; atque ideo ſi unus ex fratribus aliquid lucraretur non proveniens ex bonis patris, ſed ex donatione, vel hæreditate, vel dignitate, vel officio, vel induſtria non debita tacitæ fraternæ ſocietati, lucrum hoc non eſſet conferendum in commune, ſed ipſi eſſet præcipuum, ſeu ad ipſum ſolum ſpectaret, textu expreſſo ff. *pro Socio* L. *Cum duobus* §. 6. -- *Papinianus quoque libro tertio Reſponſorum ait: ſi fratres parentum indiviſas hæreditates ideo retinuerunt, ut emolumentum ac damnum in his commune ſentirent: quod aliunde quæſierint, in commune non redigetur* --. Tertium eſt, quod, ſi ex duobus fratribus indiviſis unus interiret relictis filiis, & patruus horum ſuperſtitum filiorum tutor eſſet, aut curator, non cenſeretur amplius tacita ſocietas inter ipſos, tametſi indiviſa remaneret hæreditas: quia ſocietas eſt duorum, vel plurium conventio, & tutor in jure cenſetur una perſona cum pupillo: quia inſuper pupillus & minor lege prohibentur contrahere ratione ætatis. Appoſite iccirco Cardinalis Tuſcus in ſuis Practicis Concluſionibus Litt. S. Concluſione 312. num. 28. -- *Societas inter patruum & nepotem pupillum non præſumitur, etiamſi haberent bona communia .... quia expreſſa non poſuit contrahi; ergo neque tacita* --. Hiſce præhabitis

Conſtituo primo, quod ſi patruus tutor cum pecunia communi negotium gereret nomine proprio emendo merces, & ex his percipiendo lucrum, lucrum quidem eſſet ſuum, ſed teneretur ſolvere uſuras debitas pecuniæ pupillari, textu expreſſo ff. *de adminiſtratione & periculo tutorum* L. 47. §. 6. -- *Altero ex duobus fratribus ſociis bonorum, & negotiationis defuncto, hærede filio, patruus tutor, venditis omnibus communis negotiationis mercibus, & ſibi redemptis, negotium ſuo nomine exercuit. Quæſitum eſt, utrum compendium negotii, an uſuras pecuniæ præſtare debeat? Reſpondi, ſecundum ea, quæ proponuntur, pupillo uſuram, non compendium, præſtandam* --: & C. *Communia utriuſque judicii* L. 4. -- *Si patruus tuus ex communibus bonis res comparavit, ſibi negotium gerens, non omnium bonorum ſocius conſtitutus, pro competentium portionum modo indemnitati tuæ conſuli oportet: & ideo rem emptam communicare eum contra juris formam poſtulas* --.

lat -- . Dixi cum pecunia communi : nam ſi patruus tutor merces emeret cum ſola pecunia pupilli, & lucraretur ex ipſis, totum eſſet pupilli, textu pariter expreſſo ff. *quando ex facto tutoris* L. 2. -- *Si tutor vel curator pecunia ejus , cujus negotia adminiſtrat , mutua data , ipſe ſtipulatus fuerit , vel prædia in nomen ſuum emerit : utilis actio ei , cujus pecunia fuit , datur ad rem vindicandam , vel mutuam pecuniam exigendam* -- . Speciale privilegium hoc eſt pupilli , ut adnotat Gloſſa in hanc legem , quod competit etiam militi , & Eccleſiæ , quæ , ut ſcribit Gloſſa ibidem , vicem habet pupilli . Tutor nihilominus injurius eſſet pupillo ; hujus enim pecunia negotiationibus exponenda non eſt , niſi teſtator id præceperit , ſed convertenda in emptionem prædiorum , vel cenſuum , quæ non ſubjacent periculo caſus fortuiti , ut animadvertit Baldus in iiſdem additionibus ad Tractatum Bartoli . Author adſerit , quod ſi patruus tutor , qui nomine proprio cum pecunia communi negotium geſſit , & lucratus eſt , negotietur ſecundo , tertio , & quarto &c. , lucrum ſecundum , tertium , & quartum erit ipſius tutoris . Ratio hujus eſſe poteſt , quia ſequentia hujuſmodi lucra non amplius aliqua ex parte proveniunt ex pecunia pupilli , vel minoris , qui propter primam negotiationem ſervari debuit indemnis , & ſervatus ſupponitur , ſed ex pecunia jam facta propria ipſius tutoris , ſeu patrui .

Conſtituo ſecundo , quod , ubi plures reperiuntur fratres indiviſi , & in communi viventes , ſi unus ex ipſis cum pecunia communi , & communi nomine negotietur , lucrum exinde proveniens eſt commune . Adſertio iſthæc expoſitione non indiget ; quod enim de communi fit , & communi nomine , commune fit oportet ex lege ſocietatis tacitæ , quæ inter fratres ſic viventes cenſetur inita , tametſi de hac ineunda expreſſe non convenerint . Unice addo cum Baldo loco proxime indicato , quod hoc locum habet non ſolum in lucro ex prima negotiatione percepto , ſed etiam in percepto ex ſecunda , tertia , quarta &c. Accipe verba Baldi -- *Ex re communi non diſtinguitur an ex prima inchoata aliquid pervenerit , aut ex ſæpius repetita : quia natura hujus actionis eſt , ut id , quod poſteriori loco ſequitur , ſemper loco prioris ſubrogetur* .

Conſtituo tertio , quod , ſi hic frater , qui cum communi hæreditaria pecunia negotiatur , continuat negotium , quod fiebat a communi patre , ſtatim convincitur negotium egiſſe communi nomine . Ratio eſt : quia continuatur ut erat prius . Atqui prius fiebat , non nomine hujus , vel alterius fratris , ſed nomine communis patris . Ergo communi etiam nomine cenſetur continuatum -- *Si vivo Titio* (ait L. 21. §. 2. ff. *de negotiis geſtis*) *negotia ejus adminiſtrare cœpi , intermittere mortuo eo non debeo : nova tamen inchoare neceſſe mihi non eſt , vetera explicare , ac conſervare neceſſarium eſt , ut accidit , cum alter ex ſociis mortuus eſt : nam quæcumque prioris negotii explicandi cauſa geruntur , nihilum refert , quo tempore conſum-*

men-

mentur , ſed quo tempore inchoarentur — . Ad dignoſcendum utrum negotium poſt mortem patris continuatum fuerit nomine communi , vel particulari nomine fuerit peractum , Bartolus teſte Baldo in caſu practico compulit fratrem , qui negotium egerat , ad exhibendum librum rationum . Et quum in hoc ſcriptum invenerit — *Hic eſt Liber mercantiæ Petri , & fratrum de tali loco* — , ſtatim conclamavit , & quidem jure , quod negotium non particulari , ſed communi nomine fuerat peractum , & per conſequens lucrum ex tali negotio perceptum inter fratres eſſe dividendum .. •

Conſtituo quarto , quod , ſi hic idem frater negotietur cum communi quidem hæreditaria pecunia , ſed nomine proprio : multi arbitrantur , lucrum exinde perceptum non eſſe commune , ſed huic fratri negotium gerenti eſſe præcipuum . Et multo magis , ſi negotium agat inſuetum , quod non fiebat a communi patre . Ita docet Author & hic , & in Angelica ver. *Peculium* num. 26. Ita Thabiena ver. item *Peculium* num. 20. Ita ex recentioribus Lucius Ferraris ver. *Societas inter fratres* num. 4. , citans Sylveſtrum , Roſignolum &c. : dummodo tamen frater ſic negotium gerens non omittat ea , quæ communio fraterna , & hæreditatis indiviſio poſtulat . Reipſa textus eſt apertus C. *Si quis alteri vel ſibi* L. 8. — *Qui aliena pecunia comparat , non ei , cujus nummi fuerunt , ſed ſibi tam actionem empti , quam dominium , ſi ei fuerit tradita poſſeſſio , quærit . Cum itaque de rebus communibus fratrem patruelem tuum quædam comparaſſe contendas , de tua pecunia hunc conveniendo , facies conſultius . Nam in rem de rebus ab eo comparatis tibi contra eum petitio non competit* — . Quoniam ſi res empta huic eſt præcipua , ſeu ad ſolum emptorem pertinet , ſponte veluti ſua fluit , quod ad ipſum ſolum quoque pertineat lucrum exinde proveniens . Bona tamen tantorum Scriptorum pace : doctrina iſthæc mihi ſatis non arridet . Omnes uno ore fatentur , quod inter hos fratres reperitur tacita quædam ſocietas , & quod vi hujus tum bona hæreditaria , tum lucra ex iiſdem provenientia debent eſſe communia . Non video igitur cur in caſu , de quo agitur , lucrum ad unum duntaxat fratrum pertinere debeat . Ajunt adverſantis ſententiæ homines , id eſſe , quia negotium geſſit nomine proprio . Et ego reſpondeo , quod veritatem inſpicere debemus , non vero quod quis finxit , ut lucretur præ aliis . Veritas autem eſt , quod pecunia eſt communis , quod ex tali communione conſurrexit inter ipſos tacita quædam ſocietas . Hæc non tollit callidus ille frater , qui ſtipulatur nomine proprio . Non tollit ergo obligationem , quæ ex pecunia communi , & tacita ſocietate conſurgit , conferendi omnia in commune . Præſertim quum , ſi ſecus eſſet , ſterneretur via ad innumeras fraudes ; hic enim frater nomine proprio ſtipulari poſſet negotia , in quibus lucrum magnum eſt , & pene certum , nomine autem communi ea , in quibus lucrum pene nullum eſt , & innumeris periculis obnoxium . Et in hunc modum ipſe cum pecunia communi ſine ullo periculo dives fieret , & cæteri fratres

 cum

cum eadem pecunia ad inopiam poſſent reduci. Dicent forſan, quod fur ipſe negotium gerens cum aliena pecunia proprium efficit lucrum ex tali negotiatione proveniens, tametſi teneatur reſtituere pecuniam alienam, & omne damnum, quod paſſus eſt Dominus. Et ego reſpondeo, quod inter furem & Dominum nullam quis agnoſcit nec tacitam, nec expreſſam bonorum ſocietatem; ſocietatem autem bonorum hæreditatis tacitam inter hujuſmodi fratres agnoſcunt, & fatentur Scriptores omnes. Diſpar ergo eſt ratio. Dices forſan doctrinam hanc nulla lege poſſe communiri. Et ego reſpondeo, omnibus illis firmari, quibus conſtituitur, in ſocietatibus omnia, quæ ſocietatem reſpiciunt, eſſe communia. Dices forſan, nullum reperiri Scriptorem, qui mihi in hac doctrina præiverit. Et ego reſpondeo, quod non conſului omnes Scriptores. Ignoro icirco, an nullus ante me idem conſtituerit nec ne. Scio nihilominus, quod idem ſenſit Gloſſa in legem poſtremo citatam, in L. 8. nempe C. *Si quis alteri vel ſibi*, & ſingillatim in poſtrema verba *non competit* ſcribens — *Niſi ſit ſocius omnium bonorum* ..:.. *Quod non placet, immo ad communicandum agitur* —. Hæc tamen dicta ſunt ſalvo meliori judicio. De negotio inſueto dicam infra.

Memini Authorem tit. 13. hujus Conſiderationis Dubio 8. firmiter conſtituiſſe, ementem aliquid cum pecunia alterius Dominum eſſe rei emptæ, demptis nonnullis caſibus, quos ibidem Author recenſuit. Memini me Annotatione 160. id non improbaſſe, quum reipſa perſpicuis firmetur legibus, quas ego ipſe eo loci protuli. Ita ſane eſt, ſi generatim loquamur. At in caſu, de quo agitur, ſermo eſt non ſolum de empto ex pecunia communi, ſed etiam de emente, qui cum fratribus ſuis tacitam habet ſocietatem. Iterum igitur lubens do, quod emens cum pecunia alterius Dominus fiat rei emptæ. Sed iterum etiam conſtituo, quod, ſi emens tacitam cum aliis habeat ſocietatem, ut in caſu, quidquid emit cum pecunia communi ſuum non eſt, ſed eſt ſocietatis, & per conſequens ſocietatis etiam eſt lucrum ex re empta proveniens.

Sextumdecimum Dubium. Utrum damnum, ſi quod ſequatur ex dicta mercatura, debeat eſſe commune inter fratres?

Reſpondet Baldus ubi ſupra, quod ſic, ſi ille frater, qui mercatus eſt, aggreſſus fuit negotia conſueta patris, & diſcrete operatus eſt. Secus, ſi negotia inſueta; tunc enim ſibi ipſi imputare debet, L. *Si negotia* ff. *de negotiis geſtis*. Concordat Bartolus in dict. L. *Titium & Mævium*.

(279) Ge-

(279) Generatim loquendo, veriſſimum eſt, quod legitur L. *Maniſeſtiſſimi* §. *Sed cum in ſecundam* C. *de furtis & ſervo corrupto* — *Ubi enim periculum, ibi & lucrum collocetur* —, & viceverſa : quod item legitur Inſtitut. *de ſocietate* §. 3. — *Illud expeditum eſt, ſi in una cauſa pars fuerit expreſſa , veluti in ſolo lucro , vel in ſolo damno , in altera vero omiſſa : in eo quoque , quod prætermiſſum eſt , eandem partem ſervari* —. Quapropter nemini dubium, quod hi fratres, dum participant de lucro, participare etiam debent de damno. Excipe nihilominus, ſi frater negotiationis avidus negotium adgrediatur inſuetum quod non fiebat a communi patre , inconſultis cæteris fratribus , & ipſorum conſenſu non requiſito. In hoc enim caſu arbitror , quod ſi ex tali negotiatione lucrum percipiatur, hoc debeat eſſe commune ; ſi autem damnum obveniat, ſit ipſi præcipuum, & ad ipſum ſolum unice ſpectet . Ratio primi eſt : quia lucrum obvenit ex pecunia communi , & ex tacita , ſeu ſimplici ſocietate inter fratres circa bona hæreditaria, & lucra ex iiſdem provenientia . Ratio ſecundi eſt : quia cum pecunia communi adgredi non poterat quid inſuetum irrequiſito conſenſu fratrum ; & iccirco ſibi ipſi imputet, ſi res voto non ceſſit . Vadem habeo ſuper hac re L. 11. ff. *de negotiis geſtis*, quæ eſt hujuſmodi — *Si negotia abſentis , & ignorantis geras , & culpam & dolum præſtare debes. Sed Proculus interdum etiam caſum præſtare debere : veluti ſi novum negotium, quod non ſit ſolitus abſens facere , tu nomine ejus geras : veluti novales novicios coemendo , vel aliquam negotiationem ineundo. Nam ſi quid damnum ex ea re ſecutum fuerit, te ſequetur ; lucrum vero, abſentem. Quod ſi in quibuſdam lucrum factum fuerit , in quibuſdam damnum, abſens penſare lucrum cum damno debet* —. Noviciorum nomine intellige cum Gloſſa — *Servos ſcilicet , qui non uno anno ſervierunt* —. Ille enim frater , qui veluti adminiſtrat res cæterorum , conſueta quidem negotia perſequi poteſt, ac debet ; nova autem adgredi pro arbitrio ipſi non licet, ut colligitur ex L. 21. §. 2. ff. eod. tit. — *Si, vivo Titio , negotia ejus adminiſtrare cœpi , intermittere mortuo eo non debeo : nova tamen inchoare neceſſe mihi non eſt : vetera explicare , ac conſervare neceſſarium eſt.*

DECIMUMSEPTIMUM DUBIUM . Utrum debitum contractum poſt mortem patris ab uno fratrum ſit commune ?

Reſpondet Speculator tit. *de judiciis* , quod non , niſi contractum ſit ratione communis utilitatis , & ſocietatis . Similiter nec dos debet ſolvi de communi , niſi verſa ſit in communem utilitatem . Similiter condemnatio propter delictum ſoluta per unum ſolvetur de ſuo proprio , non autem de communi. Similiter unus fratrum militans militare debet

bet de ſuo. Item qui maritat filiam ſuam, qui filium ſuum tenet in ſtudio, & hujuſmodi, niſi aliter ſit conventum inter fratres.

(280) Plana ſunt hæc omnia: quoniam inter hujuſmodi fratres inita non eſt ſocietas expreſſa omnium bonorum, quo ſolo in caſu omnia omnino deberent eſſe communia, bona ſcilicet, lucra, commoda, damna, & pericula textu expreſſo ff. *pro Socio* L. 3. §. 1. -- *Cum ſpecialiter omnium bonorum ſocietas coita eſt, tunc & hæreditas, & legatum, & quod donatum eſt, aut quaqua ratione adquiſitum, communioni adquiretur* --. Simplex duntaxat, & tacita ſocietas in iiſdem agnoſcitur, quæ non extenditur ultra bona hæreditaria, & lucra, & damna ab his provenientia. Et iccirco cum ea, quæ in hoc caſu enarrantur, omnia ſunt extra bona hæreditaria, Jure Author conſtituit, quod non debent reddi communia, niſi lucrum verſum fuiſſet in communem utilitatem, & debitum ob communem utilitatem fuiſſet contractum, quia tunc ſecus eſſet conſtituendum. *In hoc judicium* (Apposite L. 14. in principio ff. *communi dividundo*) *hoc venit, quod communi nomine actum eſt* --. Et ff. *pro Socio* L. 27. -- *Omne æs alienum, quod manente ſocietate contractum eſt, de communi ſolvendum eſt* --: & L. 82. ff. eod. titulo -- *Jure ſocietatis per ſocium ære alieno ſocius non obligatur, niſi in communem arcam pecuniæ verſæ ſunt* --. Addit Author, niſi aliter inter partes ſit conventum: pro quo facit L. 81. ff. *pro ſocio* -- *Quæſitum eſt, an, ſi pro ſocio ageret, dotis quantitatem præcipere deberet, ſi forte conveniſſet inter ſocios, ut de communi dos conſtitueretur? Dixi, pactum non eſſe iniquum* --: & Regula 85. Juris in Sexto -- *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur* --. Addi etiam poteſt, niſi communis pater in teſtamento aliter caverit: & pro hoc facit L. 3. §. ult. ff. *de muneribus & honoribus* -- *Si is, qui duos filios relinquebat, nihil de expediendis muneribus alterius filii ex communi patrimonio ſupremis ſuis cavit, propriis ſumptibus is & munera & honores, qui ei injungentur, ſuſcipere debet, quamvis pro altero vivus pater ejuſmodi onera expedierit.*

Decimumoctavum Dubium. Utrum frater, qui habet duos filios laboratores, qui laborant poſſeſſionem communem cum altero fratre, qui nullum habet filium, debeat æqualiter dividere fructus provenientes ex tali cultura.

Reſpondet Baldus qui ſupra, quod non: quia hæc ſocietas reſpicit capita eorum, qui ſuas operas ponunt, nec debet nocere his duobus filiis, quum hi ex ſuis laboribus

ſibi

Digitized by Google

ſibi ipſis poſſint acquirere. Hæc omnia deprompta ſunt ex laudato Tractatu Bartoli, & ex additionibus Baldi ad eundem Tractatum.

(281) Accipe verba ipſa Baldi ibidem num. 19. -- Sed pone, quod erant duo fratres ruſtici, qui tenebant terras ad laborandum, & unus habebat duos filios laboratores, & omnes laborabant: quæritur de fructibus ex cultura provenientibus quomodo dividantur? Reſpondeo, in capita: quia ſocietas reſtringit capita eorum, qui operas ponunt in ſocietate pretii. Ponendo ergo, quod omnes ſunt eo actu laboratores, vel operarii, cuilibet debitur pars: nec debent nocere his duobus filiis, quod ſunt filii; ex ſuis enim laboribus ſibi quærere poſſunt, L. *Cum oportet* §. *Sic enim* C. *de bonis quæ liberis* --. Hactenus Baldus. Adde cum Authore in Angelica ver. *Peculium* num. 28. -- Illud limita verum quoad lucrum, quod debetur perſonæ; ſed quoad lucrum, quod debetur bobus, vel terræ (quæ ſunt communia) non dividetur per capita, ſed in ſtirpes ſecundum eundem Baldum in quodam conſilio, & Bartolum in dict. L. *Si patruus* --. Hæc Author. Ex hoc infer cum Lucio Ferraris ver. *Societas inter fratres* --. Et ſic etiam frater non habens filios, poteſt in diviſione (niſi aliter ſit conventum, aut aliud ferat legitima conſuetudo) exigere a fratre habente filios illud plus, quod in ipſis alendis fuit conſumptum.... Et ratio clara eſt: quia ſicuti habens filios laborantes in utilitatem communionis, & indiviſionis fraternæ, poteſt in diviſione exigere ſtipendium proportionatum eorum labori: ita alter non habens filios poteſt in diviſione exigere ab habente filios illud plus, quod in ipſis alendis fuit conſumptum --. Hactenus ille, qui prudenter adnotavit, niſi aliter conventum ſit, aut aliter ferat legitima conſuetudo; in his enim, aliiſve ſimilibus ſemper habetur aut conventio mutua, aut conſuetudo patria, quæ in praxi ſervanda ſunt, dummodo tamen conventio æqua ipſa ſit, & conſuetudo ſit rationabilis & legitima.

Trice-

TRiceſimus tertius Titulus, qui eſt de Alimentis, continet quinque quæſtiones, ſeu quinque Dubia.

Primum Dubium. Utrum aſcendentes teneantur præſtare alimenta deſcendentibus ex neceſſitate naturæ & ſanguinis.

Reſpondet Bartolus in Tractatu de Alimentis, quod ſic, ut pater filio, & ad hoc cogitur etiam judicis officio, L. *Si quis a liberis* ff. *de agnoſcendis & alendis liberis*, & Gloſſa ibidem. Verum hoc eſt, niſi filius committeret crimen, propter quod pater poſſet eum exhæredare: vel haberet artem, qua ſuſtentare ſe poſſet, nec propter aliquam dignitatem eum dedeceret in eadem laborare, dicta L. *Si quis*. Nec duntaxat legitimum, ſed etiam filium ſpurium æquitate canonica tenetur pater alere, cap. *Cum haberet* Extra *de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*. Mater tenetur uſque ad triennium, niſi ſit talis conditionis, quod lactare ipſi non conveniat; tunc enim non tenetur, prout notat Azo *de patria poteſtate* in fine. Nota, quod ſi pater inopia laboret, & mater divitiis affluat, tunc mater ipſa ſtricte tenetur etiam ultra triennium, ut monet Bartolus in L. *Si quis* §. *Si mater* ff. *de agnoſcendis & alendis liberis*. Nota quoque, quod nomine alimentorum jure ſanguinis præſtandorum veniunt cibaria, calceamenta, veſtimenta, habitatio, medicinæ, ſumptus pro magiſtro, qui alimentarium liberalibus inſtruit diſciplinis, & ea omnia, ſine quibus humanum corpus ali non poteſt, ut oſtendit Bartolus ibidem.

(282) Quid

(282) Quid veniat nomine alimentorum, id egregie expoſuit Bartolus in Tractatu *de alimentis* ſub initio. Viri hujus eximii doctrinam audire non pigeat — Quæro, quid continetur alimentorum appellatione? Et dico, ſi tractamus de alimentis præſtandis, appellatione alimentorum continentur omnia neceſſaria ad vitam, ſine quibus corpus humanum ali non poteſt, ut cibaria, alimenta &c., quæ hominum natura demonſtrat. Item habitatio, ut L. *Legatis alimentis* ff. *de alimentis, vel cibariis legatis*. Item calcearium, ut L. *Cum hi* §. *de calceario* ff. *de tranſactionibus*. Si vero tractemus de alimentis remittendis tranſactione, vel pacto, remittens alimenta ſimpliciter non videtur remittere veſtiarium, vel habitationem, ut L. *Cum hi* §. *Qui tranſigit* ff. *de tranſactionibus*. Quæro an ei, cui debentur alimenta, debeantur ſumptus præſtandi magiſtro, qui eum imbuit liberalibus artibus? Dic, aut alimenta debentur jure ſanguinis, ut infra dicam, & tunc tales ſumptus debentur. Caſus eſt in L. *Qui filium* ff. *Ubi pupillus educari debeat*. Aut debentur ex diſpoſitione hominis, & tunc non debentur. Caſus eſt in dict. L. *Legatis*. Quid, ſi debeat educari? Reſpondeo, idem eſt L. final. *de alimentis, vel cibariis legatis*. Quæro, an in dictis tribus caſibus parem ſignificationem importantibus contineatur lectus, ut ille, cui legantur alimenta, vel victus, vel educatio, debeat habere lectum? Reſpondeo, ſic, L. *Quos nos* §. *Verbum vivere* ff. *de verborum ſignificatione*, cum vivere non poſſit quis commode ſine eo, ut ibi notatur. Quæro, ſi aliquis legat vitam, alias victum, famulo ſuo in ſua domo, ut quotidie faciunt teſtatores, quid videatur legatum? Reſpondeo, quod videntur legata omnia, quæ ad victum ſunt neceſſaria, & ſic omnia prædicta, ut probatur in dict. L. *Quos nos* §. *Verbum vivere* ff. *de verborum ſignificatione*. Quæro, an illi, cui debentur alimenta, vel victus, vel educatio, debeantur medicinæ? Credo, quod ſic, cum non ſit poſſibile ſine eis ducere vitam ſuam, & ſic debentur, cum neceſſarium corpori debeatur, L. *Si cum dotem* §. *Sin autem in ſæviſſimo* ff. *ſoluto matrimonio*; licet in contrarium poſſit tractari, quaſi ibi ponatur ſpecies ſeparata. Sed quid, ſi debeatur diarium, vel cibarium? Dic ſolum cibum deberi, non veſtiarium, nec habitationem, vel alia ſupradicta, ut L. *Diariis* ff. *de alimentis vel cibariis legatis*: & appellatione cibariorum intelligo potum, L. *Etſi non ſint* §. *Stichum* ff. *de auro, argento legatis*: & cui debentur cibaria, non debentur medicinæ, quia ſolum eum cibare tenetur, & ita retulit conſuluiſſe ſæpe Dominum Franciſcum Tig. de Piſis legum Doctorem in perſona Domini Joannis de Luciano, dum Spoleti Aſſeſſoris officio fungeretur —. Hactenus Bartolus.

Sermo hic non eſt de alimentis teſtamento legatis, ſed de iiſdem debitis jure ſanguinis, & naturæ. Placet nonnullas audire leges — *Verbo victus continentur, quæ eſui, potuique, cultuique corporis, quæque ad vivendum homini neceſſaria ſunt. Veſtem quoque victus habere vicem, Labeo ait* —

ff. *de verborum ſignificatione* L. 43. – *Verbum vivere quidam putant ad cibum pertinere, ſed Ofilius ad Atticum ait, his verbis & veſtimenta, & ſtramenta contineri: ſine his enim vivere neminem poſſe* – L. 234. §. 2. ff. eod. titulo –. *Legatis alimentis cibaria, & veſtitus, & habitatio debebitur: quia ſine his ali corpus non poteſt* – L. 3. ff. *de alimentis vel cibariis legatis*.

Quod aſcendentes teneantur alere deſcendentes & viciſſim, pater nempe filium, & econverſo, conſtituitur pene tota L. 5. ff. *de agnoſcendis & alendis liberis*. Initium ipſius duntaxat profero – *Si quis a liberis ali deſideret, vel ſi liberi, ut a parente exhibeantur, Judex de ea re cognoſcet. Sed utrum eos tantum liberos, qui ſunt in poteſtate, cogatur quis exhibere, an vero etiam emancipatos, vel ex alia cauſa ſui juris conſtitutos, videndum eſt. Et magis puto, etiamſi non ſint liberi in poteſtate, alendos a parentibus, & vice mutua alere parentes debere* –. Huc confert univerſus titulus *de alendis liberis ac parentibus* in Codice quatuor conſtans legibus, quarum duæ primæ obligationem filiorum erga parentes, & aliæ duæ parentum erga filios exprimunt. Eas omnes accipe – *Parentum neceſſitatibus liberos ſuccurrere, juſtum eſt* – Ita L. 1. – *Competens Judex a filio te ali jubebit, ſi in ea facultate eſt, ut tibi alimenta præſtare poſſit* –. Ita L. 2. – *Si competenti Judici eum, quem te ex Claudio enixam eſſe dicis, filium ejus eſſe probaveris, alimenta ei pro modo facultatum præberi jubebit* –. Ita L. 3. – *Si patrem tuum officio debito promerueris, paternam pietatem tibi non denegabit. Quod ſi ſponte non fecerit, aditus competens Judex alimenta pro modo facultatum præſtari tibi debebit* – Ita L. 4. Brevibus hæc omnia complectitur L. 8. §. 5. C. *de bonis quæ liberis* – *Ipſum autem filium, vel filiam, filios, vel filias, & deinceps alere patri neceſſe eſt, non propter hæreditates, ſed propter ipſam naturam, & leges, quæ & a parentibus alendos eſſe liberos imperaverunt, & ab ipſis liberis parentes, ſi inopia ex utraque parte vertitur* –. Quod ait prima lex hic producta de filio emancipato, id intellige ſi egeat, & aliunde non habeat, quo poſſit vivere; ad alimenta enim filio præſtanda tenetur pater non ratione patriæ poteſtatis, *ſed propter ipſam naturam*, ut inquit lex hic poſtremo recitata; ſed jure ſanguinis, quod non diſſolvitur per emancipationem; nam, ut appoſite L. 8. ff. *de diverſis regulis Juris antiqui* – *Jura ſanguinis nullo jure civili dirimi poſſunt*.

Author unum vel alterum excipit caſum, in quo pater non tenetur alere filium. Hos tamen auget in Angelica ver. *Filius* num. 21., eoſdem ad quinque reducens hiſce verbis – Primus, ſi filius eum accuſavit, ut L. *Si quis a liberis* §. *Item Judex* ff. *de liberis agnoſcendis*. Secundus, ſi pater eget ipſe, quia non tenetur ultra quam poteſt dict. L. *Si quis* §. *Sed ſi filius*. Tertius ſi filius commiſit crimen ingratitudinis contra patrem in Gloſſa L. *Si patrem* C. *de alendis liberis*. Quartus, ſi filius habet artem,

vel

vel aliud unde vivat, dicto §. *Sed ſi filius*, & §. *Alimenta* ibidem. Limita tamen hoc ſecundum Bartolum in Tractatu alimentorum, niſi ſit filius nobilis, quod eum dedeceat in tali arte operari. Quintus, ſunt omnes cauſæ, ex quibus pater poteſt exhæredare filium, ita & negare alimenta —. Hactenus ipſe. Super hac re vide etiam, ſi placet, Panormitanum in cap. *Cum haberet* ſuper quarto Decretalium *de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*.

Poſtulabis forſan hic: quænam ſunt juſtæ cauſæ exhæredandi filios? Has habemus in Authent. *Ut cum de appellatione cognoſcitur* (Collat. 8. tit. 16.) cap. 3. hiſce verbis — *Cauſas autem juſtas ingratitudinis has eſſe decernimus. §. 1. Si quis parentibus ſuis manus intulerit. §. 2. Si gravem, & inhoneſtam injuriam eis ingeſſerit. §. 3. Si eos in criminalibus cauſis accuſaverit, quæ non ſunt adverſus Principem, ſive Rempublicam. §. 4. Si cum maleficis hominibus ut maleficus converſatur. §. 5. Vel vitæ parentum ſuorum per venenum, aut alio modo inſidiari tentaverit. §. 6. Si novercæ ſuæ, aut concubinæ patris filius ſe ſe immiſcuerit. §. 7. Si delator contra parentes filius extiterit, & per ſuam delationem gravia eos diſpendia fecerit ſuſtinere. §. 8. Si quemlibet de prædictis parentibus incluſum eſſe contigerit, & liberi, qui poſſunt ab inteſtato ad ejus ſucceſſionem venire, petiti ab eo vel unus ex his in ſua eum noluerit fidejuſſione ſuſcipere, vel pro perſona, vel pro debito, in quantum eſſe, qui petitur, probatur idoneus. Hoc tamen, quod de fidejuſſione cenſuimus, ad maſculos tantummodo liberos volumus pertinere. §. 9. Si convictus fuerit aliquis liberorum ex eo, quia prohibuerit parentes ſuos condere teſtamentum, ut ſiquidem poſtea facere potuerint teſtamentum, ſit eis pro tali cauſa filium exhæredandi licentia .... §. 10. Si præter voluntatem parentum inter arenarios, vel mimos ſe ſe filius ſociaverit, & in hac profeſſione permanſerit: niſi forſitan etiam parentes ejuſdem profeſſionis fuerint. §. 11. Si alicui ex prædictis parentibus volenti ſuæ filiæ, vel nepti maritum dare, & dotem ſecundum vires ſubſtantiæ ſuæ pro ea præſtare, illa non conſenſerit, ſed luxurioſam degere vitam elegerit. Si vero uſque ad viginti quinque annorum ætatem pervenerit filia, & parentes diſtulerint eam marito copulare, & forſitan ex hoc contigerit in ſuum corpus eam peccare, aut ſine conſenſu parentum marito ſe, libero tamen, conjungere, hoc ad ingratitudinem filiæ nolumus imputari: quia non ſua culpa, ſed parentum id commiſiſſe cognoſcitur. §. 12. Si quis de prædictis parentibus furioſus fuerit, & ejus liberi, vel quidam ex his, aut liberis ei non exiſtentibus, alii ejus cognati, qui ab inteſtato ad ejus hæreditatem vocantur, obſequium ei, & curam competentem non præbuerint: ſi quidem a tali ſanatus fuerit infirmitate, erit ei poteſtas, utrum velit negligentem filium, vel filios, aut cognatos, ingratum, vel ingratos in ſuo ſcribere teſtamento .... §. 13. Si unum de prædictis parentibus in captivitate detineri contigerit, & ejus liberi, ſive omnes, ſive unus, non feſtinaverint eum redimere: ſi quidem valuerit*

lnerit calamitatem captivitatis evadere , in ejus ſit poteſtate , utrum hanc cauſam ingratitudinis teſtamento ſuo velit adſcribere ..... §. 14. Si quis de prædictis parentibus Orthodoxus conſtitutus ſenſerit ſuum filium , vel liberos non eſſe Catholicæ fidei , nec in Sacroſancta Eccleſia communicare , in qua omnes Beatiſſimi Patriarchæ una conſpiratione , & concordia fidem rectiſſimam prædicant , & ſanctas quatuor Synodos , Nicænam , Conſtantinopolitanam , Epheſinam primam , & Calcedonenſem amplecti , ſeu recitare noſcuntur : licentiam habeant pro hac maxime cauſa ingratos eos , & exhæredes in ſuo ſcribere teſtamento . Et hæc quidem pro ingratitudinis cauſa decernimus .

Subdit Author , quod nedum filium legitimum , ſed etiam ſpurium pater tenetur alere de æquitate canonica . Conſulto ait de æquitate canonica ; notum enim omnibus eſt , quod jus civile , tametſi filios naturales , natos nempe ex ea, quæ uxor eſſe poterat tempore conceptionis , alendos eſſe conſtituat , ſecus decernit de filiis natis ex damnato coitu , ex ea videlicet , quæ tempore conceptionis uxor eſſe non poterat . Perſpicuum id eſt Authent. *Licet* C. *de naturalibus liberis — Hujuſmodi enim naturales filios paſci boni viri arbitrio eſt neceſſe , ſive legitimi extant , & ſuccedunt , ſive conjuge viva quilibet alii ſunt hæredes . Hi ergo & parentibus parem præſtent , ſi opus ſit , pietatem . Sed qui ex damnato ſunt coitu , omni prorſus beneficio ſecludantur — :* & Authent. *Ex complexu* C. *de inceſtis & inutilibus nuptiis — Ex complexu nefario , aut inceſto , ſeu damnato liberi nec naturales ſunt nominandi , omnis paternæ ſubſtantiæ indigni beneficio , ut nec alantur a patre —.* Inductum hoc videtur in criminis deteſtationem, ſcribit Gloſſa in cap. *Cum haberet* Extra *de eo , qui duxit in matrimonium , quam polluit per adulterium .* Jus tamen Canonicum , quod , ut ait Gloſſa ibidem, vigorem ſumit ſuum a jure naturali, nullum ex filiis, tametſi ex damnato coitu , procreatum , ab alimentis percipiendis excludit . Et iccirco jure optimo Clemens III. in fine cap. *Cum haberet* nunc indicati , loquens de hujuſmodi filiis , conſtituit — *Solicitudinis tamen tuæ intererit , ut uterque liberis ſuis , ſecundum quod eis ſuppetunt facultates , neceſſaria ſubminiſtret .*

Proſequitur Author inquiens , quod mater tenetur uſque ad triennium, niſi ob perſonæ conditionem lac præbere , ſeu lactare eidem non conveniat . Hic certe Author mulieribus indulget ; neſcio enim quæ infamia ſit in fœmina , cujuſcumque conditionis ipſa exiſtat , proprios lactare filios : quum & ipſa Beatiſſima Virgo Maria ubere proprio de Cœlo pleno lactaverit dulciſſimum ſuum filium Jeſum , ſicuti cantat Eccleſia . Nollem , quod hæc conſuetudo tradendi filios nutricibus , quæ jam nimium invaluit , ex eo proveniret , quod libere dixit S. Auguſtinus 5. diſt. cap. *Ad ejus vero — Prava autem in conjugatorum moribus conſuetudo ſurrexit , ut mulieres filios , quos gignunt , nutrire contemnant , eoſque aliis mulieribus ad nutriendum tradant : quod videlicet ex ſola cauſa incontinentiæ videtur inventum : quia , dum ſe continere nolunt , deſpiciunt lactare , quos gignunt —.*

Non

Non diffiteor tamen nonnullos reperiri caſus, in quibus congruum non videtur, quod mater lactet filios ſuos, immo quandoque ipſa non poteſt. Placet iccirco, quod ſcripſit Panormitanus loco proxime memorato -- Et in hac Gloſſa ibi: ali debent apud matrem. Alia dicit hoc verum, niſi dedeceat matrem cum lactare, ut quia magna Principiſſa, vel forte poſt divortium eſt profeſſa: & idem dicit Gaſ., ſi ſubeſt alia cauſa legitima, ut quia mater eſt infirma, vel aliter impedita. In his enim caſibus lactabitur expenſis patris. Arguitur ff. *de agnoſcendis liberis* L. *Si quis a liberis*. Ceſſante autem cauſa debet mater lactare filium propriis uberibus, 5. diſt. in cap. *Ad ejus* quod nota. Unde hoc caſu ſi mater non velit lactare filium, & ceſſet cauſa legitima recuſandi, debet facere expenſas ablactationis --. Hactenus Panormitanus. Demptis igitur pauculis caſibus, in quibus mater reipſa non poteſt, vel non debet filium lactare ſuum, tenetur ipſa eundem alere primo triennio, & poſt triennium tenetur pater uſque ad emancipationem, ſicuti recte inferunt Doctores ex L. *Nec filium* C. *de patria poteſtate*, & ex cap. *Ex liberis* Extra *de converſione infidelium*, in quibus decernitur, quod poſt triennium filius ali debeat a patre. Prodierunt iccirco duo hi verſus vulgati

Mater alit puerum trimum, trimoque minorem.
Majorem vero paſcere patris erit.

Concludit Author, quod, ſi pater inopia laboret, & mater redundet divitiis, tunc hæc tenetur alere filium etiam ultra triennium. Æquum id eſt, & naturæ quam maxime conſentaneum; in hoc enim caſu filio alimenta debentur ab eo, qui ipſi eſt ſanguine proximior. Proximior certe in hoc caſu eſt mater. Ipſa igitur mater tunc tenetur præſtare alimenta filio. Hac eadem de cauſa, ſi pater inops ſit, & avus dives, lege ſancitum, quod avus debeat alere filium, L. 8. ff. *de agnoſcendis & alendis liberis* — *Nam manifeſtum eſt, id quod filia parit, non avo, ſed patri ſuo eſſe oneri, niſi pater non ſit ſuperſtes, aut egens eſt.*

Secundum Dubium. Utrum deſcendentes teneantur ſimiliter aſcendentibus?

Reſpondet qui ſupra, quod ſic, ut filius patri, dicta L. *Si quis*, etiamſi pater eſſet deportatus, Authent. *Inceſtas* C. *de inceſtis & inutilibus nuptiis*, & L. *Mutus* §. *Manente* ff. *de jure dotium*. Idem dic de avo, quia avus tenet locum patris, L. 2. §. *Non ſolum* ff. *de excuſationibus*. Nec excuſatur filius emancipatus, ſi non alit patrem egen-

Digitized by Google

egentem ; immo ipſum non alens committit actionem injuriam , propter quam revocatur in patriam poteſtatem , L. Unica C. *de ingratis liberis* . Similiter & libertus dicta L. unica , & ibi per Gloſſam . Et pater poteſt eum exhæredare propter hoc .

(283) Quod filii teneantur alere parentes , qui indigent , jam ſupra fuit oſtenſum , leges apertiſſimas producendo . Et quod etiam teneantur , ſi pater ſit deportatus , ſeu in exilium miſſus , textu docemur expreſſo Authent. *Inceſtas* ab Authore indicata — *Inceſtas nuptias contrahenti pœna eſt confiſcatio bonorum tam cæterorum , quam dotis ; exilium etiam , & cinguli , ſi quo potitur , ſpoliatio : verberatio quoque ſi vilis eſt : fœmina quoque talia ſcienter peccante ſimili pœnæ ſubjuganda . Subſtantia ſic amiſſa , liberis hoc ipſo ſui juris effectis , ſi quos habet legitimos , applicetur : ut tamen pater ab eis alatur , quibus non extantibus , fiſco deferatur* — : & §. *Manente* itidem laudato — *Manente matrimonio non perituræ uxori ob has cauſas dos reddi poteſt : ut ſe ſe , ſuoſque alat , ut fundum idoneum emat , ut in exilium , ut in inſulam relegato parenti præſtet alimenta ; aut ut egentem virum , fratrem , ſororemve ſuſtineat* — . Quod ad id etiam teneatur filius emancipatus , docetur expreſſim L. *Si quis a liberis* jam pluries memorata §. 13. — *Si impubes ſit filius emancipatus , patrem inopem alere cogetur : iniquiſſimum enim quis merito dixerit , patrem egere , cum filius ſit in facultatibus* — . Quod id non præſtans ingratus habeatur , & revocetur in patriam poteſtatem , eruitur ex L. unica , de qua Author — *Filios & filias , cæteroſque liberos , contumaces , qui parentes vel acerbitate convicii , vel cujuſcumque atrocis injuriæ dolore pulſaſſent , leges emancipatione reſciſſa damno libertatis immeritæ multari voluerunt* — . Injuria enim eſt omnium maxima ſinere , ut parentes , a quibus quis vitam habuit , fame intereant .

Author vult idem eſſe dicendum de liberto . Liberti , ſive libertini ſunt , qui ex juſta cauſa a ſervitute manumiſſi ſunt , nec eſt inter eos differentia , licet quidam minus prudenter dicant , libertinum eſſe filium liberti . Unde libertus meus , vel libertinus dicitur ille , qui ſervus meus fuit , ſed manumiſi eum , & ego ipſe dicor patronus . Ita Vocabularium utriuſque Juris ver. *Liberti* . Quod liberti teneantur alere patronos ſuos , ſi egeant , immo & ipſorum liberos , ſi ad id ſe extendant facultates libertorum , ſancitum id fuit ead. L. *Si quis a liberis* §. 18. & ſeq. — *Solent Judices cognoſcere , & inter patronos , & libertos , ſi de alendis his agatur : itaque ſi negent , ſe eſſe libertos , cognoſcere eos oportebit : quod ſi libertos conſtiterit , tunc demum decernere , ut alant . Nec tamen alimentum decretum tollet liberto facultatem , quo minus præjudicio certare poſſit , ſi libertum ſe neget . Alimenta autem pro modo facultatum erunt præbenda , egentibus*

tibus

ribus ſcilicet patronis: cæterum ſi ſit, unde ſe exhibeant, ceſſabunt partes Judicis. Verum autem tantum patroni alendi ſint, an etiam patronorum liberi, tractari poteſt. Et puto, cauſa cognita, Judices & liberos quoque patronorum alendos decernere, non quidem tam facile ut patronos, ſed nonnumquam & ipſos: nam & obſequium non ſolum patronis, verum etiam liberis eorum debere præſtari — . Ex hac æquiſſima ſanctione & lege ſponte fluit, quod, ſi liberti hoc non agant, ingrati & ipſi fiunt, & in pœnam revocantur in priſtinam ſervitutem; minor enim culpa ſuper hac re requiritur in ipſis, quam in filiis, ut ſcite animadvertit Gloſſa in L. unicam ſupra productam, & recte infertur ex L. 2. C. *de libertis & eorum liberis* — *Si manumiſſus ingratus circa patronum ſuum extiterit, & quadam jactantia, vel contumacia cervicem adverſus eum erexerit, aut levis offenſæ contraxerit culpam, a patrono rurſus ſub imperium, ditionemque mittatur, ſi in judicio, vel apud pedaneos Judices patroni querela exorta ingratum eum oſtendat*.

Occaſione nacta de obligatione filiorum circa alimenta parentibus exhibenda, inquiri hic poteſt: an filius uxorem habens, & filios, in æquali neceſſitate conſtitutis parentibus, uxore, & filiis propriis, teneatur prius ſuccurrere parentibus quam uxori & filiis? Non una eſt ſuper hac re Theologorum ſententia. Contendunt alii in nulla neceſſitate, etiam extrema, parentes eſſe uxori, & filiis præferendos. Alii præferendos eos volunt in extrema, non autem in gravi, neque in communi. Communem alii duntaxat excipiunt, conſtituentes, quod & in extrema, & in gravi parentes præferri debeant. Harumce diſcrepantium ſententiarum Authores videſis apud Ferraris ver. *Filius* num. 91. & ſeq. Nec deſunt, qui indiſtincte ita conſtituunt, extremam, gravem, & communem neceſſitatem complectentes, inter quos Concina lib. 6. in Decal. cap. 5. q. 4. Ut candide aperiam quod ſentio, quum ratio, quæ militat pro una, pro aliis etiam neceſſitatibus militet, vel numquam præferendi ſunt, vel ſemper æquali neceſſitate poſita. Indiſtincte iccirco eos præferendos dicit Cornelius a Lapide in verſ. 24. cap. 2. Geneſeos ſcribens — *In pari caſu famis, vel alterius ſimilis neceſſitatis, potius patri & matri, quaſi auctoribus vitæ, quam conjugi eſt ſubveniendum* — . Ratio invicta eſt: quia prioris debiti ſolutio poſterioris debiti ſolutionem antecedat oportet: & filius prius contrahit debitum cum patre & matre, quam cum uxore & filiis. Scriptum quidem eſt Gen. 2. v. 24. — *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ* — . Sed nemo eſt qui non ſciat, id intelligendum eſſe de cohabitatione & vitæ conſortio, ſicuti ibidem ſcripſit Cornelius a Lapide poſt S. Thomam 2. 2. q. 26. art. 11. ad 1. — *Dicendum, quod non quantum ad omnia deſeritur pater, & mater propter uxorem. In quibuſdam enim magis debet homo aſſiſtere parentibus quam uxori. Sed quantum ad unionem carnalis copulæ, & cohabitationis, relictis omnibus parentibus, homo adhæret*

uxo-

Digitized by Google

uxori –. Cui concinit, quod idem Angelicus ibidem art. 9. ad 3. ſcripſerat – *Quamvis in articulo neceſſitatis filius obligatus ſit ex beneficiis ſuſceptis, ut parentibus maxime provideat*.

Tertium Dubium. Utrum ſocer ſimiliter teneatur alere nurum ſuam?

Reſpondet qui ſupra, quod ſic, dicta L. *Si quis*.

(284) Expreſſim id non habemus in lege. Non obſcure tamen indicatur L. *Si quis a liberis* §. 12. in hæc verba – *Non tantum alimenta, verum etiam cætera quoque onera liberorum patrem ab Judice cogi præbere, reſcriptis continetur* –; uxor enim filii, quæ & ſoceri nurus eſt, dubio procul eſt onus filii, quod ſocer ſuſtinere debet, dum filius inopia laborat. Ad rem iccirco Gloſſa ſuper hoc §. – *Item pro ſe, ſuis liberis, & uxore*.

Quartum Dubium. Utrum frater fratrem ſimiliter, vel ſororem?

Reſpondet qui ſupra, quod ſic, dicta L. *Mutus*, & Gloſſa in L. *Quamvis* ff. *ſoluto matrimonio*, & in dicta L. *Si quis*.

(285) Cauſa alendi fratrem, aut ſororem adeo juſta eſt, ut, ſi ad hunc finem maritus etiam conſtante matrimonio reſtituat uxori ſuæ dotem, ſolutio iſthæc ceu legitima probetur a lege, textu aperto ff. *ſoluto matrimonio* L. 20. – *Quamvis mulier non in hoc accipiat conſtante matrimonio dotem, ut æs alienum ſolvat, ut prædia idonea emat, ſed ut liberis ex alio viro egentibus, aut fratribus, aut parentibus conſuleret, vel ut eos ex hoſtibus redimeret: quia juſta & honeſta cauſa eſt, non videtur male accipere; & ideo recte ei ſolvitur* –. Immo nedum probatur in tutore, qui aleret ſororem pupilli ſui egentem; ſed, ſi id non ageret, vitio ipſi daretur, textu pariter aperto ff. *de tutelæ & rationibus diſtrahendis* L. 1. §. 2. – *Nonnullos caſus poſſe exiſtere, quibus ſine reprehenſione tutor auctor ſit pupillo ad deminuendum, decreto ſcilicet interveniente: videlicet ſi matri aut ſorori, quæ aliter ſe tueri non poſſunt, tutor alimenta præſtiterit: nam cum bonæ fidei judicium ſit, nemo feret, inquit, aut pupillum, aut ſubſtitutum ejus querentes, quod tam conjunctæ perſonæ alitæ ſint; quinimmo per contrarium putat poſſe cum tutore agi tutelæ, ſi tale officium prætermiſerit* –. Rationem affert Gloſſa ibidem – *Nota in neceſſarias perſonas non dici liberalitatem, ſed debitum* –. Concinit L. 13. §. 2. ff. *de adminiſtratione & periculo tutorum* –

Digitized by Google

rum -- *Aliud eſt, ſi matri forte, aut ſorori pupilli tutor ea, quæ ad victum neceſſaria ſunt, præſliterit, cum ſemetipſa ſuſtinere non poſſit: nam ratum id habendum eſt* --. Quid multa? Tenetur frater alere fratrem ſuum, qui unice ſit naturalis, ſi egeat, Authent. *Licet* C. *de naturalibus liberis* -- *Hujuſmodi enim naturales filios paſci boni viri arbitrio eſt neceſſe, ſive legitimi extant, & ſuccedunt, ſive conjuge viva quilibet alii ſunt hæredes* --. Potiori igitur jure tenetur alere fratrem ſuum legitimum, & egentem.

QUINTUM DUBIUM. Utrum tutor pupilli teneatur alere matrem pupilli, vel ſororem egentem?

Reſpondet qui ſupra, quod ſic, L. 1. §. 2. ff. *de tutelæ & rationibus diſtrahendis*. Nota, quod alimenta præſtari debent ſecundum conſuetudinem regionis arbitrio boni viri, & ſecundum facultatem debentis, & dignitatem legatarii. In hujus probationem Bartolus, a quo hæc omnia ſumpſi, allegat L. *Alimenta* ff. *de alimentis vel cibariis legatis*, & L. *Cum hi* §. *Sed & perſonarum* ff. *de tranſactionibus*.

(286) Non unam, ſed duas jam protuli leges oſtendentes, quod tutor alere debet matrem, ſororemque pupilli, ſi egeant. Tertiam ſi exoptas, eam accipe, ff. *ubi pupillus educari* L. 4. in fine -- *Exiſtimo, etſi citra Magiſtratuum decretum tutor ſororem pupilli ſui aluerit, & liberalibus artibus inſtituerit, cum hæc aliter ei contingere non poſſent, nihil eo nomine, tutelæ judicio, pupillo, aut ſubſtitutis pupilli præſtare debere* --. Subdit Author in alimentis legatis attendendam eſſe facultatem debentis, & dignitatem legatarii. Et hoc eſt perſpicuum in §. *Sed & perſonarum* ab eodem laudato -- *Sed & perſonarum contemplatio habenda eſt: hoc eſt, cujus vitæ ſint hi, quibus alimenta relicta ſunt: utrum frugi vitæ hi ſint, qui alias ſufficere ſibi poſſint, an ſequioris, qui de alimentis pendeant* --. Æquitas non patitur, ut ruſtico illud idem præſtetur, quod præſtari debet equiti; ut infirmo illud idem exhibeatur, quod exhibetur bene valenti. Æquitas non patitur, ut hæres tenuis facultatis totum illud onus ſuſtinere debeat, quod ſuſtinet hæres facultatis ſummæ. Præ oculis igitur hoc in caſu haberi debet tum facultas debentis, tum dignitas legatarii, ut ait Author, & uni æque ac alteri reſpondere debent alimenta, quæ legatariis hæres exhibere tenetur.

INCIPIT.

SEcunda Conſideratio hujus Tractatus, in qua declaratur, quomodo quis teneatur reſtituere.

Circa ſecundam Conſiderationem, quomodo quis teneatur reſtituere, ut debito modo reſtituat, triplex Articulus proponitur. Primus de perſona. Secundus de ordine. Tertius de auctoritate.

Primus igitur Articulus erit de perſona, cui facienda eſt reſtitutio. Obſcurum hoc eſt aliquoties; & iccirco undecim proponentur quæſtiones, ſeu Dubia, ex quorum reſponſione Articulus patebit.

Primum Dubium. Utrùm res rapta, vel furata, vel qualitercumque injuſte accepta a vero Domino, eidem ſemper ſit reſtituenda? Reſpo-

Digitized by Google

Reſpondeo, quod ſic regulariter loquendo, 3. q. 1. cap. *Redintegranda*, & *de reſtitutione ſpoliatorum* quaſi per totum, & Extra *de homicidio* cap. *Sicut dignum* §. *Eos*. Fallit tamen in tribus caſibus. Primus, ſi Dominus juſto bello ea ſit privatus. Secundus, ſi per Edictum imperiale, aut Eccleſiaſticum ei rehabere ſit interdictum vel ſimpliciter, vel ad tempus, ut in hæreticis; tunc enim reſtitutio ei facienda diferri poteſt vel ſimpliciter, vel ad tempus, Extra *de hæreticis* cap. *Excommunicamus itaque*, & *de homicidio* cap. *pro humani* Libro Sexto. Tertius, ſi Dominus eſt pupillus, vel furioſus, vel amens: quia tunc tutori, vel curatori, vel illi, qui curam ipſius gerit, reſtituendum eſt. Addi poteſt quartus, videlicet, quando Dominus mortuus eſt: quia tunc reſtitui debet hæredibus, qui ſunt non illi, qui ab eodem ſunt conſtituti in aliqua determinata quantitate, puta in centum, vel in domo, & non amplius; hi enim non ſunt proprie hæredes, bene vero legatarii L. *Quotiens* C. *de heredibus inſtituendis*: ſed illi unice ſunt, qui ſimpliciter inſtituti fuerunt hæredes. Si poſtmodum plures iſti ſunt, reſtitui debet unicuique pro rata ſecundum quod participant in hæreditate plus, vel minus, ut ff. *de rei vindicatione*, & C. eodem titulo in multis legibus. Quod verum eſt, niſi Dominus in morte omnia bona ſua legaſſet pauperibus: quia tunc pauperibus deberet dari. Concordat Innocentius in cap. *Quod ſicut* Extra *de electione*. Addi poteſt & quintus, quando nempe leuones, & hujuſmodi aliquid acceperunt a Prælatis Eccleſiaſticis: quia tunc non debet eis reſtitui, ſed eorum Superiori, vel Succeſſori, & ſi tunc nullus habetur ſucceſſor, expendi debet in utilitatem Eccleſiæ. Arguitur 17. q. 4. cap. *Si quis in atrio*, & Extra *de Officio Judicis ordinarii* cap. *Cum vos*, & *de Simonia* ubi de hoc. Fieri tamen hoc debet auctoritate Judicis pœnitentiarii ſecundum Ricardum: & ſecundum Inno-

centium, & Gloſſarium Raymundi, ſi Eccleſia multum abundet, debet dari pauperibus. Arguitur dict. cap. *Si quis in atrio*, & hoc idem tenent Monaldus tit. *Reſtitutio primo*, & Doctores.

(287) MUltum intereſt ſcire, cui facienda reſtitutio eſt, *ne*, ut ait S. Bernardinus To. 1. ſerm. 39. ſub initio, *dando cui non debet dari, hæc reſtitutio inanis fiat* –. Ordinarie loquendo veriſſimum eſt, quod res vero Domino, ſcilicet damnificato, debet reſtitui, ſicuti cum communi docent Scotus & S. Thomas. En verba Scoti in 4. diſt. 15. q. 2. §. *De quarto* – *De quarto, ſcilicet cui, dico quod damnificato, ſi tamen ſit poſſibile. Poſſibile inquam, ut ſi novit eum, & ſi habeat eum præſentem, vel habere poteſt, ut ſibi mittatur ſine minori incommodo, quam illud, quod mittendum eſt, eſſet utile ei, qui mittitur. Et intelligo de ipſo, vel aliquibus ejus propinquis, ſi mortuus eſt, vel ſi abſens eſt: quia præſumitur lege naturæ, quod ille magis velit reſtitutionem fieri ſuis propinquis* –. Accipe verba S. Thomæ 2. 2. q. 62. art. 5. in corpore – *Dicendum, quod per reſtitutionem fit reductio ad æqualitatem commutativæ juſtitiæ, quæ conſiſtit in rerum adæquatione, ſicuti dictum eſt q. 58. art. 10. Hujuſmodi autem rerum adæquatio fieri non poſſet, niſi ei, qui minus habet quam quod ſuum eſt, ſuppleretur quod deeſt. Et ad hanc ſuppletionem faciendam neceſſe eſt, ut ei fiat reſtitutio, a quo acceptum eſt* –. Ratio invicta ea eſſe poteſt, quam profert Alex. III. Extra *de homicidio* cap. 6. §. 5. – *Quia licet quædam ex his, quæ occupaverunt, fateantur ſe pauperibus erogaſſe, non tamen aliena, cum ipſa potuiſſent eis, quorum fuerunt, reſtituere, debuerunt pauperibus erogare* –. Jure iccirco S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 5. §. 1. – Pauperibus tamen erogare non debet, cum novit eum, a quo accepit, & poteſt ei dari, quod expreſſe oſtendit Auguſtinus dicens – Nolite facere eleemoſynas de fœnore & uſuris, 14. q. 5. *Nolite*. Nam cum datur pauperibus, quod debetur certæ perſonæ, non liberatur a reſtitutionis obligatione ad illam perſonam, ut habetur Extra *de homicidio, ſicut dignum* circa finem –. Hæc ille.

Author nonnullos excipit caſus, in quibus res rapta non eſt Domino reſtituenda, quorum primus eſt de rebus raptis in bello juſto. De hac re jam locutus eſt idem Author in prima Conſideratione hujus Tractatus Titulo 6. Dubio 8., & ſuper eadem textum habemus apertum ff. *de adquirendo rerum dominio* L. *Naturalem* §. ultimo – *Item quæ ex beſtibus capiuntur, jure gentium ſtatim capientium fiunt* –. Id tamen intellige juxta id, quod fuſe expoſui Annotatione 94. ſuper eod. Dubio.

Secundus caſus ab Authore exceptus eſt, ſi per Edictum Eccleſiaſticum, vel imperiale alicui bona propria auferantur vel ſimpliciter, vel ad tempus; ſuprema enim poteſtas tum Eccleſiaſtica, tum civilis hoc jure

gau-

gaudet ſuper bonis privatorum, ut eos bonis propriis ſpoliare poſſit propter atrocia quædam delicta. Id reipſa egit Eccleſia contra hæreticos, & in odium hæreſis, ut perſpicuum fit Extra *de hæreticis* cap. 13. §. 1. ubi de iiſdem ita ſancivit Inno. III. -- *Damnati vero præſentibus ſæcularibus poteſtatibus, aut eorum balivis relinquantur animadverſione debita puniendi, Clericis prius a ſacris Ordinibus degradatis, ita quod bona hujuſmodi damnatorum, ſi laici fuerint, confiſcentur, ſi vero Clerici, applicentur Eccleſiis, a quibus ſtipendia receperunt* --. Id reipſa egerunt Imperatores Arcadius & Honorius contra illos ſceleſtos homines, qui necem intentarent in viros illuſtres, & Senatores, uti legitur C. *ad legem Juliam Majeſtatis* L. 5. in principio -- *Quiſquis cum militibus, vel privatis, vel barbaris ſceleſtam inierit factionem, aut factionis ipſius ſuſceperit ſacramentum, vel dederit, de nece etiam virorum illuſtrium, qui conſiliis, & conſiſtorio noſtro interſunt: Senatorum etiam, nam & ipſi pars noſtri corporis ſunt, vel cujuſlibet poſtremo, qui nobis militat, cogitaverit: eadem enim ſeveritate voluntatem ſceleris, qua effectum, puniri jura voluerunt: ipſe quidem, utpote Majeſtatis reus, gladio feriatur, bonis ejus omnibus fiſco noſtro addictis. Filii vero ejus, quibus vitam Imperatoria ſpecialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire ſupplicio, in quibus paterni, hoc eſt hæreditarii criminis exempla metuuntur) a materna, vel avita, omnium etiam proximorum hæreditate, ac ſucceſſione habeantur alieni, teſtamentis extraneorum nihil capiant, ſint perpetuo egentes, & pauperes, infamia eos paterna ſemper comitetur, ad nullos prorſus honores, ad nulla ſacramenta perveniant: ſint poſtremo tales, ut his perpetua egeſtate ſordentibus, ſit & mors ſolatium, & vita ſupplicium* --. In iis caſibus, aliiſve ſimilibus, ſi facienda reſtitutio eſt, fieri non debet Dominis, qui per legitimam poteſtatem jure poſſidendi fuere privati, ſed fiſco, cui per Edictum omnia hujuſmodi reorum bona fuerunt addicta, ut apposite ff. *depoſiti* L. 31. in principio -- *Veluti, reus capitalis judicii depoſuit apud te centum, is deportatus eſt, bona ejus publicata ſunt; utrum ne ipſi hæc reddenda, an in publicum deferenda ſint? Si tantum naturale jus & gentium intuemur, ei, qui dedit, reſtituenda ſunt: ſi civile jus, & legum ordinem, magis in publicum deferenda ſunt. Nam male meritus publice, ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia ſit, etiam egeſtate laborare debet* --. Quod ſi de illis delictis ſermo ſit, pro quibus rei duntaxat ad tempus bonis ſuis ſpoliantur, eo in caſu ad tempus pariter reſtitutio differri poteſt, & debet, & eo elapſo vero Domino fieri, ſicut egregie Author ipſe in Angelica ver. *Reſtitutio ſecundo* num. 1. -- *Tunc reſtitutio differetur, ſi interdictum eſt ad tempus, vel dabitur illi, cui eſt applicanda per tale Edictum.*

Tertius caſus ab Authore exceptus eſt, quando Dominus eſt pupillus, furioſus, vel amens. Hi negotia non gerunt per ſeipſos, immo id agere eiſdem eſt per jura interdictum. Non ipſis igitur fieri reſtitutio debet,

Digitized by Google

bet, ſed illis, qui eorundem negotia gerunt: Doctrinæ huic in ſpeciem contradicere videtur, quod ſcriptum eſt de pupillis ff. *de adquirendo rerum dominio* L. 11. -- *Pupillus, quantum ad adquirendum non indiget tutoris auctoritate*. Non ita tamen, non ita eſt; hujuſmodi enim lex intelligi debet de liberalibus donationibus, quæ pupillo fiunt, in quibus dempta hæreditate, pupillus poteſt adquirere ſine tutore. Dico dempta hæreditate: quoniam pro hac aliter ſancitum lego Inſtitut. *de auctoritate tutorum* §. 1. -- *Neque tamen hæreditatem adire, neque bonorum poſſeſſionem petere, neque hæreditatem ex fideicommiſſo ſuſcipere aliter poſſunt, niſi tutoris auctoritate, quamvis illis lucroſa ſit, ne ullum damnum habeant* --. Dum quis pupillo reſtituit quod ei debetur, liberalis donatio non eſt, ſed actio, ex qua naſcitur obligatio mutua, vi cujus reſtituens non tenetur amplius reddere, & accipiens non poteſt amplius petere. In iis porro, in quibus obligationes mutuæ naſcuntur, tutoris auctoritas requiritur, ut Inſtitut. ibidem in principio. Recte igitur Author conſtituit, quod reſtitutio tutori fiat, non autem pupillo.

Quartus caſus ab Authore exceptus eſt, quando Dominus jam e vivis fuit ſublatus, in quo res debet hæredibus reſtitui. De hac re perſpicue S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. -- *Si vero ſit mortuus ille, cui eſt reſtitutio facienda, debet reſtitui hæredi ejus, qui computatur quaſi una perſona cum ipſo* --. Subdit Author, quod reſtitutio in hoc caſu facienda eſt hæredi, non autem legatario. Ratio eſt, quia legatario actio unice competit ſuper re illa determinata, & individua, quæ eidem fuit adſignata, & iccirco jure optimo ſancitur ff. *de hæredibus inſtituendis* L. 35. in principio -- *Nihil amplius eum, qui ex re inſtitutus eſt, quam rem, ex qua hæres ſcriptus eſt, conſequi* --. Hæredi autem competit actio ſuper omnibus, quæ ad teſtatorem pertinebant, de quibus teſtator aliter non conſtituit, ut appoſite ff. *de adquirenda vel omittenda hæreditate* L. 37. -- *Hæres in omne jus mortui, non tantum ſingularum rerum dominium, ſuccedit, cum & ea, quæ in nominibus ſint, ad hæredem tranſeant* --. Excipit Author caſum, in quo Dominus omnia ſua legavit pauperibus. De hoc egregie S. Bernardinus To. 1. ſerm. 39. art. 1. cap. 1. in fine -- *Inſuper advertendum eſt, quod ſi defunctus in morte legaverit pauperibus, vel aliis piis locis omnia bona, ſicut tunc per virtutem teſtamenti prædictis pauperibus, ſeu aliis piis locis, quibus legata ſunt, acquiritur jus in bonis ipſius defuncti præſentibus & paratis, ita quoque illis acquiſitum eſt jus in his, quæ jure debentur ei quocumque jure. Et ideo in hoc caſu perſonis, quibus omnia ſua legat, debet fieri reſtitutio*.

Quintus caſus ab Authore exceptus eſt, quando quis accepit a Prælato Eccleſiaſtico de rebus Eccleſiæ ob cauſam non juſtam. Hi Prælati non ſunt rerum Eccleſiæ Domini, ſed duntaxat adminiſtratores, & diſpenſatores, ſicuti ſæpe numero dixi. In caſu igitur, in quo acceptum ab

iiſdem

iiſdem eſt reſtituendum, non debet ipſis reſtitui, ſed ipſorum Superioribus, aut de conſilio Confeſſarii in utilitatem illius Eccleſiæ expendi. Egregie S. Antoninus de hoc caſu loquens part. 2. tit. 2. cap. 5. §. 3. — Illi etiam, qui ſic talia, quæ aliis debebantur, male accipiunt, debent reſtituere, niſi ipſe, qui dedit, ſatisfeciſſet..... Debent autem dare vel Succeſſori ejus, qui dedit, vel in utilitatem Eccleſiæ convertere cum licentia Superioris, vel pauperibus erogare, ſi illa pauperibus debebantur. Qui autem recipiunt a Religioſis propter injuſtam cauſam, vel ſine licentia Superioris, debent reſtituere Prælato ipſius Monaſterii, vel Conventui, vel alias in utilitatem Eccleſiæ & Monaſterii expendere, præcipue ſi ipſe Prælatus fuit, qui male dedit —. Hæc ille.

Addo ſextum caſum, dum ſcilicet reſtitutio eſſet in nocumentum alicujus; ſuper quo ita S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 1. — *Ad primum ergo dicendum, quod quando res reſtituenda apparet eſſe graviter nociva ei, cui reſtitutio facienda eſt, vel alteri, non ei debet tunc reſtitui: quia reſtitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui reſtituitur: omnia enim, quæ poſſidentur, ſub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille qui detinet, rem alienam ſibi appropriare, ſed vel reſervare, congruo ut tempore reſtituat, vel etiam alii tradere tutius conſervandam* —. Fuſius rem hanc exponit S. Bernardinus To. 1. ſerm. 38. art. 1. cap. 3. ſcribens — In tribus autem caſibus non debet homo velle ſibi ſtatim reddi rem ſuam, quando ſcilicet reſultat in notabile damnum ſui, vel populi, aut proximi. Primo, quando reſultat in evidens & notabile damnum ſui, ſicut patet de illo, qui habet gladium ab eo, qui in furiam verſus eſt, cui tunc gladium ſatisfacere non tenetur, licet debeat eſſe paratus in animo illum reddere in tempore opportuno. Simile contingit de muliere honeſta, quæ, licet marito reddere debitum obligetur, tamen quando id petit inordinate, & non tantum contra animam ſuam, ſed etiam proprii corporis ſanitatem, ſatisfacere non tenetur; immo graviter peccaret, ſi ei in illo pareret. Sed de hoc latius dictum eſt ſupra ſerm. 16. art. 2. per totum: & idem de ſimilibus dicendum eſt. Secundo, quando ſtatim reſtituere alienum reſultat in evidens & notabile damnum populi. Secundum etiam Scotum, ubi ſupra, & Girardum Obdonum, ſi debitor eſt perſona notabilis, & Reipublicæ neceſſaria multum, & creditor poteſt ſine re illa tranſire, talis debitor pro tunc rem illam ſatisfacere non tenetur, licet obligetur reſtituendi voluntatem habere quam cito poterit abſque Reipublicæ damno. Si autem ſtatus ille, ad quem conſervandum res iſta neceſſaria eſt, Reipublicæ neceſſarius non videtur, credo quod ſtatim reſtituere teneatur. Inſuper ſi ille, cujus res eſt, ſine illa tranſire non poſſit, credo eam fore reſtituendam, dato quod eſſet alii neceſſaria ad conſervandum ſtatum utilem, & neceſſarium Reipublicæ. Et tunc debet talis ad Rempublicam recurſum habere, ut ſtatum ſuum conſervet, ex quo ei neceſſarius eſt. Tertio, quando ſtatim

reſti-

reſtituere alienum reſultat in evidens, & notabile damnum proximi: quia ſcilicet ex hoc evidenter aliquot, vel plura iſtorum quatuor eveniunt ei, vel ſuis, videlicet aut infamia gravis, ſcandalum plurium vel paucorum, ſive mortis periculum, aut mortalis culpæ. Ratio autem ſecundum Scotum, quare talis differre poteſt, eſt quia hujuſmodi creditor debet magis velle, quod maximum incommodum reſtituentis proximi evitetur in illa modica reſtitutionis dilatione, quam modicum incommodum ſuum, vel nullum. Si autem objiciatur, quod reſtituere, ſicut ſuperius dictum eſt, actus eſt negativi præcepti, quia non debet retinere alienum, & ad obſervationem negativi præcepti ſemper & pro ſemper quilibet obligatur: dicendum ſecundum Scotum, quod alienum injuſte & invito Domino retinere ſimpliciter prohibetur. Propterea ſemper & pro ſemper iſto modo id neceſſe eſt non retinere. Sed quando quis habet voluntatem reſtituendi pro tempore opportuno, tunc licet Domino rei volente, ideſt velle debente. Vult autem hoc Dominus rei, & ſi non actu elicito, tamen actu debito & honeſto: quia velle debet, quod qui ſuum habet id teneat quouſque poſſit reſtituere oportune. Si iterum dicas: Dominus rei hoc agit invite, quia non vult, quod per quantumcumque tempus teneatur ſuum. Dicendum etiam ſecundum Scotum, quod Domino male & inordinate volente ſtatim rehabere ſuum, & per conſequens contra rectam rationem nolente proximum tenere ſuum, tunc tenens non eſt detentor injuſtus: nam & depoſitum, de cujus redditione ſtrictiſſima lex habetur L. finali C. *Depoſiti*, invito Domino voluntate inordinata poteſt licite retineri—. Hactenus S. Bernardinus. Non diffiteor alios reperiri caſus, in quibus vel reſtitutio non eſt facienda Domino rei, vel ſaltim differenda. Id reipſa conſtat tum in nonnullis caſibus, quos in hac Tractatione jam ſuperius expoſui, tum in aliis perpaucis, de quibus poſtmodum ſermo inſtituetur.

SECUNDUM DUBIUM. Utrum res ablata ab eo, qui non erat ipſius Dominus, ſed illam duntaxat aliquo juſto titulo poſſidebat, eidem ſit reſtituenda?

Reſpondeo, quod ſic, nec debet reſtitui vero Domino, niſi de ipſius voluntate L. *Is cujus* ff. *de furtis*, & C. *de locato & conducto* L. *Si quis conductionis*, ubi conductor compellitur reddere rem locatori, tametſi dicat ſe eſſe Dominum ipſius, & poſtea agere de dominio, niſi probare ſtatim poſſit eam eſſe ſuam, L. *Bona fides* ff. *Depoſiti*.

(288) Super hac re textum habemus apertum C. *de locato & conducto* L. 25. — *Si quis conductionis titulo agrum, vel aliam quamcumque rem acce-*

accepit, poſſeſſionem prius reſtituere debet, & tunc de proprietate litigare —. Subdit Author, quod ſi ille, qui rem habuit titulo puta conductionis, probare ex tempore poſſit eam eſſe ſuam, tunc poteſt agere de dominio contra locatorem. Et hoc perſpicuum eſt ff. *ad exhibendum* L. 3. §. 13. — *Ibidem ſubjungit, Judicem per arbitrium ſibi ex hac actione commiſſum etiam exceptiones æſtimare, quas poſſeſſor objicit: & ſi qua tam evidens ſit, ut facile repellat agentem, debere poſſeſſorem abſolvi* —. Secus tamen, ſi probare id ſtatim nequeat, ut ſubdit hæc ead. lex — *Si obſcurior, vel quæ habeat altiorem quæſtionem, differendam in directum judicium, re exhiberi juſſa*.

Tertium Dubium. Utrum res, quæ ad aliquem pervenit titulo locationis, commodati, vel depoſiti, reſtituenda ſit vero Domino, vel raptori, qui eam alteri tali titulo dedit?

Reſpondeo, quod debet reſtitui furi, qui rem dedit tali titulo dict. L. *Si quis conductionis*, niſi res eſſet ſua: quia tunc poſſet ipſam ſibi retinere, licet in jure non poſſet probare, quod eſſet ſua. Hoc tamen intellige in foro conſcientiæ: quia ſecus eſt dicendum in foro contentioſo, dicta L. *Bona fides*. Item non tenetur, nec debet rem reſtituere furi eandem tali titulo danti, si ſcienter eam tali titulo recepit in fraudem veri Domini; in hoc enim caſu, si eandem sic receptam vero Domino non reſtituit, ad ejuſdem reſtitutionem tenetur ipſe de ſuo.

(289) Hic caſus in idem pene recidit cum præcedenti, & probari etiam poteſt ex L. 31. ff. *Depoſiti* §. 1. — *Exempli ioco latro ſpolia, quæ mihi abſtulit, poſuit apud Sejum inſcium de malitia deponentis, utrum latroni an mihi reſtituere Sejus debeat? Si per ſe dantem, accipientemque intuemur, hæc eſt bona fides, ut commiſſam rem recipiat is, qui dedit. Si totius rei æquitatem, quæ ex omnibus perſonis, quæ negotio iſto continguntur, impletur, mihi reddenda ſunt, quo facto ſceleſtiſſimo adempta ſunt: & probo hanc eſſe juſtitiam, quæ ſuum cuique ita tribuit, ut non diſtrahatur ab ullius perſonæ juſtiore repetitione. Quod ſi ego ad petenda ea non veniam, nihilominus ei reſtituenda ſunt, qui depoſuit, quamvis male quæſita depoſuit. Quod & Marcellus in prædone, & fure ſcribit* —. Quod ſi res furata conductoris erat, commodatarii, vel depoſitarii, ſubdit Author, quod eam ſibi retinere poteſt in foro conſcientiæ, licet probare juridice nequeat eandem eſſe ſuam; non autem in foro fori. Quid in foro fori agere poſſit

Dominus, qui rem habuit titulo conductionis, commodati, vel depoſiti, jam expoſui Annotatione proxime præced., quod nempe agere poſſit de dominio, eamque ſibi retinere, ſi probationes habeat promptas, evidentes, & luce meridiana clariores; non vero ſi probationes obſcuræ ipſæ ſint, & longam poſtulent inquiſitionem. In foro conſcientiæ, inquiebat Author, quod rem ſibi retinere poteſt, tametſi probare nequeat eſſe ſuam. Ratio eſt in promptu: quia retinendo ſibi rem propriam, nulli facit injuriam. Id tamen intellige, dummodo abſit ſcandalum: quia, ſi id agens ſcandalo eſſet aliis, qui ipſum eandem rapuiſſe putarent, rem tunc deberet reſtituere, cum non poſſit probare eam eſſe ſuam.

Concludit Author, quod, ſi quis rem recipiat titulo quidem conductionis, commodati aut depoſiti, ſciens tamen eam eſſe furatam, & id faciat in fraudem Domini, tenetur is reſtituere eam vero Domino; & ſi ſecus agat, tenetur reſtituere de proprio. Hic certe receptator eſt, ſeu receptor furti, de quo dixi Annotat. 147., nec ipſi prodeſt pallium conductionis, commodati, vel depoſiti. Eundem igitur impetunt leges, quas inibi recitavi, quibus addo L. 3. §. 4. ff. *de incendio ruina &c.* — *Non ſolum autem qui rapuit, ſed & qui abſtulit, vel amovit, vel damnum dedit, vel recepit, hac actione tenetur* —, furti nempe. Ratio eſt, quæ profertur ibidem §. proxime præced. — *quia receptores non minus delinquunt, quam aggreſſores* —. Sunt enim vera cauſa, cur res rapta clanculum teneatur, & vero Domino non reſtituatur.

Quartum Dubium. Utrum res rapta ab eo, qui nec erat verus ipſius Dominus, nec eandem juſto titulo detinebat penes ſe, eidem ſit reſtituenda?

Reſpondeo, quod non, ſed vero Domino; de conſcientia tamen illius, qui eam detinebat. Tales ſunt latrones, raptores, uſurarii, & hujuſmodi; nemo enim debet de pravitate ſua conſequi actionem, L. *Itaque* §. 1. ff. *de furtis*.

(290) Exemplum eſto in fure, qui rem ſubripit alteri furi. Primus fur poſſeſſor malæ fidei eſt ſicuti & ſecundus. Nulla igitur ipſi actio competit adverſus ſecundum furem, ut perſpicue lex ab Authore citata, quæ eſt hujuſmodi — *Sed furti actio malæ fidei poſſeſſori non datur, quamvis intereſt ejus, rem non ſubripi, quippe cum res periculo ejus ſit: ſed nemo de improbitate ſua conſequitur actionem; & ideo ſoli bonæ fidei poſſeſſori, non etiam malæ fidei furti actio datur* —. Huc confert lex proxime præcedens, in qua ſcribitur — *Tum is, cujus intereſt, furti habet actionem, ſi honeſta cauſa intereſt* —. Clarius ff. eod. tit. *de furtis* L. 76. §. 1. — *Si quis alteri fur-*

furtum fecerit, & id quod ſubripuit, alius ab eo ſubripuit, cum poſteriore fure Dominus ejus rei furti agere poteſt, fur prior non poteſt —. Non diffiteor reperiri caſum, in quo primus fur actionem habet adverſus ſecundum, & hujus meminit L. 48. §. 4. ff. eod. tit. — *Si ego tibi poliendum veſtimentum locavero, tu vero inſcio, aut invito me commodaveris Titio, & Titio furtum factum ſit: & tibi competit furti actio, quia cuſtodia rei ad te pertinet, & mihi adverſus te, quia non debueras rem commodare, & id faciendo furtum admiſeris. Ita erit caſus, quo fur furti agere poſſit* —. Dempto tamen hoc caſu furi non competit actio, quia ut accepimus ex L. prima hic recitata — *nemo de improbitate ſua conſequitur actionem*.

Ait Author, quod in hoc caſu res vero Domino debet reſtitui de conſcientia primi furis, qui eam detinebat. Æquiſſima ſane animadverſio: quoniam ſi primus fur non moneretur de reſtitutione jam ſecuta, ſemper is haberet conſcientiam rei alienæ, & reſtituens ſecundo reſtitueret.

QUINTUM DUBIUM. Utrum habentes de bonis infidelium ex uſuris, & hujuſmodi, teneantur ea ipſis reſtituere?

Reſpondet Monaldus tit. *Reſtitutio tertio*, quod ſic, niſi Eccleſia habeat bellum contra ipſos. Et ideo cum communiter hoc bellum habeatur, quia omni anno prædicatur crux adverſus eoſdem, nihil debet eis reſtitui, ſed Chriſtianis pauperibus erogari.

(291) Jus naturale, & jus gentium non diſtinguunt fideles ab infidelibus — *Jus naturale eſt commune omnium nationum, eo quod ubique inſtinctu naturæ, non conſtitutione aliqua habetur* — diſt. 1. cap. 7. — *Jus gentium appellatur, quia eo jure omnes fere gentes utuntur* — ibid. cap. 9. — *Quod vero naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes peræque cuſtoditur, vocaturque jus gentium, quaſi quo jure omnes gentes utantur* — Inſtitut. *de jure naturali, gentium, & civili* §. 1. — *Jus autem gentium omni humano generi commune eſt: nam uſu exigente, & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ jura quædam ſibi conſtituerunt* — ibid. §. 2. Attento igitur jure tum naturali, tum gentium, dubio procul uſuræ Infidelibus debitæ eiſdem ſunt reſtituendæ: quia jure naturali — *quiſque jubetur alii facere, quod ſibi vult fieri, & prohibetur alii inferre, quod ſibi nolit fieri* —, ut appoſite diſt. 1. in principio.

Excipit Author, dum Eccleſia habet juſtum bellum contra eoſdem. Ne quæſo credas hoc eſſe jus belli, ut bello juſte indicto non amplius debeatur privatis viris Regis adverſantis, quod iiſdem antea debebatur ex contractu, vel quaſi, ex lege divina, vel alia de cauſa. Jus belli efficit

quidem, quod capta in bello juſto ſint capientium, ſicuti oſtendi Annotat. 94.: efficit item, quod repræſſaliæ poſitis quibuſdam conditionibus ſint licitæ & permiſſæ, quæmadmodum eo loci demonſtravi: non efficit tamen, quod æs alienum, quo ante bellum gravati erant ſubditi Principum inter ſe bellantium, non amplius debeatur veris Dominis & creditoribus. Sola igitur perſona infidelium conferre poteſt ad id, quod docet Author: quoniam ſi hæretici ipſi ſunt, bona ipſorum per legem Canonicam ſpectant ad fiſcum, ſicuti dixi Annotat. 287. ſecundum caſum exponens. Si vero ex illis ſunt, de quibus dixi cum Cajetano Annotat. 93. verſus finem, qui de jure ſubduntur Principibus Chriſtianis eo quia ipſorum terras occupant, non ſunt hi veri Domini regnorum, quæ poſſident, ſed invaſores injuſti. Si quis nihilominus vellet adſerere, quod uſuræ infidelibus privatis reſtituendæ etiam tempore belli deberent iiſdem a Chriſtianis ſolvi: non auderem doctrinam hanc improbare, quia reipſa magis eſt conſentanea juri naturali & gentium, & forte circumſtantia juſti belli nequit efficere, quod iiſdem amplius non debeantur, quum Author nullam proferat legem hoc expreſſim conſtituentem.

Sextum Dubium. Utrum accipiens pecuniam alterius de ea poſſit ſolvere creditori ipſius, vel eam teneatur eidem, a quo abſtulit, reſtituere?

Reſpondeo, quod licet poſſit ſolvere creditori ipſius, ſicuti dixi tit. 19. Dubio 3., conſulo tamen quod eam reſtituat eidem, quia ſic minori ſe exponit periculo.

(291) Jam dixi Annotat. 183., quod ſi Domini intereſt pecuniam eidem debitam tunc non ſolvi creditori ſuo, eidem ſolvi debet, non alteri: & quod, ſolutione ſecuta, ſolvens adhuc tenetur Domino, & agere unice poteſt contra eum, cui tradidit pecuniam tunc indebitam. Optimum igitur eſt conſilium Authoris, quod vero Domino ſemper reſtituatur, non autem ipſius creditori: quoniam ſæpe numero verus Dominus cauſas habet ipſi ſoli notas, ob quas ſua intereſt, quod tunc non ſolvatur creditori ſuo. Appoſite iccirco Daniel Concina de juſtitia & jure lib. 2. Differt. 2. cap. 13. num. 12. recitata ſententia eorum, qui tuentur pecuniam Petro puta debitam poſſe reſtitui Paulo, cui tantundem Petrus debet, ſubdit -- Negat altera ſententia, quæ mihi magis probatur. Quandoquidem Petrus creditor tuus jus habet exigendi a te ſuum debitum. Paulus vero Petri creditor nullo potitur jure a te repetendi quidquam. Qua ergo ratione pervertere hæc jura vales? Quis te Petri creditoris tui curatorem, procuratoremve conſtituit, ut illius debita ſolvas? An ne a Petro bona

illius ſurripere vales, quibus debita ejuſdem ſolvas? Nemo id aſſeruerit: Cur ergo centum, quæ illi debes, quæque illius ſunt, ſolvere creditori ſuo poteris? Solutio iſta jura perturbat. Quid, ſi Petrus tuus creditor indigeat pecunia, quam tu illi debes; Paulus vero Petri creditor forte non indigeat, ſed poſſit diutius expectare debiti ſolutionem, ut Petrus negotiis ſuis providere valeat? Tandem omnia tribunalia tales ſolutiones, quæ juris ordinem pervertunt, damnant —. Hactenus ille.

Septimum Dubium. Utrum accipiens ex dono ab illis, quos ſcit dare ob malam cauſam, puta pro homicidio, pro luxuria, & hujuſmodi, in caſibus, in quibus tenetur reſtituere, poſſit ſic acceptum reſtituere illi, qui dedit?

Reſpondeo, quod non, ſed debet pauperibus erogari, ſi ille, qui dedit, potuit alienare. Arguitur cap. *Cum tu* Extra *de uſuris*. Fallit hoc in duobus caſibus. Primus, quando datum eſt in alterius injuriam: quia tunc reſtitui debet illi, in cujus injuriam eſt datum, Extra *de Simonia* cap. *De hoc*. Secundus, quando turpiter acceptum ipſo jure applicatur fiſco, vel privato: quia tunc non debet dari pauperibus, ſed illi, cui de jure applicatur: quia facienda non eſt eleemoſyna de alieno, 1. q. 1. cap. *Non eſt putanda*. Si tamen in hoc ſecundo excepto caſu reſtituiſſet ei, qui dedit, liber fieret ab onere reſtitutionis: quia nullo jure hoc prohibetur, & pœnæ ſunt reſtringendæ, cap. *Odia* de regulis Juris in ſexto, & *de pœnitentia* diſt. 1. cap. *Pœnæ*. Si vero ille, qui dedit, non potuit alienare, ſicuti ſunt illi, de quibus tit. 21. Dubio 1. dictum eſt, reſtitui tunc debet illi, qui adminiſtrat res ſuas. Arguitur L. finali ff. *de alienatione*. Fallit in Prælato Eccleſiaſtico, de quo dixi Dubio 1. hujus Articuli.

(293) *Res ipſa turpiter male accipitur aliquando cum culpa accipientis, & non dantis: aliquando autem cum culpa dantis, & non accipientis: aliquando cum culpa utriuſque, ſcilicet dantis & accipientis* —. Ita S. Bernardinus To. 1. ſerm. 39. art. 2. in principio. Author hic loquitur de tertio caſu, quando videlicet accipitur cum culpa utriuſque, & hunc reſpicit

L. 3. ff. *de conditione ob turpem, vel injuſtam cauſam* — *Ubi autem & dantis & accipientis turpitudo verſatur, non poſſe repeti dicimus: veluti ſi pecunia detur, ut male judicetur* —. Exemplum eſſe poteſt, dum Iudex aliquid accipit, ut male judicet: Advocatus, ut injuſtam cauſam ſuſcipiat: teſtis, ut falſum teſtimonium dicat: vir improbus ut proximum ſuum falſo accuſet, vel ut aliquem occidat &c. De hac re jam fuſe dixi in Annotationibus ſuper tit. 28. per totum, quas potes conſulere, itemque in Annotat. 263. ſuper tit. 31. Unice igitur adjiciam quod ſuper hac re ſcripſerunt S. Bernardinus loco proxime citato cap. 3., & S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 5. §. 1. En verba S. Bernardini — Dicendum ſecundum Alexandrum Lombardum, quod aut dans illa dat cum bona intentione, ut ſcilicet jus ſibi, & æquitatem conſervet, & tunc ipſi danti reddi poteſt: aut eo animo dat, ut animum Judicis corrumpat, & ſibi inclinet, & tunc, ſicut dictum eſt, nec recipiens retinere poteſt, quia ratione delicti amiſit jus acquirendi dominium, nec etiam reſtituenda ſunt danti, qui, quantum in ſe fuit, rem datam a ſe voluntarie abdicavit. Hinc in præfato cap. *Non ſane* Auguſtinus de dante ait: ille tamen ſolet male ſibi ablatam pecuniam repetere, qui juſtum judicium emit, quoniam venale eſſe non debuit. Et ſubditur de recipiente circa capitis finem: iſti facilius ea, quæ iſto modo acquiſierunt tamquam ſua pauperibus largiuntur, quam eis, a quibus accepta ſunt, tamquam aliena reſtituantur. Ex quo patet, quod hæc pauperibus debent dari, ſeu illi, in cujus injuriam data ſunt, ſi injuſte ſit judicatum —. Hæc S. Bernardinus. Accipe nunc verba S. Antonini — Sed ſi pecunia data fuit Judici ad eum corrumpendum, vel teſti ad falſum teſtimonium dicendum, vel alicui ad falſo accuſandum, vel Advocato ad injuſte advocandum, illi datori reddi non debet, quia turpiter dedit, nec ſibi retinere poteſt, ſed pauperibus elargiri, vel illi, in cujus damnum, ſive injuriam data eſt, & præcipue ſi amiſiſſet ex hoc juſtam cauſam. Habentur hæc in dicto cap. *Non ſane*, prout notant ibi Joannes Andreæ, & Archidiaconus, & 11. q. 3. *Qui recte*, & Innocentius Extra *de immunitate Eccleſiarum*, *Quia plerique*, Raymundus, & Hoſtienſis in Summis —. Hæc S. Antoninus. Inter hos caſus Author enumerat, dum quis aliquid accipit pro luxuria. Sed jam vidimus Annotat. 263. meretricem poſſe licite retinere quod acquiſivit per meretricium, & debere illud pauperibus erogare ex conſilio, non autem ex neceſſitate præcepti. Author igitur intelligendus eſt, dum meretrix aliquid accipit ab eo, qui donare non poteſt, de quo caſu fuſe dixi cum Aſteſano in ead. Annotat.

Excipit Author primo caſum, in quo aliquid datur in alterius injuriam; nam tunc acceptum non debet pauperibus erogari, ſed tradi debet illi, in cujus injuriam datum eſt. Et de hoc jam dixi Annotat. 237. Super dubio 1. tit. 28. expendens quod quarto loco illic docuit Author. Et

hoc

hoc expreſſim docuerunt Sancti Bernardinus, & Antoninus modo producti, quibus præivit Alex. III. Extra *de Simonia* cap. 11. idem præcipiens — *Regem autem, & Principes ejus debes inducere, ut ſi qua receperint a præfato Epiſcopo, ut ejus electioni præſtarent aſſenſum, Eccleſiæ Exonien. ſine diminutione reſtituant, cum ea ſine gravi ſuæ ſalutis periculo retinere non poſſint*.

Excipit Author caſum alterum, eum videlicet, in quo acceptum per legem debetur fiſco, vel privato. Exemplum habes in L. 9. ff. *de jure fiſci*, quæ eſt hujuſmodi — *Lucius Titius fecit hæredes ſororem ſuam ex dodrante, uxorem Mæviam & Socerum ex reliquis portionibus: ejus teſtamentum poſthumo nato ruptum eſt. Qui poſthumus brevi & ipſe deceſſit: atque ita omnis hæreditas ad matrem poſthumi devoluta eſt: ſoror teſtatoris Mæviam veneficii in Lucium Titium accuſavit: cum non obtinuiſſet, provocavit. Interea deceſſit rea, nihilominus tamen Apoſtoli redditi ſunt. Quæro, an putes exſtincta rea cognitionem appellationis inducendam propter hæreditatem quæſitam? Modeſtinus reſpondit, morte reæ crimine extincto, perſecutionem eorum, quæ ſcelere adquiſita probari poſſunt, fiſco competere poſſe* —. Si hic petas abs me, quid ſignificent Apoſtoli, de quibus hujuſmodi lex? Reſpondeo cum Vocabulario utriuſque juris ver. *Apoſtoli* — *Apoſtoli ſecundum Hoſtienſem dicuntur literæ teſtimoniales, quia teſtificantur de appellatione facta*. Exemplum pro privato eſſe poteſt illud idem, quod jam protuli, dum aliquid datur, & accipitur in injuriam alterius, quod tradendum eſt illi ipſi, in cujus injuriam fuit datum. In hiſce exemplis, aliiſve ſimilibus, acceptum debetur illi ſoli, cui per legem & conſcientiam applicatum eſt: &, ſi pauperibus erogetur, fit eleemoſyna de alieno, ſecus ac edocet Spiritus Sanctus Prov. 3. v. 9. inquiens — *Honora Dominum de tua ſubſtantia* —, ſuper quibus verbis opportune S. Gregorius 1. q. 1. cap. 27. — *Qui ergo male tollit, ut quaſi bene præbeat, conſtat ſine dubio quia Dominum non honorat* —. De his, qui faciunt eleemoſynam de alieno, vide quæ fuſe dixi Annot. 115.

De hoc ſecundo caſu dicit Author, quod ſi acceptum præbeatur ipſi danti, accipiens remanet a reſtitutione liber, quia, ut ſubdit, nullo jure id prohibetur, & pœnæ ſunt reſtringendæ. Salvo tamen meliori judicio ſecus ipſe dicerem, ſi reſtituens id ageret ſciens legem oppoſitam; ea enim jura, quæ bona dantis fiſco applicant, vel privato, virtualiter prohibent, quod danti reſtituantur.

OCTAVUM DUBIUM. Utrum acceptum ex cauſa, quæ ſit ſolum turpis reſpectu ipſius recipientis, puta quis alteri dedit, ne faceret tale malum, vel ut faceret id, ad quod tenetur, & hujuſmodi, reſtituendum ſit ei, qui dedit, in caſu, in quo quis tenetur reſtituere? Re-

Reſpondeo, quod ſic. Exemplum eſto in Judice, qui non volebat dare juſtam ſententiam, niſi daretur ei pecunia, & hujuſmodi, ut L. 1. & 2. ff. *de condictione ob turpem cauſam*, & expreſſe in cap. *Non ſane* 14. q. 5. Fallit hoc in caſu de Judæis poſito in cap. *Cum ſit* Extra *de Judæis*, ubi ea, quæ Judæus, vel Paganus lucratur a Chriſtianis occaſione alicujus officii publici, debet convertere in uſus pauperum Chriſtianorum ſecundum providentiam Epiſcopi.

(294) Textus eſt apertus L. 2. ff. *de condictione ob turpem cauſam*, quæ eſt hujuſmodi — *Ut puta dedi tibi, ne ſacrilegium facias, ne furtum, ne hominem occidas, in qua ſpecie Julianus ſcribit, ſi tibi dedero, ne hominem occidas, condici poſſe. Item ſi tibi dedero, ut rem mihi reddas depoſitam apud te, vel ut inſtrumentum mihi redderes. Sed ſi dedi, ut ſecundum me in bona cauſa Judex pronuntiaret, eſt quidem relatum, condictioni locum eſſe: ſed hic quoque crimen contrahit; Judicem enim corrumpere videtur; & non ita pridem Imperator noſter conſtituit, litem eum perdere* —. Concinit S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 5. §. 1. ſcribens -- Similiter in judicio prohibitum eſt Judici, vel aſſeſſori, cum habent certum ſalarium, accipere aliquid a partibus pro judicando, vel non judicando bene vel male: teſti prohibitum eſt accipere pro teſtimonio ferendo. Unde Auguſtinus: Ideo non debet vendere Judex juſtum judicium, aut teſtis verum teſtimonium, quia vendit Advocatus juſtum patrocinium, & Juriſconſultus verum conſilium. Illi enim inter utramque partem ad examen adhibentur: iſti ex una parte conſiſtunt, 14. q. 5. *Non ſane*. Quod ergo Judex recipit pro hujuſmodi, vel teſtis, pro ſe retinere non poteſt, ſed debet illi reſtituere, qui dedit, ſi juſte dedit, puta ut juſte judicaret, intendens quodammodo redimere vexationem ſuam. Unde Auguſtinus in dict. cap. *Non ſane*. Ille ſolet ſibi male ablatam pecuniam repetere, quia juſtum judicium emit, quoniam venale eſſe non debuit —. Hactenus S. Antoninus.

Quod ſubdit Author de Judæo, vel Pagano, expreſſim fuit conſtitutum cap. *Cum ſit* ab eodem indicato, quod eſt Inno. III. — *Cum ſit nimis abſurdum, ut blaſphemus Chriſti in Chriſtianos vim poteſtatis exerceat: quod ſuper hoc Toletanum Concilium provide ſtatuit, nos propter tranſgreſſorum audaciam in hoc generali Concilio innovamus, prohibentes, ne Judæi publicis officiis præferantur: quoniam ſub tali prætextu Chriſtianis plurimum ſunt infeſti. Si quis autem eis officium tale commiſerit, per Provinciale Concilium, quod ſingulis annis præcipimus celebrari, monitione præmiſſa, diſtrictione, qua convenit, compeſcatur. Officiali vero hujuſmodi tamdiu Chriſtia-*

rorum

Digitized by Google

norum communio in commerciis, & aliis denegetur, donec in uſus pauperum Chriſtianorum ſecundum providentiam Diœceſani Epiſcopi convertatur, quidquid fuerit a Chriſtianis adeptus occaſione officii ſic ſuſcepti: & officium cum pudore dimittat, quod irreverenter aſſumpſit. Hoc idem extendimus ad Paganos.

Nonum Dubium. Utrum illi, qui longe diſtat, reſtituendum ſit ſuum, tametſi non poſſit ei mitti ſine ſumptibus?

Reſpondeo, quod ſic, ſi ſcitur ubi habitat, niſi ſit quid modicum reſpectu illius, cui debetur: quia tunc ſecundum Doctores erogari poſſet pauperibus pro anima illius, cujus eſt. Si vero neſcitur ubi habitat, non tenetur quis evagari, ut eum quærat. Arguitur ff. *de operis libertorum* L. *Quod niſi fiat* §. 1. Dabitur icciirco tunc pauperibus, niſi ſit veriſimile, quod Dominus ſit rediturus: quia tunc eſt expectandus, & ipſi reddi debet, quod eidem fuit ablatum.

(295) Rem hanc adeo dilucide exponit S. Bernardinus To. 1. ſerm. 40. art. 1. cap. 1., nihil ut magis. Ipſum igitur audiamus — Prima diſcretio obſervanda eſt in pretio, ſcilicet quod pro rei reſtitutione ponendum eſt. Circa quod eſt ſciendum, quod, ſi ille, cui res reſtitui debet, tantum diſtet, quod reddens plus expenderet in faciendo rem deportari, quam valeret, ita quod res finaliter non perveniret ad illum, cui debetur, tunc non oportet eam mitti, & maxime ſi unum, vel plura de his tribus concurrant. Primo, ſi res reddenda parvi pretii ſit. Secundo, ſi per viam licitam fuit habita, vel accepta. Tertio, ſi debitor non fuit in culpa reddendi ſine mora. Sed ſi contra hæc tria, vel aliquod eorum factum ſit, aliter ſecundum diverſitatem caſuum dicendum eſt. Si autem ſecundum primum modum eſſe contingat, triplici remedio tuto reſtituens poteſt uti. Primum eſt, quod expectetur perſona, cui res reſtitui debet, ſi quando credatur haberi, vel ſi ſpes eſt, quod per nuntium poſſit ei tranſmitti, etiam expectandum eſt. Secundum remedium eſt, quod, interim dum expectatur prædictus, rem illam ſigillatam apud alium a ſe in aliquo loco tuto deponat, ut puta apud parentes, ſeu apud alios ſuos amicos reddendam illi, ſi venerit, aut remittendam, ſi ſine immoderatis ſumptibus ei tranſmitti poterit. Hoc autem pro tanto tutius eſt, quanto homo apud ſeipſum, & etiam apud proximum ſuum certior ſit, quod abſque dolo, & fraude firmum, & indilatum propoſitum habet ad id reddendum, ita

quod, quantum eſt ex ſe, ſatisfaciendi nullatenus eſt in mora. Penſandæ ſunt tamen circumſtantiæ rei: nam ſecundum VVillelmum tam parva poſſet eſſe quantitas illius rei reddendæ, & tam dives, & largus ille, cui reſtitui debet, quod ei tranſmitti non oporteret, ſed pro illius anima pauperibus diſpenſanda. Tertium remedium eſt, quod, quando multo probabiliter creditur creditorem non eſſe amodo rediturum, nec de cætero eſſe amplius opportunitatem mittendi, ſeu reddendi, debet pauperibus diſpenſari pro ſalute ipſius; ut, poſtquam non poteſt ſibi reddi bonum temporale, reddatur ei jam converſum in ſpirituale: & hoc, ne reddens timeat, quod, ſi creditor ipſe rediret, poſſet in foro judiciali ab ipſo id repetere, & rehabere. Si tamen creditor propinquos habet, debet res illa ſatisfieri eiſdem ſecundum Scotum: quia præſumitur lege naturæ, quod talis magis vellet reſtitutionem propinquis ſuis, quam aliis fieri—. Hactenus S. Bernardinus.

DECIMUM DUBIUM. Sed cujus ſumptibus mittet vero Domino, quod ei abſtulit?

Reſpondet Hoſtienſis, quod, ſi eſt poſſeſſor malæ fidei, puta fur, uſurarius, & hujuſmodi, quum hic nullo juſto titulo rem habeat, ſi ipſe alibi ſe transfert, propriis ſumptibus tenetur rem mittere Domino. Si autem is, cujus res erat, ipſe eſt qui alibi ſe tranſtulit, tunc hujus ſumptibus mittetur ei: & ſic intelligenda eſt opinio Doctorum. Ita etiam diſtingnit lex ff. *de rei vindicatione* L. *Si res*, & L. *Si vero*. Cum hoc concordat Panormitanus in cap. *Cum tu* Extra *de uſuris*: qui addit, quod ſimilis diſtinctio pariter fit in re legata L. *Cum res* ff. *de legatis primo*. Verum reipſa hoc eſt, dicit idem Panormitanus, niſi inveniatur aliquis fidus, qui gratis velit eam illuc deferre. Arguitur cap. *Significante* Extra *de pignoribus*. Nota tamen ſecundum Doctores, quod, ſi ſumptus excedit valorem rei reſtituendæ, tunc res eſt diſpenſanda pauperibus. Arguitur cap. *Cum tu* Extra de uſuris, & 2. q. 6. cap. *Anteriorum*. Si autem non eſt poſſeſſor malæ fidei, ſed rem habet aliquo juſto titulo, tunc credo, quod ſequendum ſit arbitrium boni viri, cujus ſumptibus res ſit mittenda.

Digitized by Google

(296) Reipſa ita docuit Panormitanus, ſcilicet Nicolaus Tudeſchius Abbas Benedictinus, & Archiepiſcopus Panormitanus, loco ab Authore memorato ſcribens -- Conclude melius poſt Doctores, quod aut uſurarius receſſit de loco, ubi extorſit uſuras, & tunc, cum ſit malæ fidei, tenetur expenſis ſuis remittere ad locum, ubi extorſit. Aut illi, a quibus uſuræ fuerunt extortæ, receſſerunt, & tunc procedit illa Gloſſa, ut expenſis illorum mittantur. Similis diſtinctio fit in re legata, ut L. *Cum res* ff. *de legatis primo*: & hoc verum, niſi reperiatur aliquis fidelis, qui velit gratis deferre uſuras ad perſonas, a quibus fuerunt extortæ. Arguitur in cap. *Significante, de pignoribus* --. Hæc ille. Eadem ſcripſit S. Antoninus Panormitano coævus part. 2. tit. 2. cap. 3. ſub initio addens -- *Vel etiam poteſt creditori ſignificari, præcipue quando eſt multum remotus a debitore occulte, vel manifeſte ſecundum quod expedit, & ſecundum quod creditor ordinat, vel de mittenda illa re, vel reſervanda, vel alicui danda, ſic agat debitor, & liber erit* --. Medium hoc valde expedit præſertim noſtris hiſce temporibus, in quibus medio publico Tabellario Epiſtolæ mittuntur pene per univerſum Orbem, nec deſunt nummularii, quorum ope pecunia quaſi ad univerſas Urbes tranſvehitur. Eadem pariter ſcripſit coævus alter, nempe S. Bernardinus To. 1. ſerm. 40. art. 1. cap. 2. adjiciens -- *Conſilium præſtans penſare debet, ſi nullæ expenſæ in talibus faciendæ ſunt: nam, ſi ex communi jure, ſeu privato pacto non obligatur homo rem, vel cenſum reddere, niſi in tali caſtro, vel terra, tunc non tenetur id longius mittere ad ſuas expenſas*.

UNDECIMUM DUBIUM. Utrum, dum plures obligati ſunt in ſolidum ad reſtituendum, & unus ſolvit totum, quod debetur, alii teneantur eidem ſolventi, quilibet pro parte ſua?

Reſpondet Monaldus tit. *Reſtitutio ſexto*, quod ſic in foro conſcientiæ: quia utiliter egit negotium eorum, L. *Solvendo*, & L. *Cum pecuniam* ff. *de negotiis geſtis*. Secus in foro contentioſo L. *Item Mela* §. *Sed ſi plures* ff. *ad legem Aquiliam*. Concordant Directorium tit. *Reſtitutio*, Hoſtienſis, & Innocentius.

☞ (297) Jus Civile videtur quidem innuere, quod in hoc caſu unus ſolvens alios non liberat, quum ſcriptum ſit ff. *ad legem Aquillam* L. *Item Mela* §. 2. — *Sed ſi plures ſervum percuſſerint, utrum omnes, quaſi occiderint, teneantur, videamus? Et ſi quidem apparet, cujus ictu perierit, ille,*

quaſi occiderit, tenetur. Quod ſi non apparet, omnes, quaſi occiderint, teneri Julianus ait: & ſi cum uno agatur, cæteri non liberantur, nam ex Lege Aquilia quod alius præſtitit, alium non relevat, cum ſit pœna --. Secus tamen reipſa eſt; hæc enim lex intelligenda eſt de pœna, non autem de re, quæ, ſemel ab uno ſoluta, non amplius Domino debetur ab aliis. Ita legem hanc exponit Gloſſa ſuper hac lege, & ſigillatim ſuper ver. *Pœna* ſcribens -- *Nam quantum ad pœnam unus alterum non liberat, ſed in eo, quod eſt rei perſecutio, ſic* --. Quid quid tamen ſit de jure civili, certum eſt in foro conſcientiæ Dominum nihil amplius poſſe petere, quia per integram ſolutionem ab uno factam ipſe habuit ſuum, & factus eſt indemnis. Veriſſima quapropter eſt regula, quam tradit Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. *De quarto* ſcribens -- *Iſtorum omnium quilibet tenetur ad reſtitutionem in ſolidum, ſed uno reſtituente omnes alii liberantur a debito in comparatione ad illum damnificatum. Tamen alii tenentur pro rata portionis, quæ eos contingit, illi, qui pro omnibus ſatisfecit* --. Appoſite ait Scotus -- *quæ eos contingit*; ſi enim res aliena, ad quam rapiendam plures operam contulerunt, integra reperiretur apud unum, hac reddita vero Domino cæteri omnino liberarentur.

Ait Author poſt Scotum, quod quilibet tenetur pro rata: quoniam qui totum ſolvit, utiliter geſſit negotium cæterorum, & iccirco eidem competit actio adverſus eos, textu expreſſo ff. de negotiis geſtis L. 43. -- *Cum pecuniam ejus nomine ſolveres, qui tibi nihil mandaverat, negotiorum geſtorum actio tibi competit: cum ea ſolutione debitor a creditore liberatus ſit: niſi ſi quid debitoris interfuit, eam pecuniam non ſolvi* --. Preme hæc poſtrema verba legis *niſi ſi quid debitoris interfuit*; quandoque enim debitoris intereſt, quod debitum non ſolvatur, ut ſæpe numero dixi, & ſingillatim Dubio ſexto proxime præcedenti. Nonnullos caſus enumerat Gloſſa ſuper hac ead. lege ſcribens -- Tribus modis potuit intereſſe. Primo, quia dies ſolvendi nondum venerat, unde non aget nunc, ſed demum die veniente, ut infra *Mandati* L. *Si mandavero* 1. reſpons. Secundo, ut quia debitor retentione poterat uti: nam in multis caſibus retentionem habemus, in quibus petitionem non habemus, ut infra *de condictione indebiti* L. *Ex quibus*, & L. *Si in area* in fine. Tertio, ut ſi econtra naturaliter ſibi creditor teneatur, cui poterat compenſationem objicere, ut infra *de compenſationibus* L. *Etiam*. Et in his duobus caſibus nullo tempore aget geſtor, cum non utiliter etiam inchoaverit, ut ſupra eo. L. *Sed an ultro* §. 1., & infra *Mandati* L. *Si mandavero* in principio: vel ſi alius erat donaturus, ut C. eod. L. 2. -- Hactenus Gloſſa.

Secun-

SEcundus Articulus ſecundæ Conſiderationis eſt de ordine reſtituendorum.

Secundus Articulus, qui eſt de ordine reſtituendorum, ſcilicet cui prius ſit reſtituendum, continet in ſe ſex Quæſtiones, ſeu ſex Dubia.

Primum Dubium. Utrum ille qui debet reſtituere multa, quorum aliqua ſunt incerta, quia neſcit cui ſint reſtituenda, ſeu diſtribuenda; aliqua vero certa, quia ſcit cui debentur: ſervare debeat in reſtituendo aliquem ordinem?

Reſpondeo, quod ſic: nam prius debet reſtituere certa, ſi omnia tum certa, tum incerta non poteſt ſolvere. Secus autem, ſi ſolvere poteſt & certa & incerta; tunc enim poteſt primo reſtituere illi, cui vult. Facit hoc contra hæredes uſurariorum, qui, ne cadaver remaneat inſepultum, primo conveniunt cum Epiſcopo de incertis, etſi inde ſequatur, quod fiant non ſolvendo omnibus certis. Iſti ſic agendo non liberantur, & Epiſcopus retinere non poteſt id, quod ab iiſdem accipit, ſi ſcit eos fieri non ſolvendo creditoribus certis.

(298) Perbelle S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 7. ſub initio – Primum eſt, quod reſtitutio certorum præponenda eſt reſtitutioni incertorum. Sciendum igitur, quod certa omnia obligata reſtitutioni, ideſt cum ſciuntur perſonæ, quibus facienda eſt, prius integraliter ſolvenda ſunt, quam reſtituantur incerta, quando ſcilicet ſcitur, vel dubitatur bona reſtituentis non ſufficere ad utrumque. Nam tunc reſtituenda ſunt plene prius & integraliter certa: & hoc triplici ratione: primo ratione ſucceſſionis, ſecundo ratione obligationis, tertio ratione ſimilitudinis. Quantum igitur ad primam rationem ſcilicet ſucceſſionis, advertendum diligenter, quod non ſuccedit in pauperibus ipſe Chriſtus; niſi quando non reperiuntur perſonæ certæ, quibus reſtitui debent certa, ut quaſi per ſubſtitutionem ſuccedere videatur: ac ſi diceret teſtator, dimitto meos hæredes tales & tales, quibus debeo, vel etiam ſi non debeo; ſed ſi eos non reperiri contingat, ſubſtituo mihi Chriſtum cum pauperibus. Quantum ad ſecundam rationem ſcilicet obligationis probatur hoc ſic. Nam pauperibus non tenentur hæredes dare, ſcilicet pro reſtitutione incertorum, niſi unica ratione, ſcilicet in foro Dei. Sed creditoribus certis tenentur duplici ratione, ſcilicet in foro Dei, & in foro mundi: quia hæredes poſſunt a creditoribus in judicio conveniri. Quantum ad tertiam rationem ſcilicet ſimilitudinis, probatur idem a ſimili de voto ſimplici, & ſolemni. Nam votum ſimplex non ita obligat ſicut id, quod eſt ſolemne. Nam ſimplex obligat quoad Deum, ſolemne quoad Deum & forum: unde & ſimplex votum impedit matrimonium contrahendum, ſed non dirimit contractum. Solemne autem & impedit, & contractum dirimit, ut patet diſt. 27. per totum. Et ratio hujus eſt, quia in voto ſimplici eſt unum vinculum ligans, in ſolemni duplex –. Hactenus S. Antoninus. Eadem habet S. Bernardinus To. 1. ſerm. 39. art. 3. cap. 1., qui inſuper ſubdidit – *Ex hoc autem colligitur error, qui quotidie exercetur contra reſtituendas uſuras, ſeu rapinas. Ad cujus intelligentiam ponatur caſus, & detur unus, qui decem millia habuit de uſuris, vel de rapinis, inter quæ quinque millia reperiuntur certa, quinque millia incerta ſint,· tamen in morte de bonis iſtius non inveniantur niſi tria millia, & ſic non ſufficiant ad ſatisfaciendum ſolummodo certa certis: tunc manifeſte apparet, quod, ſi quid pro ſatisfactione incertorum accipitur, ut pauperibus, ſeu in pias cauſas diſpenſetur, totum nova rapina eſt, & eſt quodammodo facere raptorem Chriſtum in pauperibus ſuis. Propterea quicumque hoc intelligit, atque novit, licet pauper ſit, vel pauperibus diſpenſet, ſi quicquam inde accepit, & rapinam committit, & ſatisfacere obligatur his, qui debent habere certa: quod tamen contrarium quotidie intelligimus fieri: quia quod reſtitui debet certis perſonis, non poteſt pauperibus diſpenſari, Extra de homicidio* in cap. *Sicut dignum.*

Apposite ait Author, ſecus eſſe dicendum, ſi quis habeat, unde ſolvat & certa & incerta: quia tunc reſtituendo pro libito prius iſti, quam

illi,

illi, nulli facit injuriam, quum æque paratus ſit & poſſit omnibus illico ſatis facere.

Secundum Dubium. Utrum obligatus ad reſtituendum multa ex contractu vel quaſi, & ex maleficio vel quaſi, nec valens omnibus reſtituere, debeat prius reſtituere creditoribus ex contractu, quam ex maleficio?

Reſpondeo, quod ſic, vel quibus vult, ſi ſunt omnes ſimpliciter creditores, ut patebit in Dubio ſequenti: niſi quando res habita ex maleficio, puta ex uſura, furto, & hujuſmodi, adhuc extaret in ſpecie, quia tunc illam teneretur reſtituere vero Domino, nec eam poſſet dare creditoribus pro ſolutione; immo nec hi id ſcientes poſſent eam retinere. Idem dicendum eſt in emptis de pecunia fœnebri, vel habita per rapinam, vel furtum, & hujuſmodi, ſi conſtet, quod de ſpeciali pecunia alicujus emptio facta ſit: quia tunc res cedit loco pecuniæ.

(299) Super hac re Doctores non conveniunt inter ſe ſe. Roſella ver. *Reſtitutio ſextodecimo* num. 4. totus eſt, ut oſtendat, prius ſolvendum eſſe creditoribus ex contractu, quam ex maleficio, niſi jure municipali aliter ſit conſtitutum. Author hic disjunctive loquens, id totum permittit arbitrio ſolventis, & in Angelica ver. *Reſtitutio ſecundo* conſtanter adſerit, nullo jure probari, quod poſſit prius ſolvere creditoribus ex contractu quam ex maleficio. Ipſum ſequitur cum aliis bene multis Lucius Ferraris ver. *Reſtitutio* art. 4. num. 35. & ſeq., fuſe probans, nullo jure demonſtrari poſſe, debita ex delicto debitis ex contractu in reſtitutione eſſe præferenda. Ex adverſo S. Bernardinus To. 1. ſerm. 39. art. 3. cap. 2., & S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 7. §. 1. uno ore, unoque conſilio fuſe probant, prius ſolvendum eſſe creditoribus ex maleficio, & poſtmodum creditoribus ex contractu: & pro clariori hujus caſus dilucidatione inſuper addunt, quod, ſi creditores ex maleficio alii ſunt ob rapinas, & furta, ob uſuras ſolutas alii, primi ſunt præferendi ſecundis. Accipe verba S. Bernardini, cum quo concordat S. Antoninus pene ſervato ipſo literarum cortice — Secundum triplicem voluntatem creditoris contingit debitorem habere ſubſtantiam ejus. Prima eſt voluntas violenta, ſecunda conditionata, tertia vero dicitur conformata. Prima autem voluntas concurrit in rapina, furto, & ſimilibus: ſecunda vero in uſura: tertia in reliquis contractibus juſtis: & ſecundum

hunc

hunc triplicem voluntatis gradum homo varie prius, & poſterius reſtituere obligatur. Prima autem eſt voluntas violenta: hoc autem contingit, quando auferuntur homini ſua contra voluntatem ſuam, ut dixi, per rapinam, & furtum: propterea talia prius reſtituenda ſunt, quam uſura, & cætera debita alia. Quod propter tria contingit: primo propter offenſionem: ſecundo propter expropriationem: tertio propter compulſionem. Primo, inquam, prius reſtitui debet certa rapina, & furtum, quam uſura, & alia debita juſta, & hoc propter offenſionem: nam in eis major infertur injuria, quia illa penitus ſunt involuntaria; uſura vero in aliquo eſt voluntaria, ſcilicet voluntate conditionata, & propter hoc de ſui natura minorem injuriam in proximum ſapit. Alia vero debita ſine injuria fiunt, quia voluntaria ſunt; & ideo rapina & furtum prius reſtitui debent, quam ipſa uſura, & alia debita licito modo contracta: ac eadem ratione prius rapina, quam furtum, reſtitui debet, quia etiam gravior in rapina, quam in furto, violentia & injuria proximo irrogatur. Secundo propter expropriationem: nam in rapina & furto ſecundum omnes Doctores dominium non transfertur, maxime ſi extant habita illis modis; & ideo talia nunquam ſunt taliter poſſidentis: in uſura vero ſecundum Doctores multos dominium transferri videtur. Tertio propter compulſionem; magis enim debitor compellitur, & arctatur a jure reſtituere quæ extorſit per rapinam, & furtum, quam quæ habuit per uſuram: nam ad reſtituendum uſuram compellitur divino, & Eccleſiaſtico jure, ſed ad reſtituendum rapinam & furtum arctatur divino, Eccleſiaſtico, & humano, ſive jure civili. Et inſuper advertendum eſt, quod, ſi debitor non in ſolidum reſtitueret quod extorſit per rapinam, & furtum, & etiam quod habuit per uſuram, tenetur in ſolidum reſtituere prius quod habuit per rapinam & furtum, quam quod habuit per uſuram: & hoc maxime oſtenditur duplici ratione. Primo ratione voluntatis concurrentis, ſecundo ratione juris coarctantis. Primo ratione voluntatis concurrentis: nam ille, qui per uſuram ſpoliatus eſt, ſicut ſupradiximus, ſua voluntate ſpoliatus eſt: qui autem ſpoliatus eſt per furtum, atque rapinam, contra voluntatem ſuam dicitur ſpoliatus. Sed reſtitutio illius, qui ſpoliatus eſt omnino contra voluntatem ſuam, impediri non debet per reſtitutionem illius, qui ſpoliatus eſt conſentiente voluntate ſua. Secundo ratione juris coarctantis: aperte namque conſpicimus, quod a jure civili homo compellitur ad reſtitutionem in ſolidum rapinæ, & furti, non obſtante quod per hoc talis non potens reddatur ad plene reſtituendum uſuras. Hæc eſt ſententia Magiſtri Generalis de Senis de Ordine Fratrum Eremitarum. Secunda autem voluntas dicitur conditionata, quæ cadit ſcilicet in uſura. In hac igitur, quia non cadit voluntas libera, ſed quadam conditione coarctata, ideo prius tenetur homo reſtituere, quæ habuit per uſuram, quam quæ habuit per alios contractus voluntarie factos. Hujus autem ratio eſt ſecundum

dum Alexandrum Lombardum, quia in reſtitutione debitorum ſolum juſtitia obſervatur; ſed in reſtitutione uſuræ, & quorumlibet male ablatorum non ſolum juſtitia ſervatur, ſed etiam injuria Deo facta, & proximo amovetur: propterea talis reſtitutio præferenda eſt. Si quandoque tamen contrarium obſervatur, quia & talia debita juſta in ſatisfactione præponuntur male ablatis, advertendum quod in duplici caſu hoc fieri poteſt. Primo ſcilicet, quando debita ſunt clara & manifeſta, & reſtitutiones uſuræ, & male ablatorum non ſic, ſed ſunt utique inquirendæ, quia obſcuræ ſunt. Sed, ſicut in præcedentibus patet, clarum ſemper præcedit obſcurum in humano jure. Secundo, quando res, quæ debetur, determinata eſt, verbi gratia quinquaginta, vel centum, & male ablata reſtituenda non ſic ſunt determinata. Sed in jure determinatum indeterminatum præcedit in quantum hujuſmodi, ſicut etiam ex præcedentibus patet. Hic enim ordo, de quo nuper hic diximus, in reſtitutione multoties non ſervatur, quia non ſemper præponitur clarum & determinatum obſcuro & indeterminato: quia quod juris eſt a paucis obſervatur. Tertia autem voluntas dicitur conformata, quia in licitis contractibus voluntas contrahentium inſimul conformatur; propterea habita cum tali voluntate poſt præcedentia reſtitui debent —. Hactenus S. Bernardinus.

Tertium Dubium. Utrum obligatus multis creditoribus ex contractu vel quaſi, & non valens omnibus ſatisfacere, debeat prius ſolvere uni, quam alteri?

Reſpondeo, quod ſic, etiam in conſcientia: nam ſecundum Baldum in L. *Pro debito* C. *de bonis auctoritate Judicis poſſidendis*.

(300) Non deſunt tuentes ordinem in legibus ſancitum pro reſtitutione facienda, dum debitor omnibus non eſt ſolvendo, non obligare in conſcientia. Sed doctrina Authoris certe eſt præferenda: nam omnes illæ leges, quæ reſpiciunt publicam humanæ ſocietatis pacem, & tranquillitatem, & commerciorum æquitatem, ſicut ſunt hæ, de quibus ſermo, conſcientiam obſtringunt.

Creditores alii vocantur perſonales, & ſunt illi, qui jus tantum habent in perſonam, non autem in bona niſi indirecte, quia nulla bona habent determinata ſibi ipſis obligata. Vocantur alii hypothecarii, & illi cenſentur, qui præter jus in perſonam nonnulla habent bona ſibi devincta media hypotheca. Duplex poſtmodum hypotheca eſt, tacita alia ſive legalis, alia expreſſa ſeu conventionalis. Tacita dicitur, quæ vi legum adjecta eſt; lex enim bonis dotalibus hypothecam adjecit omnium bonorum mariti, & in

Digitized by Google

in favorem fiſci ſtatuit, hypothecæ eſſe obnoxia omnia bona eorum, qui gabellas conducunt, aut tributa. Dicitur autem expreſſa, quando vi contractus bona aliqua expreſſim hypothecæ ſubjiciuntur communi contrahentium conſenſu. Si omnia bona indiſcriminatim ſint obligata, dicitur hypotheca generalis; ſi autem aliquod tantum ſtabile, puta hæc vinea, hoc pratum, & hujuſmodi, hypotheca ſpecialis adpellitatur.

Accipe nunc legem ab Authore indicatam -- *Pro debito creditores addici ſibi bona ſui debitoris, non jure poſtulant. Unde ſiquidem debitoris tui cæteri creditores pignori res acceperunt, potiores eos; quam te Chirographarium creditorem haberi non ambigitur. Quod ſi ſpecialiter, vel generaliter nemini probentur obligatæ, ac ſine ſucceſſore communis debitor, vel ejus hæres deceſſit, non dominii rerum vindicatione, ſed poſſeſſione bonorum, itemque venditione, æquali portione, pro rata debiti quantitate omnibus creditoribus conſuli poteſt.*

PRIMO, reſtituendum eſt Dominis rerum, ſi res extant, ut ſunt deponentes, & hujuſmodi, L. *Si ventri* §. *In bonis*, & L. finali ff. *de privilegiis creditorum*.

(301) Hic titulus *de privilegiis creditorum* in junioribus editionibus corporis Juris civilis non amplius extat, & omnino deſideratur. Ipſius leges, quarum prima incipit -- *Cum bona veneunt*, adjectæ fuerunt titulo præcedenti, qui olim erat -- *De bonis auctoritate Judicis poſſidendis*, & nunc inſcribitur -- *De rebus auctoritate Judicis poſſidendis*, quæ paucula literalis variatio fortaſſis facta fuit, ut hic titulus diſtingueretur ab eo, qui in Codice inſcribitur -- *De bonis auctoritate Judicis poſſidendis*. Offendens igitur in veteribus leges indicatas ſub tit. *de privilegiis creditorum*, eas perquire in tit. *de rebus auctoritate Judicis poſſidendis*, & ipſas ſtatim invenies. En interim primam legem hic ab Authore memoratam -- *In bonis menſularii vendendis, poſt privilegia potiorem eorum cauſam eſſe placuit, qui pecunias apud menſam, fidem publicam ſecuti, depoſuerunt. Sed enim qui depoſitis nummis uſuras a menſulariis acceperunt, a cæteris creditoribus non ſeparantur: & merito; aliud eſt enim credere, aliud deponere. Si tamen nummi extent, vindicari eos poſſe puto a depoſitariis, & futurum eum, qui vindicat, ante privilegia* --. In hac lege pene univerſus ordo reſtitutionis creditoribus faciendæ deſcribitur. Poſtrema ipſius verba deponentes reſpiciunt, de quibus hic ſermo. Hi jure omni cæteris præferuntur; convenit enim penes omnes, quod illi creditores tum jure naturæ, tum jure poſitivo, præferendi ſunt cæteris, quorum bona in ſpecie exiſtunt apud debitores, & quorum dominium in debitores translatum non eſt, ut ſunt pignora, depoſita, commodata, & hujus generis alia: quia ejuſmodi bo-

na

Digitized by Google

na debitoris non ſunt, ſed creditoris; & iccirco extrahi prius debent tamquam alienum, nec inter bona debitoris computari poſſunt.

SECUNDO, veniunt venditores, ſi res venditæ adhuc extant; tunc enim dari ipſæ debent pro pretio, &, ſi pluris valuerint, illud plus ſolvent ipſi venditores, ut aliis creditoribus detur, L. *Julianus* §. *Offerri* ff. *de actionibus empti & venditi*. Si poſtmodum res non amplius extant, & aliæ ſubrogatæ ſunt, ex harum pretio non reddentur, quia res ſubrogatæ non ſunt pretio obligatæ, L. *Quidam* ff. *de in rem verſo*, ubi habetur notabilis textus. Ratio eſt: quia pretium ex re illa acceptum non erat obligatum. Ergo nec res empta ex eodem. Idem dicendum eſt in permutatione: quia, ubi ſpecies in obligatione eſt, non ſuccedit alia loco ipſius, ut ff. *de verborum ſignificatione* L. *Labeo*, & *de rei vindicatione* L. *Marcellus*.

(302) An res credito vendita, & extans apud debitorem, venditori reddenda ſit, nec ne præ aliis creditoribus, tametſi venditor aliunde non habeat jus prælationis, non convenit inter Doctores. Author hic adfirmative reſpondet, ipſique præiverunt inter alios S. Bernardinus Tom. 1. ſerm. 39. art. 3. cap. 3., & S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 7. §. 3. ſcribens — *Primo debet ſatisfieri Dominis rerum..... Secundo ſatisfſt mercium venditori, ſi extant merces, hoc eſt ipſæ merces reſtituuntur tamquam ſingulariter pro pretio obligatæ. Si autem plus valerent, illud plus redditur ad commodum creditorum* --: ipſumque ſequuntur benemulti, quos citat Ferraris ver. *Reſtitutio* art. 4., quibus noviſſime acceſſit Daniel Concina de juſtitia & jure Diſſert. 2. cap. 14. q. 2. Idem Author in Angelica, vult quidem, quod, dum res vendita eſt non habita fide de pretio, ſeu pretio non convento, venditor præferri debeat cæteris creditoribus: quia reipſa in hoc caſu venditio nondum fuit completa, textu aperto ff. *de actionibus empti & venditi* L. *Julianus* §. 8. -- *Offerri pretium ab emptore debet, cum ex empto agitur: & ideo, etſi pretii partem offerat, nondum eſt ex empto actio; venditor enim quaſi pignus retinere poteſt eam rem, quam vendidit* --. Contendit tamen, eundem venditorem non eſſe præferendum, dum res fuit vendita habita fide de pretio. En ipſius verba *Reſtitutio ſecundo* num. 16. -- *Quod ſi res extant, & fuerant venditæ non habita fide de pretio (cum non ſint translatæ in dominium ementis) ipſi vendenti, cujus erant, eſt ſatiſfa-*

Digitized by Google

tiſfaciendum de pretio prius, quam aliis L. *IVLIANVS* §. *OFFERRI ff. DE ACTIONIBVS EMPTI ET VENDITI*. *Si vero habita fide de pretio ſunt tradita, ſic non præponentur aliis*". Sententiam igitur profecto immutavit, vel ſaltim melius expoſuit: & pro hac poſtrema Authoris ſententia ſtant benemulti, quos profert, & ſequitur Ferraris loco proxime citato num. 34. In tanta Doctorum varietate ſummopere mihi arridet placitum Gabr. Antoine, videlicet quod, ſi attendamus rigorem juſtitiæ, venditor, de quo agitur, cæteris creditoribus præponendus non eſt. Ratio eſt in promptu: quia ſecuta rei traditione, & habita fide de pretio, res non eſt amplius venditoris, ſed ipſius dominium translatum eſt in ementem. Nulla enim in hoc caſu inducitur hypotheca, quum hæc inducatur vel ex conventione, vel ex jure poſitivo, & in hoc caſu nec verbum factum fuerit de hypotheca, nec jus poſitivum eandem inducat. Quid multa? Si emptor rem illam alteri revenderet, rata eſſet hujuſmodi venditio, & dominium transferretur in ſecundum emptorem. Non erat igitur amplius venditoris, ſed ſolius emptoris. Si autem æquitatem quandam conſulamus, poteſt, & debet res venditori reddi: quia æquitati naturali magis videtur conſentaneum, quod, dum res venditoris exiſtit in propria ſpecie, non applicetur aliis extraneis, ipſo Domino, ſeu venditore invito. Ita ſtatutum eſt penes Gallos art. 3. Edicti an. *1669*. vi cujus, ſi de immobilibus agatur, venditor habet jus rem ſuam inſequendi quocumque tranſierit; ſi autem agatur de rebus mobilibus, venditoris ſunt quandiu reperiantur non ſolutæ in manu primi emptoris: ſicuti teſtatur Colletus Inſtitut. Theol. de juſtitia & jure cap. 3. art. 3. ſect. 2. poſt concluſ. 2.

TERTIO, veniunt uxores cæteris paribus: quia uxor hypothecam habere dicitur; & ideo præfertur nedum prætendentibus perſonalem obligationem, ſed tacitam quoque hypothecam etiam anteriorem L. *Aſſiduis* C. *qui potiores in pignore habeantur*, & facit L. *Ubi* C. *de jure dotium*, & C. *de ſervo pignori dato* L. 2. Non præfertur tamen creditoribus anterioribus habentibus expreſſas hypothecas, ſed duntaxat poſterioribus, ut Gloſſa in dict. L. *Aſſiduis*. Fiſcus quoque ſimile privilegium habet cum uxore; & ideo in concurſu uxoris & fiſci præfertur qui prior eſt tempore, C. *de privilegio fiſci L. Quamvis*. De hoc etiam habes in Gloſſa Extra *de pignoribus* cap. *Ex literis* ver. *Quoniam mulier*, & in Gloſſa ſuper dict. L. *Aſſiduis*. Nota tamen, quod

quod mulier non præfertur danti ad refectionem, ſi expreſſe dedit ad hunc effectum, niſi ipſa prius cotraxerit dando dotem, ut Gloſſa ibidem. Similiter nec præfertur illi, de cujus pecunia empta eſt militia, Authenth. *Quo jure C. qui potiores in pignore habeantur*.

(303) Reſtituto ære alieno ante quemcumque creditorem quomodocumque privilegiatum ſolvendæ ſunt expenſæ funeris, textu aperto ff. *de religioſis & ſumptibus funerum* L. 45. -- *Impenſa funeris ſemper ex hæreditate deducitur, quæ etiam omne creditum ſolet præcedere, cum bona ſolvendo non ſint* --. Nota ly *omne creditum*, quæ particula nihil excludit, ut appoſite Inno. III. Extra *de Majeſtate & obedientia* cap. 6. §. 6., tametſi loquens de alia re -- *Nihil excipiens qui dixit quodcumque* --. Nomine impenſæ funeris venit quidquid ſolvitur cauſa corporis humandi, ut ff. eod. tit. L. 37. -- *Funeris ſumptus accipitur quidquid corporis cauſa, veluti unguentorum, erogatum eſt, & pretium loci, in quo defunctus humatus eſt, & ſi qua vectigalia ſunt, vel ſarcophagi, & Vectura, & quidquid corporis cauſa, antequam ſepeliatur, conſumptum eſt, funeris impenſam eſſe exiſtimo* --. Æquum id eſt quam quod maxime; naturalis enim pietas pro debitis officiis erga defunctorum corpora præſtandis prævalere debet, natura ipſa impellente, cuilibet juri poſitivo. Jure iccirco Author ipſe in Angelica ver. *Reſtitutio ſecundo* num. 16. -- *Adverte tamen hic, quod expenſæ factæ in funerando prius ſunt reſtituendæ, quam ſatisfaciendum habentibus taci as, vel expreſſas hypothecas in bonis ipſius defuncti, ut eſt textus in L. penult. ff. DE RELIGIOSIS ET SVMPTIBVS FVNERVM* --. Scias tamen volo, quod hujuſmodi ſumptus debent eſſe moderati, & conſueti; & iccirco ſi teſtator ſumptus præſcriberet immoderatos, extraordinarios, ad pompam, ad ornatum, hi non cenſerentur cauſa funeris, ut egregie L. 37. de qua nunc, adjiciens -- *Monumentum autem ſepulchri id eſſe, Divus Hadrianus reſcripſit, quod monumenti, ideſt cauſa muniendi ejus loci factum ſit, in quo corpus impoſitum ſit. Itaque ſi amplium quid ædificari teſtator juſſerit, veluti in circuitum porticationes, eos ſumptus funeris cauſa non eſſe*.

Eadem prælatione gaudent expenſæ factæ tempore ultimæ infirmitatis penes Medicos, Pharmacopolas, & Chirurgos de quibus impenſis ita ſancitum lego C. *de petitione hæreditatis*, L. 4. -- *In reſtituenda hæreditate compenſatio ejus habebitur, quod te in mortui infirmitatem, inque ſumptum funeris bona fide ex proprio tuo patrimonio erogaſſe probaveris* -- & C. *de religioſis & ſumptibus funerum* L. 3. -- *Legatum a defuncto tibi relictum, & quod in funus, vel morbum ejus erogaſſe te boni viri arbitratu probaveris, Præſes Provinciæ*

ſolvi

ſolvi tibi jubebit – . Et hoc videtur æquiſſimum, ne infirmi variis debitis gravati, defectu Medicorum, & Medicinalium, ſine auxilio, & conſuetis remediis neceſſario moriantur. Dixi tempore ultimæ infirmitatis, quæ cum morte fuit conjuncta, quoniam debita in anteceſſum, etiam cauſa infirmitatis, contracta hoc privilegio non gaudent: & ſibi ipſis imputare debent, qui ſatisfactionem pro iiſdem debitam prius non ſunt conſecuti.

Ejuſdem prælationis participes ſunt expenſæ, quæ fiunt pro inſinuatione teſtamenti, pro confectione inventarii, aliæve ſimiles, textu expreſſo C. *de jure deliberandi* L. 22. §. 9. – *In computatione autem patrimonii damus ei licentiam excipere, & retinere quicquid in funus expendit, vel in teſtamenti inſinuationem, vel in Inventarii confectionem, vel in alias neceſſarias cauſas hæreditatis approbaverit ſe ſe perſolviſſe* – . Hujuſmodi expenſæ neceſſariæ ſunt, ut quis adeat hæreditatem: neceſſariæ ſunt, ut ſciatur quidquid ad hæreditatem pertinet. Fiunt ergo in commodum, & utilitatem omnium creditorum; & idcirco jure optimo ipſis omnibus præferri debent.

Ad uxores nunc cum Authore deſcendens, pro certo habeas volo, quod ipſe docet de uxore relate ad creditores omnes tum habentes obligationem perſonalem, tum gaudentes hypotheca tacita etiam priori. Id reipſa in confeſſo eſt apud omnes Doctores hac de re agentes, qui omnes id probant ex conceſſione Juſtiniani Imperatoris C. *qui potiores in pignore habeantur* L. 12. §. 1. – *Ad hæc omnia reſpicientes, & reminiſcentes, quod & alias duas Conſtitutiones fecimus pro dotibus, mulieribus ſubvenientes, & hæc omnia in unum colligentes, ſancimus, ex ſtipulatu actionem, quam mulieribus jam pro dote inſtituenda dedimus, cuique etiam tacitam donavimus ineſſe hypothecam, potiora jura contra omnes habere mariti creditores, licet anterioris ſint temporis privilegio vallati* – . Super hac lege opportune Gloſſa in principio – *Dicit Imperator ſe feciſſe duas Conſtitutiones, quibus ſuccurritur mulieribus, præferendo eas omnibus creditoribus perſonales actiones contra maritum habentibus; ſed ſecundum veteres leges dubium erat tantum de hypotheca. Dicit ergo per hanc legem, quod non ſolum præfertur mulier in perſonalibus, ſed in hypotheca. Nec refert, extent res dotales, vel non: neque habeat filios, vel non, vel habuit, ſed in fata conceſſerunt: quia ſemper præfertur* – . Æquitatem hujus legis, ſeu privilegii oſtendit ipſemet Imperator ibidem ſubdens – *Quis enim earum non miſereatur propter obſequia, quæ maritis præſtant, propter partus periculum, & ipſam liberorum procreationem, pro quibus multa noſtris legibus inventa ſunt privilegia? Et ideo quod antiquitas quidem dare incepit, ad effectum autem non pertulit, nos pleno legis articulo conſumavimus: & ſive liberos habeat mulier, ſive ab initio non habuit, ſive progenitos amiſit, hoc ei privilegium indulgemus.*

In confeſſo pariter apud omnes eſt, quod uxor vi hujus privilegii præfertur omnibus creditoribus habentibus hypothecas etiam expreſſas poſterio-

Digitized by Google

ſteriores. Ratio eſt in promptu: quia, quum hypotheca uxoris incipiat a tempore datæ dotis, ipſa prior eſt habentibus hypothecas expreſſas poſteriores, & per Regulam 54. Juris in Sexto -- *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*.

In confeſſo demum apud omnes eſt, quod fiſcus eodem cum uxore privilegio gaudet, & quod fiſcum inter & uxorem præferatur qui prior eſt tempore, ſicuti ſancitur L. 2. C. *de privilegio fiſci*, quæ eſt hujuſmodi -- *Quamvis ex cauſa dotis vir quondam tuus tibi ſit condemnatus, tamen, ſi priuſquam res ejus tibi obligarentur, cum fiſco contraxit, jus fiſci cauſam tuam prævenit. Quod ſi poſt bonorum ejus obligationem rationibus meis cæpit eſſe obligatus, in ejus bona ceſſat privilegium fiſci* --. In controverſiam igitur unice vocatur, an uxor præterri etiam debeat creditoribus habentibus expreſſas hypothecas anteriores. Author hic negative reſpondet cum Gloſſa in L. *Aſſiduis*, ſeu in L. 12. C. *qui potiores in pignore* ſupra recitatam, quo in loco eadem Gloſſa dubium hoc fuſe proſequitur, & pro parte negante concludit ſcribens -- *Ergo prioribus expreſſas habentibus non ſit præjudicium* --. Sed idem Author in Angelica tum ver. *Reſtitutio ſecundo* num. 16. tum ver. *Dos* num. 11. totus eſt, ut oſtendat privilegium dotis etiam extendi ad priores hypothecas expreſſas, & quod etiam hujuſmodi hypothecariis debeat præterri: addens, quod hic caſus ſaltim eſt dubius, & quod in tacto dubio potior eſt conditio dotis. Non vacat hic minutatim expendere rationes, quibus Author cum aliis nonnullis, puta Cyno, Joanne Andreæ, aliiſque, in Angelica ductus eſt ad id conſtituendum. Unice igitur dicam priorem ſuam ſententiam negantem eſſe communiorem -- *Tum quia*, uti ſcribit Antoine de juſtitia & jure, *creditores anteriores inique per nuptias ſupervenientes privarentur ſuo jure, quod expreſſe pacti fuerant: tum quia fiſcus & dos æquantur in jure, & tamen fiſcus non præfertur hypothecis anterioribus expreſſis L. 8. QUI POTIORES IN PIGNORE, & L. 4. C. eod. tit.* -- Accipe duas hujuſmodi leges. En primam -- *Si pignus ſpecialiter Reſpublica acceperit, dicendum eſt, præferri eam fiſco debere, ſi poſtea fiſco debitor obligatus eſt* --. En ſecundam -- *Si fundum pignori accepiſti, antequam Reipublicæ obligaretur, ſicut prior es tempore, ita potior es jure* --. Egregie qua propter Concina de juſtitia & jure Diſſert. 2. cap. 14. num. 14. -- A dicta regula excipiunt hypothecas privilegiatas, quæ, tametſi tempore fiant poſteriores, aliis non privilegiatis præferri contendunt. Verum quando aliqua bona expreſſa hypotheca gravata ſunt, per poſteriorem hypothecam gravari nequeunt. Quare neque per ſupervenientem hypothecam dotalem infringi poteſt prior hypotheca expreſſa. Auctoritas, quæ ex Codice *qui potiores* L. *Aſſiduis* opponitur, ſolum infert hypothecam dotalem præferendam eſſe hypothecæ generali, & tacitæ, ſecus expreſſæ, & peculiari. Neque enim præſumi ullo modo poteſt, leges ea præcipere, quæ expreſſe pugnant cum naturæ jure. Porro quoties bona ſemel

mel ſunt hypotheca expreſſa & ſpeciali gravata, ſunt veluti alienata: Bona aliena nulla lege valent in dotem aſſignari. Privilegium igitur legis ſolum prælationem dare poteſt, quando nulla mariti bona ſunt peculiari expreſſa hypotheca obligata. Si tamen bona dotalia in ſpecie exiſterent, tum uxores, earumque deſcendentes, præferri omnibus creditoribus, etiam hypothecis expreſſis, & ſpecialibus, deberent --. Hactenus ille. Vide etiam, ſi placet, Lucium Ferraris ver. *Reſtitutio* art. 4. num. 97.

Excipit Author caſum, in quo quis mutuam dedit pecuniam ad aliquid comparandum, vel reficiendum. Super hac re duas habemus leges invicem pugnantes. Una adſerit, quod hic mutuator præferri indiſcriminatim debeat omnibus omnino creditoribus. Ita L. 7. C. *qui potiores in pignore — Licet iiſdem pignoribus multis creditoribus diverſis temporibus datis priores habeantur potiores: tamen cum, cujus pecunia prædium comparatum probatur, quod ei pignori eſſe ſpecialiter obligatum ſtatim convenit, omnibus anteferri juris auctoritate declaratur* —. Adſerit altera, quod idem mutuator præferri non debeat doti mulieris. Ita Novella 97., quæ eſt *de æqualitate dotis* cap. 3. — *Novimus & antiquioribus creditoribus aliquas hypothecas præponere juniores exiſtentes ex privilegiis a legibus datis: quale eſt, quando aliquis propriis pecuniis procuraverit navem comparare, aut fabricare, aut reparare, aut domum forſan ædificare, aut etiam emi agrum, aut aliquid horum. In his enim omnibus priores exiſtunt poſteriores creditores, quorum pecuniis empta, aut renovata res eſt, iis, qui etiam multo antiquiores ſunt. Quæſitum eſt igitur, ſi mulier prætendens privilegium ſuper antiqua dote, & augmentum, in quo etiam ſervatur hoc privilegium, ſicuti prædictum eſt, prioribus voluerit præponi creditoribus: veniat autem & alter creditor poſterior quidem; prætendens autem pecuniis ſuis emptam, aut reparatam navem, aut domum, aut agrum, aut competere, cum in his rebus, quæ ejus pecuniis emptæ, aut reparatæ ſunt, habere prædictum privilegium: utrum oporteat dotem etiam talibus præponi. In aliis quidem prævalere creditoribus, quicumque non talia prætendunt: his autem cedere, quoniam ex eorum ſubſtantia res acquiſita eſt. Plurimum igitur ſuper his cogitantes, non invenimus mulierem juſte exiſtentem cedere alicui tali privilegio.... Volumus igitur ſecundum hoc, ut ſi quis domum renovaſſet, aut etiam agrum emiſſet, non poſſit talia privilegia mulieribus opponere* --. Pugnantiam hanc componit Gloſſa ſuper L. *Aſſiduis* C. *qui potiores in pignore*, & ſignanter ſuper ver. *Licet anterioris -- Item adhuc contra noſtram diſtinctionem eſt, quia mulier præfertur ei, qui reficit navem. Sed ille præfertur creditori habenti expreſſam, ut in Authent. QVO IVRE hic poſita, & ff. eo. L. INTERDVM. Ergo & mulier. Sed dico, quod præfertur reficienti navem, ſi prius ipſe contraxit dotem dando, ut ex corpore ejuſdem Authent. colligitur, & eodem modo præfertur habenti expreſſam, ſi eſt prior. Vel dic, quod præfertur ei, qui dedit ad refectionem, niſi ille expreſſe ad*

illud

illud dederat --. Concinit quod adnotat ead. Gloſſa ſuper Authentica *Quæ jure* C. eod. tit. -- *Sed dic, ſi dedi ad hoc, ut inde res ematur, tunc ſit obligata: vel non, & tunc non, licet ex ea emeris rem* --. Solutio hæc poſtrema, meo ſaltim judicio, priori eſt anteſerenda; & iccirco ſine reſpectu ad creditum prius, vel poſterius, brevibus ſic conſtituo. Si quis expreſſim pecuniam alteri mutuam præſtat, ut ex ea domum comparet, vel reficiat, hic mutuator præfertur mulieri; non præfertur autem, ſi ad hunc effectum ſpeciatim pecuniam non tribuit. Ratio eſt, quia in primo caſu domus comparata, vel reduplicative, ut refecta mutuatoris eſt, non proprie mutuatarii; hujus autem ſolius eſt in ſecundo. Ratio item eſt: quia, dum hic mutuator præfertur, nullum damnum infert mulieri; debitor enim ſine pecunia ad hunc præciſe effectum mutuo accepta, ipſique ad eundem finem præſtita, rem illam non haberet, aut valorem ejuſdem.

Excipit item caſum, in quo pecunia mutua datur ad emendam militiam. Et ſuper hoc textum habemus expreſſum in ead. Novella 97., quæ legitur Collat. 7. tit. 9.; caput enim quartum ejuſdem totum eſt de hac re, & ibi præſcribit conditiones, quibus mutuatio iſthæc debet eſſe munita, ut mulieri præferatur. Ipſum audiamus -- *Quia vero & hujuſmodi quædam additiones nobis factæ ſunt, eo quod quidam aliorum militant pecuniis, & oportet eos, qui in has crediderunt cauſas, præponi: ſancimus, ſi quis crediderit aurum occaſione militiæ, ſive ſtatutum fieri, vel pro aliis quibuſcumque talibus cauſis, & expreſſim hoc ipſum ſcribatur in inſtrumento, & in hoc fiat pactum, ut caſu proveniente prior ſit ſolus, qui ad hoc credidit: & huic ſolo caſui cedere mulierem. Neque facile credendum, neque per teſtes, ſed negotio ex ſcripto geſto, & teſtium habente ſubſcriptiones, & ipſo opere procedente: tunc enim, ſi per omnem hujuſmodi viam cauſa procedat, ſuſpicionem non habeat, & competit contrahentes propriis non privari: aliis omnibus prævalere mulierem ſecundum quod jam a nobis eis datum eſt privilegium.*

Ferraris ver. *Reſtitutio* art. 4. num. 42. & ſeq. nonnullos alios excipit caſus, quos videre poteris apud eundem.

Quarto, veniunt omnes habentes hypothecas tacitas, & quaſi expreſſas, & in iſtis qui prior eſt tempore, potior eſt in jure. Nota, quod hypotheca eſt, quando res obligatur alteri, ſed remanet penes obligantem. quoniam ſi tranſit in poteſtatem creditoris dicitur pignus. Quoad actionem autem nulla eſt differentia inter hypothecam, & pignus. Scire hic debes, quod tacite hypothecata ſunt. Primo,

mo, bona illius, qui dotem promiſit; omnia enim hujus bona ſunt tacite hypothecata pro dote. Secundo, bona mariti ob dotem acceptam, L. 1. C. *de rei uxoriæ actione*. Tertio omnia bona conductoris invecta in prædio urbano pro penſione Domino fundi debita; in prædio vero ruſtico ea ſolum, quæ ſciente Domino invecta ſunt, L. *Certi* C. *de locato*. Quarto, omnia bona tutorum & curatorum pro pupillis, & minoribus, ſi non bene adminiſtraverint, C. *de adminiſtratione tutorum* L. *Pro officio*. Quinto, omnia bona patris pro peculio filii adventitio, L. *Cum oportet* C. *de bonis quæ liberis*. Sexto, omnia bona matris, quæ convolat ad ſecundas nuptias, pro filiis primi mariti, & pro bonis, quæ ab eodem primo marito accepit L. *Hac edictali* §. penultimo C. *de ſecundis nuptiis*. Septimo, bona defuncti pro legitimis, & fideicommiſſis L. 1. C. *Communia de legatis*.

(304) Author ſcribens, quod quarto loco veniunt habentes hypothecas tacitas, ſeu quaſi expreſſas, innuere videtur, quod iſtis creditoribus hypothecariis præferendi ſunt, qui hypothecas habent expreſſas, demptis tamen uxore, & fiſco, qui ſpeciali privilegio gaudent ſuper hac re, & præferuntur hypothecariis poſterioribus etiam expreſſis, ſicuti jam oſtenſum eſt ſupra. Reipſa ita idem docuit in Angelica ver. *Reſtitutio ſecundo* num. 16. inquiens — *Poſt prædictos veniunt omnes habentes expreſſas hypothecas, & poſteriores, & poſt ipſos habentes tacitas hypothecas* —. Ratio hujus eſſe poteſt: quia hypothecarius expreſſus rem quandam habet individuam ſibi ſpecialiter obligatam, quod non verificatur de hypothecario tacito, qui ſibi obligata habet omnia bona debitoris. Scias tamen hic volo, quod hypothecarius expreſſus, ſi duntaxat habeat ſcripturam privatam, nec tribus teſtibus fide dignis, nec contrahentium ſubſcriptione munitam, is, tametſi anterior, præferri non debet, ſed poſtponi hypothecariis expreſſis vel inſtrumento publico munitis, vel ſcriptura trium teſtium, & contrahentium ſubſcriptione firmata. Textus eſt expreſſus C. *qui potiores in pignore* L. 11. -- *Sin autem jus pignoris, vel hypothecæ ex hujuſmodi inſtrumentis vindicare quis ſibi contenderit: eum, qui inſtrumentis publice confectis nititur, præponi decernimus, etiamſi poſterior is contineatur: niſi forte probatæ, atque integræ opinionis trium, vel amplius virorum ſubſcriptiones eiſdem ideochiris contineantur: tunc enim quaſi publice confecta accipiuntur* --. Hæc tamen dicta ſint in jure communi: quoniam pene omnia jura munici-

palia

palia conſtituunt fidem non eſſe habendam privatis hiſce ſcripturis, ne via ſternatur innumeris fraudibus, quæ fieri poſſent, ſi privatæ hujuſmodi ſcripturæ plenum in jure conſequerentur effectum.

Omnibus igitur omnino paribus generalis pro creditoribus hypothecariis regula eſt, quod qui prior eſt tempore, potior ſit in jure. Ratio eſſe poteſt: quia obligatio poſterior non poteſt tollere jus jam alteri acquiſitum per obligationem anteriorem; immo in ea hæc conditio ſubauditur, ſi ſine damno prioris creditoris poterit ex eadem re omnibus ſatisfieri.

Quinto, veniunt deponentes, ſi depoſitum non extat amplius, L. *Si hominem* §. 2. ff. *Depoſiti*. Hoc tamen privilegio non gaudent, qui ſub nomine depoſiti mutuant ad uſuram, ut in dicta L. *Si hominem* §. *Quoties*. Hypotheca ideo eſt potior: quia pertinet ad rem ipſam, ff. *de pactis* L. *Reſcriptum*.

(305) In favorem hujuſmodi deponentium textus eſt apertus in L. & §. ab Authore indicatis -- *Quoties foro cedunt nummularii, ſolet primo loco ratio haberi depoſitariorum: hoc eſt eorum, qui depoſitas pecunias habuerunt, non quas fœnore apud nummularios, vel cum nummulariis, vel per ipſos exercebant. Et ante privilegia igitur, ſi bona venierint, depoſitariorum ratio habetur: dummodo eorum, qui vel poſtea uſuras acceperunt, ratio non habeatur, quaſi renunciaverint depoſito* --. Hiſce deponentibus hujuſmodi privilegium conceſſum fuit -- *Propter frequentiam contractuum depoſitorum*, ut monet S. Bernardinus To. 1. ſerm. 39. art. 3. cap. 3. Sed quia nonnulli ſub pallio depoſiti obtegebant mutuationes nummulariis factas ad uſuram; iccirco conſulto eadem lege ſancitur, quod hujuſmodi mutuatores non gaudeant hoc privilegio deponentium.

Quid, ſi plures ſint hujuſmodi deponentes? Servandus ne ordo eſt in reſtitutione & ſolutione, ut prius ſolvatur primo deponenti, & poſtmodum aliis ſervato ordine depoſitionis? Minime gentium. Ita conſtituitur eadem lege §. proxime ſequenti, tertio nempe & ultimo -- *Item quæritur, utrum ordo ſpectetur eorum, qui depoſuerunt: an vero ſimul omnium depoſitariorum ratio habeatur? Et conſtat, ſimul admittendos: hoc enim Reſcripto principali ſignificatur.*

Sexto, veniunt ſimplices privilegiarii, ii nempe, qui habent privilegia perſonalia, non realia.

(306) Hi vocantur creditores perſonales, quia deſtituti omni hypotheca ſive generali, ſive ſpeciali, actionem tantum habent in perſonam. Ex his alii ſunt privilegiati, alii non, & primi anteponi debent ſecundis. Inter privilegiatos perſonales numeratur Princeps, ſi creditor ſit, vel Reſpublica, textu expreſſo ff. *de rebus auctoritate Judicis poſſidendis* L. 38. §. 1. — *Reſpublica creditrix omnibus chirographariis creditoribus præfertur* —. Item ſponſa tradens dotem ante matrimonium, matrimonio non ſecuto; creditum enim dotis non fit hypothecarium niſi poſt ſecutum matrimonium. De hoc perſpicue ff. eod. tit. L. 17. §. 1. — *Si ſponſa dedit dotem, & nuptiis renunciatum eſt: tametſi ipſa dotem condicit, tamen æquum eſt, hanc ad privilegium admitti, licet nullum matrimonium contractum ſit. Idem puto dicendum, etiamſi minor duodecim annis in domum quaſi uxor deducta ſit, licet uxor nondum ſit* —. Item ille, qui dedit pecuniam, ut debitor ſolveret creditori privilegiato, textu pariter aperto ff. eod. tit. L. 24. §. 3. — *Eorum ratio prior eſt creditorum, quorum pecunia ad creditores privilegiarios pervenit. Perveniſſe autem quemadmodum accipimus? Utrum ſi ſtatim profecta eſt ab inferioribus ad privilegiarios? An vero, etſi per debitoris perſonam: hoc eſt ſi ante ei numerata ſit, & ſic debitoris facta creditori privilegiario numerata eſt? Quod quidem poteſt benigne dici, ſi modo non poſt aliquod intervallum id factum ſit* —. Item pupillus contra debitorem ex amicitia gerentem ipſius negotia, ſicuti ſcriptum eſt ff. eod. tit. L. 23. — *Si negotium impuberis aliquis ex officio amicitiæ gesserit, debet bonis ejus venditis, privilegium pupillo conſervari: & ita accepi* —. Supple *a præceptoribus*, ut ibidem adjicit Gloſſa.

Septimo, veniunt omnes chirographarii pro rata, non autem attenta prioritate contractuum: quia licitum eſt debitori propter cumulum creditorum facere deteriorem cauſam creditorum priorum, non vero eorum, qui habent dominium, hypothecam, vel privilegium, L. 1. §. *Ex contrario* ff. *de ſeparationibus*. Ratio eſt, quia in creditoribus chirographariis non attenditur tempus, quod notabile eſt, & memoriæ commendandum.

(307) Chirographum eſt, cum duo paciſcentes duas ſcripturas ſub eadem forma verborum inter ſe conficiunt, & mutuo ſibi tradunt: vel dicitur inſtrumentum, ſeu illa litera, in qua debitor confitetur ſe eſſe obligatum creditori. Ita Vocabularium utriuſque juris ver. *Chirographum*. Chirographarii igitur ſimplices, de quibus hic ſermo, cenſentur illi, qui quidem ſcriptura, ſeu inſtrumento ſunt muniti, quo probatur eos vere eſſe credi-

creditores; ſed a lege nullum habent privilegium reale, quod ſolis competit hypothecariis, nec perſonale, quod convenit ſolis perſonis privilegiatis, de quibus ſupra. Quod inter hos Chirographarios non debeat attendi prioritas crediti, & contractus, conſtans eſt aſſertio plurium, & præſertim S. Bernardini, & S. Antonini locis ſupra memoratis. Probari id poteſt ex L. 6. C. *de bonis auctoritate Judicis poſſidendis*, quam jam protuli Annotat. 300., & quam iterum hic proferre juvat -- *Pro debito creditores addici ſibi bona ſui debitoris, non jure poſtulant. Unde, ſi quidem debitoris tui cæteri creditores pignori res acceperunt, potiores eos, quam te chirographarium creditorem haberi, non ambigitur. Quod ſi ſpecialiter, vel generaliter nemini probentur obligatæ, ac ſine ſucceſſore communis debitor, vel ejus hæres deceſſit: non dominii rerum vindicatione, ſed poſſeſſione bonorum, itemque venditione, æquali portione, pro rata debiti quantitate omnibus creditoribus conſuli poteſt* --. Itemque ex L. 32. ff. *de rebus auctoritate Judicis poſſidendis* -- *Privilegia non ex tempore æſtimantur, ſed ex cauſa: & ſi ejuſdem tituli fuerunt, concurrunt, licet diverſitates temporis in his fuerint*.

Non deſunt tamen benemulti ſecus opinantes, quos videre potes apud Ferraris ver. *Reſtitutio* art. 4. num. 66., quoſque ſequitur Concina de juſtitia & jure Diſſert. 2. cap. 18. num. 18.; tametſi ingenue fateatur, Regulam juris -- *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure* -- latam expreſſe fuiſſe pro creditoribus hypothecariis, non autem pro ſimplicibus Chirographariis, de quibus hic ſermo. Ratio ipſius eſt hæc -- *Quandoquidem qui priores ſunt, jus acquirunt in debitorem, quod per poſterius infringi, aut attenuari minime valet. Et quamquam hoc prius jus perſonam ipſam immediate ſpectet, tamen ad ipſa bona indirecte extenditur. Neque perſona ipſa in ſervitutem venditur; ſed obligat ſe debitor ad ſolvendum mediis bonis ſuis* --. Rationem hanc ſuam tanti facit Concina, ut velit ſententiam adverſantem nec eſſe probabilem: quam tamen libere poſt ipſum ſecutus eſt Fulg. Cuniliati ejuſdem Inſtituti vir, & in eodem cum Concina Cœnobio ſcribens. En hujus verba de 7. Dec. præc. cap. 5. §. 17. n. 5. -- *Inter creditores perſonales titulo oneroſo nulla datur prælatio, ſive debitum fuerit ex contractu, ſive ex delicto. Igitur pro rata tum facultatum debitoris, cum rationis debitorum proportione geometrica ſingulis eſt ſatisfaciendum, ſi debitor non ſit ſufficiens ſolvere totum omnibus. Et reſpectu horum non vales Regula illa* -- *Prior ordine, prior jure, quæ tantum valet reſpectu hypothecariorum* --. Certo certius eſt, quod creditor Chirographarius, tametſi prior, immediatum duntaxat jus habet in perſonam debitoris, & nonniſi mediatum in bona ipſius. Certo certius eſt, quod hoc jus mediatum in bona debitoris nullam rem determinatam reſpicit, ſed unice jus eſt genericum, quod creditor habet ad creditum petendum, & exigendum. Certo denique certius eſt, quod debitor jam gravatus uno vel altero hujuſmodi

modi debito, nullam injuriam priori creditori infert, ſi poſthac oneretur aliis debitis ejuſdem indolis, quum tunc ſupponatur potens ad ſatisfaciendum omnibus ex integro, quamvis poſtmodum reddatur impotens. Hæc ſunt præcipua rationum momenta, quibus fulcitur ſententia contendens inter hujuſmodi creditores non eſſe attendendam aliquam crediti, contractus, & temporis prioritatem. Selige tu benigne Lector eam, quæ tibi & legibus & rationi videbitur eſſe magis conformis.

Hæc omnia vera credo: niſi per ſtatutum municipale aliud caveatur, quia tunc ſtandum eſt ipſi, ſi expreſſam non continet iniquitatem.

(308) Prudentiſſimum ſane monitum quod & S. Antonini eſt part. 2. tit. 2. cap. 7. §. 3. ſcribentis -- *Verum ubi lex municipalis, ſeu ſtatutum Civitatis aliter diſponeret, illi eſt ſtandum etiam in foro conſcientiæ, ſi non ſit expreſſe contra Deum, quod non de facili judicandum eſt: quia nemo arbitrandus eſt immemor divini timoris, & ſuæ ſalutis, 1. q. 7. SANCIMUS: niſi evidenter appareat contrarium. Unde in aliquibus Civitatibus, ut Florentiæ, fallente mercatore per Syndicos inſtitutos a Communitate ſuper hujuſmodi, ubi non ſufficiunt bona mercatoris fallentis ad plene reſtituendum omnibus, ſatisfit unicuique pro rata ſecundum facultatem bonorum illius, & non prius uni quam alteri, niſi aliquibus perſonis privilegiatis in hoc, ut in mulieribus pro dotibus rehabendis, & hujuſmodi, quibus plene ſatisfit antequam cuiquam aliorum.*

Super hac re ita ſancitum lego in Conſtitutionibus Victorii Amedei Regis Sardiniæ lib. 2. tit. 17. cap. 6. num. 10. 11. -- *Seguendo il fallimento, o ſia bancarotta di qualche mercante, o banchiere, s'intenderanno ipſo jure & facto confuſe le ragioni di que' creditori, che d'or in avvenire contratteranno in qualſivoglia modo col mercante, o banchiere, e dovrà farſi un' egual diſtribuzione del fondo, che ſi troverà appreſſo il fallito a rata, e proporzione del loro credito, ſenza che poſſa averſi riguardo all' anteriorità, o ipoteca d'alcuno. Eccettuiamo però i creditori per iſpeſe d'ultima infermità, o per fitti di caſa, o per prezzo della vendita di ſtabili, o per danaro impreſtato, e convertito ſi nell' acquiſto di eſſi, che nella neceſſaria conſervazione de' beni del fallito. I primi ſaranno preferiti a tutti, i ſecondi ſopra i mobili e merci, che ſi troveranno eſiſtenti nelle caſe, e magazeni, e per il fitto di un' anno ſolamente: e gli altri ſopra i beni riſpettivamente venduti, acquiſtati, o conſervati.*

Municipales hujuſmodi leges obligare etiam in foro conſcientiæ docte probat Antoine de juſt. & jure p. 2. c. 5. q. 5. *in fine*: & quia omnis lex rectæ rationi conſentanea, quæ non nititur falſa præſumptione, obligat in con-

conſcientia, cum ſit actus efficax, & abſolutus poteſtatis obligativæ: & quia nemo habet jus diſponendi de bonis ſuis niſi ſecundum leges, & cum dependentia a ſuprema poteſtate, quæ habet jus altum in bona privatorum relate ad bonum commune, quod eſt finis omnium legum.

QUARTUM DUBIUM. Utrum ſolvere debens & legatariis, & creditoribus, & non valens omnibus ſatisfacere, præponere debeat legatarios?

Reſpondeo, quod, ſi debita contracta ſunt per eum qui fecit legata, tunc non debet, nec poteſt præponere legatarios, ſed prius debet ſolvere creditoribus, ſive hi ſint ex contractu, vel quaſi, ſive ex maleficio vel quaſi. Si vero legata facta ſunt per eum, cujus eſt hæres, & debita per eum, qui hæres eſt, tunc hæres prius ſolvet legata: quia bona defuncti ſunt tacite hypothecata pro legatis, & fideicommiſſis, ſicuti dictum eſt Dubio præcedenti.

(309) Generatim loquendo veriſſima eſt doctrina quam tradit S. Bernardinus To. 1. ſerm. 39. art. 3. cap. 2. -- *In reſtitutione autem talium aliqua prius reſtituenda ſunt: nam prius reſtitui debent quæcumque certa debita, quam quæcumque ad pias cauſas relicta, atque donata. Cujus ratio eſt, quia donatio, & legatorum ad pias cauſas largitio ſunt ex ſupererogationis conſilio, vel ſunt forte bona incerta: reſtitutio autem male ablatorum, ſeu aliorum debitorum certorum ſunt ex obligationis præcepto: prius enim reſtitui debent ſecundum neceſſitatem præcepti, quam quæ ſunt ſupererogationis conſilii.... Idem quoque ait Willelmus, & addit, quod ſi hæres credit, vel ſcit hæreditatem ultra debita non extendi, ſive ex contractu, vel quaſi, ſive ex maleficio vel quaſi, nihil legatariis debet dare* --. Ratio invicta eſſe poteſt: quia quod creditoribus debetur proprie non eſt debitoris, ſed vere æs alienum eſt creditoribus jure debitum. Atqui de alieno non poteſt quis legitime diſponere, nec Deus acceptat ſacrificia ex rapinis oblata. In caſu igitur, in quo tota hæreditas exhauritur a debitis, legata non ſubſiſtunt, quum fieri debeant de proprio, non de alieno, & iccirco ſolvi nec poſſunt, nec debent.

Ad doctrinam Authoris nunc deſcendo. Eundem caſum ipſe exhibet in Angelica ver. *Reſtitutio ſecundo* num. 17., & iiſdem pene verbis reſpondet. Ut percipiatur ipſius doctrina, exponendum prius eſt, quid Author intelligat per illa verba *per eum*, an ſcilicet idem redoleant ac *propter eum*, vel idem ſint ac *ab eo*. Propter eum, qui eſt hæres, debita eſſent con-

contracta, ſi teſtator ea contraxiſſet, vel ad filium ſuum in ſtudiis alendum, vel ad debita ſolvenda facta a filio, vel ſi fidejuſſiſſet pro alio, quem poſtea conſtitueret hæredem, & ob inopiam, aut decoctum argentum illius, pro quo fidejuſſit, ipſe coactus eſſet ſolvere. Sed nemo non videt quod in hiſce caſibus, aliiſve ſimilibus debita facta ſunt propria teſtatoris, quo poſito ſemper debent legatis in ſolutione præponi. Senſus igitur eorum verborum is eſſe debet, quod *per eum* idem ſignificet ac *ab eo*: & in hac acceptatione in hunc modum efformari poteſt caſus. Petrus ſcripſit hæredem ſuum Paulum, & hæreditatem ſuam gravavit legatis, quarta tamen ipſius parte relicta Paulo hæredi, huic debita per legem Falcidiam, diſt. 2. cap. 6. — *Sub eodem quoque Imperatore (Octaviano) Falcidius Tribunus Plebis legem fecit, ne quis plus extraneis in teſtamento legaret, quam ut quarta pars ſupereſſet hæredibus, ex cujus nomine lex Falcidia nuncupata eſt* —. Paulus hæres ſcriptus gravatus eſt aliunde debitis benemultis ab ipſomet contractis vel ante, vel poſt conſecutam hæreditatem: quæ debita tot, tantaque ſunt, ut hæreditas Petri, ſeu Petri patrimonium non ſufficiat ad ſolutionem tum legatorum, quæ fecit Petrus, tum debitorum, quæ Paulus ipſe contraxit. Inquiritur ergo, an Paulus omnibus prædictis ſatisfacere non valens poſſit prius ſolvere debita propria, vel ante omnia teneatur ſatisfacere ex integro legatis, etſi inde ſequatur, quod reddatur impotens ad ſolutionem omnium debitorum ſuorum? Sicuti nullum dubium, ſi debita contracta fuiſſent a Petro teſtatore, quod Paulus hæres teneretur exſolvere ante quæcumque legata, ſicuti cum S. Bernardino demonſtravimus, & Author ipſe in prima parte reſponſionis adſeruit: ita nullum dubium, quod, dum debita propria ſunt Pauli hæredis, debet hic prius ſatisfacere legatariis. Onus hoc eſt onus hæreditatis. Onus debitorum non eſt hæreditatis, ſed Pauli hæredis. Solvat ergo quod pertinet ad hæreditatem; & ſi inde ſequatur, quod impotens fiat ad ſolvenda omnia debita propria ſibi imputet; ob ipſius enim vitium, & diſſipationem immutari non debet mens teſtatoris, nec legatarii fraudari debent eo, quod ipſis fuit legitime relictum. Pro onere hæreditatis bona omnia teſtatoris obligata ſunt, & tacitæ hypothecæ ſubjecta, L. 1. C. *Communia de legatis* — *Cum enim jam hoc jure noſtro increbuit, licere teſtatori hypothecam rerum ſuarum in teſtamento quibus voluerit dare, & iterum novellæ Conſtitutiones in multis caſibus & tacitas hypothecas introduxerunt: non abs re eſt, etiam nos in præſenti caſu hypothecariam donare actionem, quæ etiam nullo verbo præcedente poſſit ab ipſa lege induci. Si enim teſtator ideo legata vel fideicommiſſa reliquit, ut omni modo perſonæ ab eo honoratæ ea percipiant: apparet, ex ejus voluntate etiam præfatas actiones contra res teſtatoris eſſe inſtituendas, ut omnibus modis voluntati ejus ſatisfiat, & præcipue cum talia ſint legata, vel fideicommiſſa, quæ piis actibus ſunt deputata* —. Pro onere proprio Pauli, qui poſtmodum factus eſt hæ-

res,

res, bona teſtatoris omnia obligata non ſunt, ſed ad ſummum quarta pars hæreditatis eidem tamquam hæredi debita. Solvat ergo onera hæreditatis, ad quæ ſolvenda hæreditas ſupponitur ultro ſufficiens: &, ſi quarta pars ipſi per leges adſignata non eſt amplius ſatis ad ſolvenda propria debita, ſibi ipſi imputet, ut dixi: nam hoc culpa ſua evenit, non culpa teſtatoris, aut hæreditatis.

QUINTUM DUBIUM. Utrum non ſervans ordinem in præcedentibus Dubiis expoſitum, ſed indifferenter ſolvens primo petentibus, teneatur in conſcientia ad reſtitutionem?

Reſpondent Doctores, quod ſic, niſi credat hæreditatem poſſe ſufficere ad ſolvenda omnia, vel niſi ſciret hunc creditorem eſſe alio potiorem. Concordat Hoſtienſis. Sed Monaldus tit. *Reſtitutio octavo* dicit, quod, ſi ſine dolo & fraude ſolvit cuilibet venienti, ſive legatario, ſive creditori, excuſatur in conſcientia. Hanc opinionem credo veriorem utpote magis piam, præſertim quando non craſſe, neque ſupine ignoravit hunc ordinem. Secus tamen, ſi laboravit ignorantia craſſa, vel ſupina: quia tunc ſibi ipſi imputari debet, & iccirco non liberatur ab onere reſtitutionis.

(310) Hanc eandem opinionem obſignavit S.Bernardinus To.1. ſerm.39. art.3. cap.2. in fine inquiens — *Si vero hunc ordinem mutaverit hæres, primo ſcilicet ſolvendo legatariis, ſecundo ſecundis creditoribus prinſquam prioribus, in foro conſcientiæ minime liberatur, niſi hoc faciat ignoranter, reputans ſcilicet hæreditatem ſufficere ad omnia ſolvenda, vel neſciens hunc creditorem eſſe potiorem* —. Egregia eſt ſuper hac re doctrina, quam tradit Gabr. Antoine de juſt. & jure p.2. c.5. q.7. Eam igitur exſcribo — An prius petenti liceat prius ſolvere. Reſp. 1. Non licet creditori prius petenti ſolvere cum damno ejus, qui habet hypothecam priorem, vel privilegium: quia huic fieret injuria, cum habeat jus prælationis. Unde ſolvens tenetur ei de damno, & ipſe poteſt recuperare ab alio creditore id, quod ſolutum eſt, L.22. C. *de jure deliberandi*. Qui ſi ſolutionem petiit, vel accepit, ſciens jus aliorum, peccavit contra juſtitiam, & tenetur ante ſententiam Judicis reſtituere aliis creditoribus privilegiatis. Quia fecit illis injuriam damnoſam: nam petendo induxit debitorem ad damnum injuſtum inferendum creditoribus hypothecatis, & ſolutionem recipiendo cooperatus

eſt injuſtæ damnificationi illorum. Reſp. 2. Si unus ex creditoribus perſonalibus non privilegiatis exigat in Judicio ſolutionem debiti ante alios non habentes jus prælationis, tenetur debitor ei integre ſolvere, etiamſi tempore eſſet poſterior. Quia lex, & ſententia Judicis dat ei jus prælationis ob diligentiam, quam adhibuit ante cæteros, L. 6. & 24. ff. *quæ in fraudem creditorum*. Dixi in judicio. Nam ſi extra judicium petat, controvertitur. Aſſerunt Sylveſter, Navarrus, Leſſius, & alii: quia diligentia poſterioris creditoris petentis facit eum potiorem, & quia in L. 24. citata dicitur, non poſſe revocari id, quod ſolutum eſt uni creditori debitum exigenti, nulla facta mentione judicii: & hæc ratio additur, quia vigilando meliorem ſuam conditionem fecit. Alii cum Delugo negant: quia ſola petitio privata ſine ſententia judicis non poteſt dare jus uni in detrimentum aliorum æquale jus habentium, & leges ſupradictas intelligunt de petitione in judicio, accedente ſententia Judicis. Sed ſi debitor non valens ſolvere omnibus creditoribus, ſolverit uni creditori non habenti jus prælationis, an hic teneatur reſtituere alteri creditori habenti tale jus? Reſp. affirmative. Quia accipiendo ſolutionem impedit alterum a recipienda ſolutione ſibi prius jure debita, & ſic facit ei injuriam damnoſam. Et tunc violatur non ſolum ordo, ſed etiam ſubſtantia reſtitutionis: nam quod uni ex juſtitia debitum eſt, ſolvitur alteri. Deinde accipiens cooperatur dationi injuſtæ, & damnoſæ alteri, ſeu damnificationi injuſtæ creditoris, cui hæc pecunia prius debetur, & detrahitur. Quænam enim major cooperatio dationi injuſtæ eſſe poteſt, quam acceptio, quæ illam perficit, & complet, & ſine qua nullum parit damnum? Sed qui cooperatur actioni injuſtæ, & damnoſæ, tenetur ad reſtitutionem. Ita Azorius, Delugo, & alii — Hactenus ille.

Sextum Dubium. Utrum reſtitutio incertorum debeat fieri in loco, in quo datum eſt damnum?

Reſpondeo, quod non de neceſſitate: quia jura ſimpliciter dicunt, quod fiat erogatio in pauperes, cap. *Cum tu* Extra *de uſuris*, & cap. *Sicut dignum* Extra *de homicidio*. Nec obſtat cap. 1. *de raptoribus*: quia ibi ſciebatur perſona, cui reſtitutio erat facienda. De conſilio tamen eſt, quod fiat in loco, in quo datum eſt damnum. Concordant Butrius, & Panormitanus in dict. cap. *Cum tu*, & Federicus Conſilio 23.

(311) Optima eſt ratio, quam lego penes S. Antoninum part. 2. tit. 2. cap. 3. in principio — *Unde & Magiſter Ugo peritus in utroque jure, &* *Fra-*

Digitized by Google

Frater Clarus dicebant, quod cum pauperes ſint unum membrum in corpore Eccleſiæ, nec ab hac unitate ſequeſtrentur propter locorum diſtantiam, ſufficit, ſi reſtitutio incertorum detur quibuſcumque pauperibus etiam alterius Provinciæ, quam ubi facta eſt rapina, vel damnum, & maxime qui ſunt magis pauperes Chriſti, & utiliores Eccleſiæ Dei, & ſaluti animarum. Et ex hoc apparet, quod locus non eſt de neceſſitate reſtitutionis, ſed de congruentia –. Placet tamen incertum ab incerto diſtinguere cum S. Bernardino To. 1. ſerm. 40. art. 1. cap. 3. ſcribente – Quæri poteſt, an debita incerta quoad perſonas, ſeu hæredes earum, non autem quoad loca ipſorum, unde fuerunt rapta, vel aliter habita, debeant pauperibus dari, ſeu Eccleſiis, aut Monaſteriis, ſive aliis piis cauſis, ſolum in illis locis? Et dicendum, quod triplex poteſt eſſe incertum. Primum dicitur commune, ſecundum criminale, tertium vero particulare. Primum autem dicitur commune, nam ſi res raptæ erant communitatis illius loci, quodammodo perſona ſcitur: quia talis Communitas gerit vicem quaſi perſonæ certæ. Ex hoc autem patet, quod falſificantes monetas, ſeu groſſiores nummos a debilioribus eligentes, ut eos fundant, aut plus fuſoribus, vel campſoribus vendant, Reipublicæ ſatisfacere obligantur damnum, quod inde evenit ei. Si autem neſcitur, quod inde Communitas ſit damnificata, pauperibus erogandum eſt pro communi bono, aut divino cultui mancipandum. Tales autem falſarii dici poſſunt, & tamquam falſarii puniendi ſunt. Secundum autem incertum dicitur criminale: quia ſi res raptæ ad ſingulos regulariter ſpectabant, & pertinebant ſic, quod omnes, vel major pars loci illius fuerunt damnificati, ſicut in excidio, & compilatione totius Civitatis, vel majoris partis, & conſimilium: Si non reperiantur perſonæ, quarum res illæ fuerunt, adhuc Communitati reſtitui debent: nam Communitas conſiſtit in toto, vel in parte majori, ac per talem diſcretum modum res juſtius reſtitui poteſt. Tertium vero incertum dicitur particulare: nam ſi tale incertum ſic ad ſingulos ſpectabat, quod reſtituendo Communitati, quaſi aut nihil, aut modicum ipſis prodeſſe præſumitur, aut eorum hæredibus: tunc licet ſit congruum dari pauperibus, in piis cauſis in loco illo pro ſalute illorum, non tamen eſt neceſſarium, ubi æque bene, aut melius, & certius dari poteſt alibi pro ſalute illorum: quin potius ſi dum alibi datur, plus animabus illorum prodeſt, melius eſt alibi, quam in illius loco proprio dare: licet quidam aliter dicant –. Hactenus S. Bernardinus.

TERTIUS ARTICULUS, qui eſt de auctoritate faciendi reſtitutionem, continet in ſe tres quæſtiones, ſeu tria Dubia.

PRIMUM DUBIUM. Utrum filiifamilias, & alii, qui alienare non poſſunt, de quibus dictum eſt tit. 21. Dubio 1., debeant, & poſſint propria auctoritate aliena reſtituere, quæ rapuerunt, vel indebite habuerunt?

Reſpondet Monaldus tit. *Reſtitutio*, quod ſi res rapta adhuc habetur in ſpecie, tunc reſtituere eam poſſunt, & debent, etiam invito patre, marito, & alio quocumque. Idem dicas volo, ſi quis de pecunia rapta Eccleſiæ, aut perſonæ privilegiatæ, puta pupillo, militi, & hujuſmodi, quis emat aliquid, & emptum extet: in hoc enim caſu reſtitui poteſt, & debet, etiam invito & contradicente quocumque ſub quo quis eſt, & vivit. Si autem raptum non amplius extat, ſed tamen fuit converſum in propriam utilitatem, quia cum pecunia rapta filiusfamilias induit ſe ſecundum convenientiam ſui ſtatus, aut emit frumentum pro ſuſtentatione ſui, & ſuorum: reſtituere tunc poteſt raptum etiam contradicente patre, ſi filius, vel marito, ſi uxor, nec de neceſſitate tenetur aliquam licentiam petere. Fallit hoc in Religioſo ſubdito, ſi Prælatus contradicat, cui ſubditus tenetur obedire; non enim poteſt ſubditus reſtituere Prælato contradicente. In hoc tamen caſu ſubditus excuſatur, ſed non Prælatus, ſtatim atque raptum converſum fuit in utilitatem ſubditi. Quod ſi res rapta conſumpta fuit in ludis, vanitatibus, aliiſve ſimilibus, tunc filius non poteſt ſatisfacere ſine licentia patris, nec uxor ſine licentia mariti, quia ſatisfaceret de alieno. Secus tamen dicas,

Digitized by Google

cas, ſi filius, & uxor haberent aliquid proprium, puta haberet filius caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, haberet uxor paraphernalia: quia tunc abſque aliqua licentia poſſent, & deberent reſtituere, nam reſtituerent de proprio.

(312) Non eſt opus hic longa Annotatione; Author enim adeo perbene diſtinxit caſus, & modos, quibus id poteſt contingere, nihil ut magis. Præſertim quum ex jam ſupra ſæpenumero dictis, & annotatis omnia ſponte fluant, & clareſcant.

Secundum Dubium. Utrum ille, qui talia patravit, propter quæ multa tenetur tamquam incerta pauperibus reſtituere, poſſit hoc exequi ſine alterius auctoritate?

Reſpondet Archidiaconus in cap. 2. *de teſtamentis* quod ſic, ſcilicet ſine alterius auctoritate, ut colligitur ex cap. *Cum tu* Extra *de uſuris* §. 1., & *de homicidio* cap. *ſicut dignum* §. *Eos* in Gloſſa, & cap. *Tua* Extra *de teſtamentis*, & 14. q. 5. cap. penult., & ultimo, & 24. q. 3. cap. *Si quis*, quæ jura communiter dicunt, quod obligatus ad reſtitutionem debet reſtituere: nec obſtat cap. *Cum ſit* Extra *de Judæis*: quia loquitur de Judæo, de quo præſumitur, quod non recte diſpenſaret; & iccirco dicitur, quod fiat auctoritate Epiſcopi: quæ ratio ceſſat in Chriſtiano. Concordat Joannes Monachus in cap. *Quamquam* Lib. Sexto, & Panormitanus in dicto cap. *Cum ſit*, & Dominus Simon de favilla Auditor dictus Portuenſis, & Dominus Guido de Abaſio Archidiaconus Bononienſis in cap. 1. 14. q. 1., & Gloſſa in cap. *Quoniam* Extra *de uſuris*. Innocentius in cap. *Quia plerique* Extra *de immunitate Eccleſiarum* dicit, quod debeat fieri auctoritate Confeſſoris. Raymundus vero dicit, quod fiat auctoritate Epiſcopi, vel Pœnitentiarii, vel Cappellani, in cujus Diœceſi talia patrata ſunt, 87. diſt. cap. *Divinæ*, 88. diſt. cap. *Epiſcopus* ultimo, 12. q. 2. cap. *Conceſſo*, 6. q. 3. cap. finali, & *de raptoribus* cap. 1. Scotus autem

autem in 4. diſt. 15. q. 2. tenet, quod ipſe, qui debet reſtituere, reſtituat, & erit magis ſecurus; conſilium tamen habeat vel Confeſſoris, vel alicujus bonæ perſonæ: & iſta eſt verior opinio. Opinio enim Innocentii, & Raymundi, & ſimilium intelligi debet de bene eſſe, & non quod de neceſſitate debeat intervenire auctoritas Confeſſoris, vel Epiſcopi, ſed duntaxat de conſilio, ut incerta bene diſpenſentur. Nec jura adducta pro ipſis dicunt, quod non fiat reſtitutio ſine auctoritate Epiſcopi, ſed unice quod Epiſcopi provideant pauperibus de reditibus quantum poſſunt. Caput primum *de raptoribus*, & cap. finale *6.* q. *3.* dicunt, quod poſſunt excommunicari raptores ab alieno Epiſcopo. Alia quædam capitula inveniuntur, in quibus dicitur, quod Epiſcopus procurare debet, quod hujuſmodi diſtributiones fiant in pias cauſas, ut cap. *Tua nobis* Extra *de teſtamentis*. Ergo, ſi reſtitutio recte fiat, non oportet, quod ipſi aliud procurent.

(313) En verba Scoti loco indicato §. *De quarto*, cujus opinionem Author adamavit — *Si quæras, per manus cujus debet reddi pauperibus? Reſpondeo: non inveni, quis neceſſario determinatus ſit mediator in diſtribuendo iſta pauperibus. Dicit unus Doctor, quod Confeſſor, vel aliquis, de cujus fidelitate credat. Videtur mihi, quod per ſeipſum, conſilio tamen alicujus boni viri, poteſt illud diſtribuere pauperibus: quia tali mediatori poſſet dare, ut reſtitueret, de cujus fidelitate præſumeret, & tamen iſte ſibi ipſi applicaret, vel aliis uſibus, quam deberet. Unde ubi lex divina, vel Eccleſiaſtica non ligat perſonam, ſequenda eſt ratio naturalis. Illa autem dictat magis, quod perſona, quæ tenetur, reſtituat pauperibus per ſe ipſam, quam per aliam, licet non excludendo conſilium alterius boni viri, ſed includendo* —. Idem videtur opinari S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. -- *Dicendum, quod ſi ille, cui debet fieri reſtitutio, ſit omnino ignotus, debet homo reſtituere ſecundum quod poteſt, ſcilicet dando in eleemoſynas pro ſalute ipſius, ſive ſit mortuus, ſive ſit vivus, præmiſſa tamen diligenti inquiſitione de perſona ejus, cui eſt reſtitutio facienda* —. Fuſius tamen Author ipſe in Angelica ver. *Reſtitutio ſecundo* num. 14., S. Bernardinus To. 1. ſerm. 37. art. 3. cap. 4. per totum, & S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 4. ſub initio. Hujus poſtremi duntaxat verba profero, qui in omnibus convenit cum Authore, S. Bernar-

nardino, aliiſque compluribus -- Quæritur ergo, utrum diſpenſatio incertorum debeat fieri per eum, qui habet reſtituere, vel alium, cui commiſerit, aut ſolum per Diœceſanum? Reſponſio. Circa hoc ſunt variæ opiniones, & contrariæ. Hoſtienſis ſuper cap. *Cum tu* Extra *de uſuris*, & in cap. *Cum ſit* Extra *de Judæis*, & in Summa ſua *de pœnitentiis* §. finali juxta finem, tenet, quod unus de caſibus pertinentibus ad Epiſcopum eſt reſtitutio male ablatorum incertorum. Quod etiam tenet Joannes Andreæ *de pœnitentiis & remiſſionibus* cap. *Si Epiſcopus* lib. 6. in Gloſſa, & de regulis juris *Peccatum* lib. 6. Ad quod videtur facere quod habetur 12. q. 1. *Præcipimus*. Adducit etiam aliquos, qui tenent hanc rationem. Cum hujuſmodi bona incerta ſint pro animabus eorum, quorum fuerunt, fideliter diſpenſanda, ac per conſequens eo ipſo ſint ad divinum cultum, & ſubventionem pauperum ordinata: ſolus autem Eccleſiaſticus Prælatus ſit rector, & moderator divini cultus, & pater pauperum, & diſpenſator rerum divino cultui ordinatarum, ut patet 87. dist. cap. *Divinæ*, & in multis aliis capitibus: ideo ſecundum judicium ejus incerta debita per eum diſpenſanda ſunt. Archidiaconus autem in quadam quæſtione diſputata per eum in Roſa. 14. q. 5. *Non ſane*, tenet contrarium. Et dicit ſententiam Hoſtienſis ſcilicet circa hoc, ſupradictam eſſe veram in caſu, ubi nullus deputatus eſt a teſtatore, qui hoc exequatur 12. q. 2. *De laicis*. Ubi vero certa perſona deputata eſt a teſtatore, illa perſona debet exequi, ut in prædicto cap. *De laicis*, & Extra *de teſtamentis* cap. *Tua nobis*. Immo credo, quod ipſe raptor incerta, quæ debentur pauperibus erogari, poteſt ipſa erogare pauperibus abſque licentia, & auctoritate Epiſcopi, vel alterius Judicis Eccleſiaſtici, ut ſatis colligitur Extra *de uſuris* cap. *Cum tu*. Et hoc etiam clare innuit Gloſſa Extra *de homicidio* cap. *Sicut dignum* §. *Ets*. Nec obſtat illa Decretalis Extra *de Judæis*, *Cum ſit*, per quam probat Hoſtienſis ſuam opinionem. Nam illa Decretalis loquitur de Judæo, non de Chriſtiano, cujus actus, vel diſpenſatio merito habetur ſuſpecta ab Eccleſia quoad Chriſtianos. Ideo juſte, & bene dicit ibi ſecundum providentiam Diœceſani, quæ ſuſpicio ceſſat in Chriſtiano: & ſic non dubito, quòd Epiſcopus non habet ſe intromittere de talibus. Hæc Archidiaconus. Joannes de Lignano idem ſentit, & adducit hanc rationem. Qui indebitum extorſit obligatus eſt ex maleficio vel quaſi illis, quibus extorſit, ſi extant; alias paupribus. Et regula habet, quod debitor poteſt per ſolutionem ſe liberare, Inſtitut. *Quibus modis tollitur obligatio* per totum. Tu, qui dicis contrarium, da mihi caſum expreſſum contra Regulam. Nec eſt verum, quod ſit in dicto cap. *Cum ſit*: quia non loquitur in Chriſtiano, ſed in Judæo, ut dicit Archidiaconus. Hanc opinionem ſequuntur Paulus, & Geminianus in Clementina *de privilegiis*. Hoc etiam conſuluerunt Joannes Calderinus, & Rucupertus. Sed & Dominus Hugo utriuſque juris peritus, & Frater Clarus, ut habetur in quadam Summula, concordave-

runt

Digitized by Google

runt in hoc, quod nullum jus expreſſum hoc dicit, nec in Decretis, nec alibi, niſi quod Epiſcopus eſt procurator pauperum. Illud vero adaptatur, quod poteſt procurare de ſuo proprio, ſi habet, vel de bonis Eccleſiæ, ideſt fructibus, vel aliis modis. Sed quia Sacerdotes ſimplices ſunt imperiti pro majori parte, Epiſcopi vero reputantur ſufficientes; hinc inolevit, quod hujuſmodi reſtitutiones remittantur ad Epiſcopos. Unde ſi Confeſſor peritus ſit, & ſciat in hoc ſufficienter conſulere, non eſt neceſſe remittere ad Epiſcopos. Hæc ibi. Hujus autem ſententiæ eſt Joannes Monachus. Hoc etiam innuit Innocentius Extra *de immunitate Eccleſiarum* cap. *Quia plerique*. Arguitur 24. q. 3. cap. *Si quis Romipetas*. Ad rationem autem ſuperius inductam pro alia opinione poſſet reſponderi, quod quamvis Epiſcopi, & Prælati ſint diſpenſatores rerum datarum Eccleſiis; non tamen ſequitur, quod ſint diſpenſatores omnium, quæ ſecundum Deum ſunt in divinum cultum, & in pauperes eroganda, ſed ſolum in divinum cultum jam ordinata, ut reditus Eccleſiarum, & hujuſmodi. Nam ſi eſſent diſpenſatores erogandorum omnium, ſecundum hoc eſſent diſpenſatores omnium ſuperfluorum, quæ divites ex divino præcepto deberent pauperibus erogare, quod a nullo conceditur. Sed & B. Thomas 2. 2. q. 62. dicit, quod ſi ille, cui fieri debet reſtitutio, omnino ignotus eſt, debet reſtitui ei, ſicut poteſt, ſcilicet dando in eleemoſynas pro ſalute ejus ſive ſit mortuus, ſive vivus, præmiſſa tamen diligenti inquiſitione ejus. Et de auctoritate Epiſcopi nihil dicit. Scotus in 4. diſt. 15. dicit: Si quæras, per cujus manus debeant talia, ſcilicet incerta diſpenſari. Reſpon. quod non invenio quis neceſſario ſit determinatus mediator in iſta pauperibus diſpenſanda; videtur autem mihi, quod per ſe ipſum, conſilio tamen boni viri poteſt pauperibus erogare hæc: quia tali mediatori ad diſpenſandum tribui poſſet, de cujus fidelitate præſumeret, & tamen ſibi appropiaret, vel in alios uſus converteret quam deberet. Unde ubi lex divina vel Eccleſiaſtica non ligat, ſequenda eſt ratio naturalis. Illa autem dictat, quod qui tenetur reſtituere magis hoc faciat per ſe, quam per alios, non excludendo tamen per hoc conſilium boni viri, ſed includendo. Hæc Scotus. Quidam alii faciunt circa hoc diſtinctionem, ut videlicet quantum eorum, in quibus competit repetitio, ut furto, rapina, uſura, fraude, & hujuſmodi, diſpenſatio incertorum pertineat ad Epiſcopum; ſed aliorum, ubi non competit repetitio, etſi erogatio facienda ſit pauperibus, ut in ludo, in injuſte acceptis a Judice pro judicando, vel a teſte pro teſtimonio, in meretricio, & hujuſmodi, quilibet per ſe poteſt diſpenſare, vel de conſilio Confeſſoris. Ego credo ſententiam, & opinionem Archidiaconi, & ſequentium omnino veram, & ſimpliciter, excepto uno caſu, videlicet in incertis publicorum uſurariorum, quem caſum non dubito, omnes alios excepiſſe intendere: quia ibi expreſſe, & clare jus providit, ut ſcilicet per diſpenſationem Diœceſani talia incerta determinentur, & diſpenſentur, ut Extra

de

Digitized by Google

de uſuris, *Quamquam* lib. 6., ubi traditur forma de hujuſmodi, de qua habes ſupra tit. 1. cap. 9. In hoc ergo caſu tantum poteſt intelligi quod dicitur per tertiam opinionem, ſcilicet in uſuris publicis incertis --. Hactenus S. Antoninus.

Hæc in jure. Vide etiam, ſi placet, Panormitanum in cap. *Cum ſit* Extra *de Judæis*, in quo totus eſt, ut componat invicem pugnantes opiniones Hoſtienſis, & Archidiaconi; in hanc tamen poſtremam inclinans ſcribendo -- *Dicerem, quod diſpenſatio male ablatorum debeat fieri per eum, qui tenetur reſtituere, vel per eum, de quo ſibi providit, ſeu ſecundum conſilium, & providentiam Epiſcopi, & ſic ſalvantur omnes opiniones, & vitantur abſurditates*.

Cæterum, ſi alicubi eſſet in more poſitum, quod hæc diſtributio fieret ab Epiſcopo, arbitrarer, quod ſtandum foret conſuetudini: quia, etſi jura id ipſi duntaxat expreſſe concedant in nonnullis caſibus particularibus, non vetant tamen, quod in aliis etiam caſibus id fiat ab Epiſcopo, qui aliunde eſt pater pauperum nemine contradicente.

Tertium Dubium. Utrum hæres ſimiliter poſſit auctoritate ſua reſtituere incerta, ad quæ tenebatur ille, cujus eſt hæres?

Reſpondet Archidiaconus ubi ſupra, quod ſic, ſcilicet, quod non requiritur alia auctoritas niſi pro conſilio, ut dictum eſt. Facit cap. *De laicis* 12. q. 2., & C. *De Epiſcopis & Clericis* L. *Nulli*, & dict. cap. *Tua nobis*, & cap. *Joannes* ibid., & in Authent. *de Eccleſiaſticis titulis* (Collat. 9. tit. 14.) cap. *Si quis*: & eſt textus planus in cap. *Cum tu* Extra *de uſuris*, ibi, *pauperibus erogare*: & concordant Joannes & Vincentius in cap. *Cum ſit* Extra *de Judæis* in Gloſſa. Nec requiritur, quod teſtator dixerit: conſtituo te, ut reſtituas incerta, vel hujuſmodi; ſed ſufficit, quod ſit conſtitutus hæres, quia ſtatim intelligitur conſtitutus ad hoc, dict. cap. *Tua nobis*, & *de teſtamentis* cap. *Religioſus* in fine lib. 6.; neque Epiſcopus prohibere poteſt, ne talia reſtituat; immo reſtituere poteſt etiam Epiſcopo contradicente, ut colligitur ex dictis capitibus *Tua*, & *Religioſus*. Concordat Petrus Caſuel tit. *Reſtitutio*. Nota tamen,

men, quod in tribus caſibus ſecundum Archidiaconum poteſt Epiſcopus ſe intromittere, dum agitur de reſtitutione incertorum. Primus, quando nullus eſt executor talium reſtituendorum, vel nullus vult reſtituere, & agitur in judicio contra ipſos. Secundus, quando reſtituens male reſtitueret: puta dando incerta amicis ſuis non indigentibus. Tertius, quando talia incerta ſunt uſurariorum manifeſtorum; in hoc enim caſu pertinet ad Epiſcopum ea diſtribuere.

(314) In hoc caſu reſtitutio incertorum habet vim cujuſdam legati ad pias cauſas, ut egregie probat Panormitanus loco proxime indicato. Non debet ergo Epiſcopus ſe in ea immiſcere, tametſi inibi ſtatutum eſſet, quod incerta diſpenſarentur ab Epiſcopo, ut oſtendit Panormitanus ibidem. Ratio eſt: quia, ut ſcribit Gloſſa in cap. *Tua nobis* Extra *de teſtamentis — Relicta ad pias cauſas per Diœceſanum Epiſcopum debent executioni mandari, ſi illi, quibus hoc commiſſum fuerat, non adimpleverint —*. Ita & non aliter mirifica conſenſione conſtituunt jus Canonicum, & Civile. *Tua nobis* (ait Greg. IX. Extra *de teſtamentis* cap. 17.) *fraternitas intimavit, quod nonnulli tam Religioſi, quam Clerici ſeculares, & laici, pecuniam & alia bona, quæ per manus eorum ex teſtamentis decedentium debent in uſus pios expendi, non dubitant aliis uſibus applicare. Cum igitur in omnibus piis voluntatibus ſit per locorum Epiſcopos providendum, ut ſecundum defuncti voluntatem univerſa procedant, licet etiam a teſtatoribus id contingeret interdici: mandamus, quatenus executores teſtamentorum hujuſmodi, ut bona ipſa fideliter & plenarie in uſus prædictos expendant, monitione prævia compellas —. Joannes Clericus* (Idem Greg. ibi cap. 19.) *& P. Laicus, executores ultimæ voluntatis O. Clerici Sanctæ Crucis, qui venerabilibus & piis locis de bonis ſuis in ultima voluntate legavit, mandans inſuper ſatisfieri creditoribus per eoſdem, poſt mandatum ſuſceptum per Diœceſanum cogi debent teſtatoris explere ultimam voluntatem —*. Clarius Authent. *de Eccleſiaſticis titulis* cap. 11. — *Si quis autem pro redemptione captivorum, aut alimentis pauperum hæreditatem, aut legatum reliquerit in rebus mobilibus, aut immobilibus, ſive ſemel, ſive annale: & hoc modis omnibus ſecundum teſtatoris voluntatem ab iis, quibus juſſum eſt hoc facere, compleri ..... Si autem qui hoc facere juſſi ſunt, ſemel & ſecundo a beatiſſimo locorum Epiſcopo, aut ejus OEconomis per publicas perſonas admoniti diſtulerint, quæ diſpoſita ſunt, adimplere: jubemus eos omne lucrum relictum eis ab eo, qui hoc præceperit, amittere: & locorum Epiſcopos omnes res cunctis, ſicut dictum eſt, piis cauſis diſtributas, cum fructibus & augmentis medii temporis, & memorato lucro vindicare: & quæ teſtator diſpoſuit adimple-*

plere--. Concinit caput immediate ſequens -- *Si autem hæres, quæ ad pias cauſas relicta ſunt, non impleverit, dicens relictam ſibi ſubſtantiam non ſufficere ad iſta: præcipimus omni falcidia vacante, quidquid invenitur in tali ſubſtantia proficere proviſione ſanctiſſimi locorum Epiſcopi, ad cauſas, quibus relictum eſt*--. Æquum id eſt quam quod maxime; quum enim pia teſtatoris voluntas omni modo ſit adimplenda, ſi illi, ad quos ſpectat, id exequi renuant, vel negligant, æquitas poſtulat, ut ad id præſtandum compellantur ab aliquo Superiore: qui dubio procul in hoc caſu eſt Epiſcopus, quum agatur de rebus pertinentibus ad pietatem, quam Epiſcopus ex officio præ cæteris ſervare debet, & confovere -- *Divinæ retributionis memor* (ait Gelaſius ſcribens Honorio Epiſcopo 87. diſt. cap. 4.) *ad Pontificalem conſcientiam non ambigas pertinere, egentium commodis piam ſollicitudinem non negare*.

TErtia Conſideratio, & ultima declarat, quando reſtitutio fieri debeat.

Circa tertiam, & ultimam Conſiderationem, ſcilicet quando reſtitutio fieri debeat, triplex adducetur Articulus. Primus erit de temporis determinatione. Secundus de prorogationis diſcuſſione: tertius de reſtitutionis relaxatione,

Primus, inquam, Articulus erit de temporis determinatione, ſcilicet qua hora, & quo tempore: pro cujus declaratione quatuor quæruntur.

Primum Dubium. Utrum ſtatim quis teneatur reſtituere alienum?

Reſpondeo, quod ſic. Patet hoc per cap. *ſæpe contingit* Extra *de reſtitutione ſpoliatorum* in textu, & in Gloſſa, & etiam per rationes Theologorum, quas brevitatis cauſa omitto. Nota hic, quod quis toties mortaliter peccat, quo-

quoties ſcit, ſe debere reſtituere, & poteſt, & tamen non vult. Probari hoc poteſt ex ratione, quæ producitur in dict. cap. *Sæpe contingit*. Dicit tamen Monaldus tit. *Reſtitutio quarto*, quod multum intereſt inter tenere alienum ex vitioſo contractu, ex maleficio vel quaſi, & ipſum tenere ex contractu non vitioſo: quia in primo caſu quis tenetur ſtatim reſtituere etiam cum damno rei ſuæ; in ſecundo autem tenetur ſolum quam citius commode poterit.

(315) Generatim loquendo ita profecto eſt, ut uno ore fatentur S. Thomas, & Scotus. En verba S. Thomæ 2. 2. q. 62. art. 8. — *Dicendum, quod ſicut accipere rem alienam eſt peccatum contra juſtitiam, ita etiam detinere eam: quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam invito Domino, impedit eum ab uſu rei ſuæ, & ſic ei facit injuriam. Manifeſtum eſt autem, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere ſecundum illud Eccleſ. 21. — QUASI A FACIE COLUBRI FUGE PECCATUM —: & ideo quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt, vel petere dilationem ab eo, qui poteſt uſum rei concedere* —. En verba Scoti in 4. diſt. 15. q. 2. §. *De quarto* — *Dico quod non licet aliquo tempore detinere alienum invito Domino, ideſt nolente, & ſecundum rectam rationem nolle debente. Et per conſequens regulariter reſtitutio eſt ſtatim facienda, ſicut ſtatim ceſſandum eſt ab actu cujuſcumque peccati mortalis, non tantum exteriori, ſed interiori* —. Ratio eſt: quia, uti ſcribit S. Thomas ibid. ad primum — *Præceptum de reſtitutione facienda quamvis ſecundum formam ſit affirmativum, implicat tamen in ſe negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere* —. Jure iccirco docet Scotus ſub initio §. nunc indicati — *Sicut auferre alienum eſt peccatum mortale contra præceptum divinum negativum: NON FURTUM FACIES: ita & tenere alienum. Et ideo ſicut neceſſarium eſt ſervare præcepta negativa: ita neceſſarium eſt non tenere alienum Domino invito; & per conſequens vel actu ſtatim reddere, vel ſaltem velle reddere, cum fuerit opportunitas* —. Dixi generatim loquendo: non enim deſunt complures caſus, in quibus reſtitutio differri poteſt, & debet, quin Dominus cenſeatur rationabiliter invitus. Horum nonnullos jam protuli cum S. Bernardino prope finem Annotationis 287., & alios etiam perpaucos proferam cum Authore Articulo proxime ſequenti. Veriſſima ſiquidem eſt doctrina, quam tradit Scotus §. jam memorato — *Sed in caſibus quandoque licet differre reſtitutionem exteriorem, poſita tamen jam interiori, ſcilicet voluntate reſtituendi cum occurrerent circumſtantiæ opportunæ. Illi autem caſus univerſaliter continentur ſub hac maxima: Licet detinere rem alienam, quando ille, cujus eſt, debet*

velle

velle eam rationabiliter detineri. Sed in quibuſdam caſibus hoc debet velle aliquis etiam rationabiliter, ſcilicet rem ſuam detineri ab alio de facto, poſita jam reſtituendi voluntate cum circumſtantiis opportunis. Ergo.

Subdit Author, eum toties mortaliter peccare, qui ſcit, & animadvertit ſe debere reſtituere, & inſimul poteſt, ſed tamen non vult. Hujus doctrinæ ratio eſſe poteſt, quam adfert Inno. III. cap. *Sæpe contingit* ab Authore laudato — *Eo quod non multum interſit, quoad periculum animæ, injuſte detinere, aut invadere alienum* —. Qui ſic detinet alienum, quoties id conſiderat, nec reſtituit, cum poteſt, toties injuriam facit vero Domino. Injuriam vero Domino facere peccatum eſt. Toties igitur de novo peccat. Et quum hæc ſit circumſtantia aggravans, & notabiliter aggravans; arbitror iccirco cum Gennetto de 7. Decal. præc. c. 4. q. 4. eam eſſe in confeſſione aperiendam.

Diſtinguit Author cum Monaldo inter eum, qui detinet alienum ex injuſta acquiſitione, & eum qui idem detinet ex contractu alioqui juſto. Idipſum præſtitit S. Bernardinus To. 1. ſerm. 38. art. 1. cap. 1. & 2. Eundem igitur audiamus — Primum autem notabile de acquiſitis injuſte tale eſt: quod debita acquiſita ex impio lucro mox pro poſſe ſolvenda ſunt. Hujuſmodi enim ſunt rapinæ, furta, uſuræ, Simoniæ, & conſimilia. De hoc enim poteſt triplex ratio dari. Prima quidem reſpectu Dei, ſecunda reſpectu proximi, tertia reſpectu ſui. Prima, autem ratio eſt reſpectu Dei, qui ſcilicet hoc præcipit. Secundum enim Thomam, Alexandrum Lombardum, & Scotum licet affirmativa præcepta Dei non obligent ad ſemper, tamen ad hoc obligant præcepta negativa. Quamvis etiam præceptum de reſtitutione facienda ſecundum formam videatur affirmativum, tamen ſecundum veritatem implicat negativum, quo quis prohibetur detinere alienum. Et ideo ſecundum Scotum, ſicut auferre alienum eſt contra præceptum Domini negativum: *Non furtum facies*; ita & tenere alienum. Et ideo ſicut neceſſarium eſt ſervare negativa præcepta, ita neceſſarium eſt non tenere aliena Domino ſuo invito: & per conſequens vel actu ſtatim reddere, vel ſtatim reddere velle, cum fuerit opportunum. Secunda ratio eſt reſpectu proximi, quia ſecundum Alexandrum Lombarbum eadem injuria eſt, & rem alienam invito Domino retinere, ſicut eam invito Domino auferre, Extra *de reſtitutione ſpoliatorum* cap. *ſæpe*, ubi Gloſſa inquit, quod jura reputant pro eodem auferre, & detinere injuſte. Arguitur ad hoc 15. q. 3. *de crimine*. Tertia ratio eſt reſpectu ſui, nam ſecundum Scotum ubi ſupra, ut hominem vere pœnitere poſſit, ſtatim ceſſandum eſt ab actu cujuſcumque mortalis culpæ, non tantum exteriori, ſed etiam interiori, juxta illud Eccleſ. 21. — *quaſi a facie colubri fuge peccatum* —. Aliter ſecundum Auguſtinum extra de Regulis Juris lib. 6. in Regula, peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum &c. Tenetur autem homo ſe ponere in tali ſtatu juxta poſſe, quod ſibi remitta-

mittatur peccatum. Unde ſicut tenens adulteram non eſt capax pœnitentiæ, ſed irriſor; & ſi talis ad pœnitentiam venit, peccatum peccato addit ſecundum Scotum ubi ſupra: ſic & detinens alienum voluntarie, & de facto, pœnitentiæ non eſt capax. Hinc 14. q. 6. cap. *Si res* Auguſtinus ad Macedonium ait: *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur*. Et in fine capitis addit: nolentes autem reddere, quos novimus & male abſtuliſſe, & unde reddatur habere, arguimus, obteſtamur, increpamus, quoſdam clam, quoſdam palam, ſicut diverſitas perſonarum diverſam videtur poſſe, & velle medicinam accipere. Ratio etiam prædictorum eſt, quia qui habet de impie acquiſitis, & reſtituere non vult, cum poſſit, ſemper augmentat peccatum. Secundum notabile eſt de acquiſitis juſte, in quibus quidem reſtituendis attendendæ ſunt circumſtantiæ contractuum, vel pactorum, aut intervenientium juramentorum præfigentium certum tempus. In talibus enim non ſic ſtricte debitor obligatur, uſque ad neceſſitatem extremam, ſeu mox omnibus ſe expoliare, vendendo centum pro viginti quinque, vel decem, ſicut obligatur in primis. Nam ſecundum Scotum ubi ſupra, ubi reſtitutio nimis notabiliter eſt damnoſa, non tenetur homo ad ſtatim reſtituendum, ſed ſufficit, quod ſaltem affectu reſtituat ſtatim. Ratio hujus eſt: quia non eſt præſumendum, quod benignitas juris, & æquitatis impie velit interpretari, ac nimium dure, mutui, vel emptionis contractus, & conſimilium negotiorum, quæ pro utilitate mutuum recipientis, aut pro utriuſque contrahentis communi commoditate ordinata ſunt. Si autem objiciatur, quod reſtituere eſt actus negativi præcepti, in non tenendo ſcilicet alienum, & ad obſervationem negativi præcepti ſemper & ad ſemper quilibet obligatur, ſicut ſuperius eſt dictum: dicendum, quod ad hoc reſpondebitur in fine ſequentis capitis ſecundum Scotum. (hoc Scoti reſponſum vide in fine Annotationis 287., ubi ex integro protuli hoc caput ſequens S. Bernardini) In his tamen regulariter tenendum eſt, quod par neceſſitas, vel damnificatio creditoris pari, vel minori neceſſitati, ſeu damnificationi debitoris ſemper præferenda eſt. Hoc enim dictat, atque exigit beneficii, & gratitudinis ratio, quæ quidem benefico, ſeu benefactori debetur, & etiam dictat hoc æquitas, qua utique juſtum eſt ex ſuis & ſibi debitis Dominum potius, atque prius ſuſtentari, quam alium ex eiſdem —. Hactenus S. Bernardinus.

Secundum Dubium. Utrum potens reſtituere poſſit abſolvi antequam reſtituat?

Reſpondeo, quod non, 14. q. 6. cap. *Si res aliena*. Excipe caſum, in quo quis dolet, quod non reſtituit quampri-

primum potuit, & proponit reſtituere quamprimum poterit: in hoc enim caſu, ſi alias non decepit, poteſt abſolvi; ſi autem alias decepit, abſolvi non debet, ſed compellatur ad reſtituendum prius.

(316) Jam annotatione proxime præced. cum S. Bernardino protuli & cap. *Si res aliena*, & egregiam, ſuper hac re doctrinam Scoti in 4. diſt. 15. q. 2. §. *De quarto*. Nihilo tamen minus utrumque iterum audire non pigeat -- *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur* --. Ita Aug. in eo cap. *Si quis teneret fornicariam, vel magis adulteram, reſtituere eam viro ſuo non eſt niſi ceſſare a peccato, vel a transgreſſione hujus præcepti: NON MOECHABERIS, & iſtud præcedit omnem partem pœnitentiæ acceptæ. Et ideo ſicut tenens adulteram non eſt capax pœnitentiæ, ſed irriſor, & ſi talis veniat ad pœnitentiam, addit peccatum peccato: ita detinens alienum & voluntate & facto; dum talis eſt, non eſt capax alicujus partis pœnitentiæ*. Ita Scotus loco nunc memorato. Uterque detinet alienum, unus mulierem alterius, alter alterius pecuniam, vel rem. Neuter igitur eſt diſpoſitus ad abſolutionem in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam; & ideo merito Rituale Romanum de Sacram. Pœnitentiæ Confeſſarium alloquens -- *Nec abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces, quales ſunt..... qui aliena, ſi poſſunt, reſtituere nolunt* --. Et Card. Grimaldi Archiepiſcopus Aquenſis in ſua Praxi ab Innoc. XI. confirmata -- *Tertio, cum pœnitens injuſte detinet bona aliena, aut cum fortunæ bonis, famæque proximi damnum aliquod intulerit, id reparare non curat, nec vult reſtituere, aut ſatisfacere, ſive penitus, ſive partim ſecundum facultatem ſuam, ei deneganda eſt abſolutio* --. Experientia ſiquidem teſte, ſi contingat, quod Confeſſarius aut per inadvertentiam, aut per negligentiam, aut propter aliam cauſam, hiſce detinentibus abſolutionem conferat, antequam vere reſtituant: vix aut ne vix quidem manum admovent reſtitutioni, ſed ut in pluribus ſola data promiſſione reſtituendi ſeneſcunt. Nollem tamen credas in omni quocumque caſu negandam eſſe abſolutionem pœnitenti, niſi prius cum effectu reſtituat alienum, quando id ab ipſo poteſt fieri. Non vitupero Confeſſarios ita ſe gerentes, quia reipſa tutiorem partem eligunt. Si tamen ageretur de pœnitente alias diſpoſito, qui prima vice promitteret ſe cum primum poterit, vel ſtatim reſtituturum, de cujus fidelitate nullus eſſet dubitandi locus: vituperare non auderem Confeſſarium, qui tali pœnitenti crederet, eidemque ante reſtitutionem cum effectu ſecutam abſolutionem impertiret. Secus tamen conſtituo, ſi idem pœnitens alias in confeſſione promiſiſſet reſtitutionem, nec eam executioni mandaſſet. Huic certe etiam quibuſcumque verbis promittenti credere amplius non debet Confeſſarius, ſed

eidem

Digitized by Google

eidem neganda abſolutio eſt, vel faltem differenda, donec vere reſtituat: ut optime Author tum hic, tum in Angelica ver. *Reſtitutio tertio* num. 1., cui concinit Card. Cibo in Synodo Veliterna an. 1678. in ſua Italica inſtructione, quæ ad præſens quod ſpectat, ſic poteſt latine reddi -- *Illis negabitur abſolutio, qui ad reſtitutionem tenentur, niſi illam ſe facturos promittant; quod ſi alias reſtituere promiſerint ſine effectu ſecuto, differatur eis abſolutio, donec integre ſatisfecerint* --. Concinit item Thomas de Vio, Card. ſcilicet Cajetanus in ſua Summula ver. *Reſtitutio* cap. 6. -- *Et ne præceptum hoc de ſtatim reſtituendo confitentes & Confeſſores reos ſimul involvat, non ſunt abſolvendi pœnitentes, antequam eum effectu reſtituant, ſi in alia confeſſione abſoluti neglexerunt reſtituere. Dicentibus enim, hac vice Pater, reſtituam vere &c., reſponderi debet, credo tibi, & propterea modo in illa bona diſpoſitione vade ad reſtituendum, & poſtea abſolveris. Debet enim Confeſſor credere pœnitenti pro ſe, & contra ſe; ſed tamen cum hoc debet etiam cavere, ne mora pariat delictum, ſicut alias peperit* --. Egregie de hac eadem re S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 8. ultra medium -- Cum multa ergo prudentia hoc negotium agendum eſt. Cum efficaciter videntur facere quod poſſunt ad reſtituendum, & in aliis ſe bene habere, & cum timore Dei, credo, quod poſſunt abſolvi, & communicari. Qui autem de eo, quod poſſunt, ſemper procraſtinant, & annuatim reperiuntur promittere Confeſſori reſtituere, & poſtea non faciunt, non videtur abſolvendi, niſi prius faciant, vel diſponant efficaciter negotium, ut habeat executionem: & multo minus ei permitti debet communio ſumi, quantum dico ſpectat ad conſilium Confeſſoris. Nam quantum ad Sacerdotem, qui habet communicare, cum ille ſe in manifeſto ingerit, ad hoc quid juris, habes intra in 3. part. --. Hactenus S. Archiepiſcopus.

Tertium Dubium. Utrum manifeſtus uſurarius poſſit recipi ad confeſſionem, non facta prius cautione?

Reſpondeo, quod non, ut dixi tit. 4. Dubio 20. Item nec raptor, ut dixi tit. 5. Dubio ultimo.

(317) Adverſus manifeſtos uſurarios totum eſt cap. *Quamquam* Extra *de uſuris* lib. 6., quod eſt Greg. X. & contra manifeſtos raptores totum pariter cap. *Super eo* Extra *de raptoribus*, quod eſt Eugenii III. Hujuſmodi Decretales ex integro protuli, ediſſerens Dubia, quæ Author appellat. Eas igitur potes inibi recolere.

Quartum Dubium. Utrum ille, qui non vult reſtituere cum poſſit, ſed hæredibus ſuis imponit, ut reſtituant, ſatisfaciat obligationi ſuæ?

 Re-

Reſpondeo, quod non, ſed moritur in ſtatu damnationis, ſi ſic decedit. Si autem hoc imponeret, quia per hæredes ſuos melius poteſt fieri reſtitutio, paratus tamen eandem facere per ſe ipſum, ſi ita bene poſſet fieri: tunc credo, quod ſatisfaceret conſcientiæ ſuæ, imponendo hæredibus reſtitutionem.

(318) Egregie ſuper hac re S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 8. circa medium -- Quæritur enim, utrum potenti reſtituere male ablata ſtatim, ſufficiat ad ſalutem relinquere in teſtamento, quod hæredes reſtituant? Reſpondet ad hoc ipſe Joannes de Neapoli, quod hoc ſufficit in duobus caſibus tantum. Primus eſt, quando habens male ablata, credit vere, & pro certo, quod talis retentio non ſit contra voluntatem Domini. Talis enim retentio non eſt injurioſa, ſeu injuſta: nullus enim patitur injuſtitiam volens, ut dicitur in quinto Ethicorum. Secundus caſus eſt, quando talis retentio rei alienæ eſt contra voluntatem Domini, ſed inordinatam: puta cum non redditur gladius furioſo, cum repetit ipſum in furia; hoc enim juſte fit, ut 22. q. 2. *Ne quis*. Et ſimiliter hoc eſt, quando aliquis vult rem ſuam ſtatim habere, quam retinens non poteſt dare ſine notabili damno ſuo, & e contrario ille, cujus eſt, poteſt ſine damno ſuo, & incommodo carere ad tempus. Extra iſtos caſus non ſufficit ad ſalutem, niſi ſtatim reſtituat. Ratio eſt: quia de neceſſitate ſalutis eſt vitare peccatum mortale. Sed non ſolum auferre alienum, ſed etiam retinere extra prædictos caſus, eſt mortale: quia contra juſtitiam, cum faciat injuriam proximo, & hoc, cum poteſt reſtituere. Unde non ſufficit ad ſalutem tali relinquere per teſtamentum, quod hæres reſtituat, ſed de neceſſitate ſalutis eſt ſtatim reſtituere, ſi poteſt. Sed ſi ille, cujus eſt res, ſeu cui obligatur, non poteſt illa re carere ſine incommodo ſuo etiam ad tempus, tunc oportet, quod reſtituat etiam cum magno incommodo ſuo, nec ſufficeret dimittere per teſtamentum --. Hactenus S. Antoninus.

Hic certe abſolvi non poteſt a Confeſſario, quia ſine juſta ratione vult differre reſtitutionem uſque ad mortem, quam hic & nunc poſſet facere, ſi vellet: quia inſuper ſic operando propoſitum non habet relinquendi peccatum, ſed conſulto in peccato perſeverat, novumque peccatum committit contra juſtitiam.

Hic itidem tenetur ad omnia damna, quæ ob reſtitutionem injuſte, & data opera dilatam creditori obveniunt; ſciens enim & volens, vera is eſt & propria ipſorum cauſa.

Hic igitur in ſtatu damnationis eſt, ſi ſic vivit, & ſi ſic moritur, in ſtatu damnationis ex hac vita diſcedit, tametſi poſt obitum ipſius hæres

ſcri-

Digitized by Google

ſcriptus aliena omnia reſtituat. Dixi, ſi ſic moritur; non enim inficior, quod vere pœnitere poſſit etiam in morte, agnoſcere tunc, confiteri, & execrari impium vitæ ſuæ propoſitum, nihilque intentatum relinquere, ut in illis extremis, quantum in ſe eſt, creditorem omnino reddat indemnem. Ad rem iccirco 26. q. 6. cap. 12. — *Si Presbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum: quia Dominus dicit — Quacumque die converſus fuerit peccator, vita vivet, & non morietur —. Vera enim confeſſio in ultimo tempore eſſe poteſt, quia Dominus non ſolum temporis, ſed etiam cordis inſpector eſt: ſicut latro unius momenti pœnitentia meruit eſſe in Paradiſo in hora ultima confeſſionis —.* Ingenue tamen fateor, rem hanc eſſe perdifficilem, & pœnitentiam eo tempore vehementer eſſe ſuſpectam: qui, ut egregie *de pœnitentia* diſt. 7. cap. 2. — *Si quis poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit: & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus, quod bene hinc exit. Si ſecurus hinc exierit, ego neſcio: pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem autem dare non poſſumus. Nunquid dico, damnabitur? Sed non dico, liberabitur. Vis ergo a dubio liberari? Vis, quod incertum eſt, evadere? Age pœnitentiam dum ſanus es. Si ſic agis, dico tibi, quod ſecurus es: quia pœnitentiam egiſti eo tempore, quo & peccare potuiſti. Si autem vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.*

Caſus, quem Author excipit poſt Riccardum in 4. diſt. 15. q. 5. art. 5., non vacat periculo; quilibet enim detinens reſpondere poſſet, quod reſtitutio melius fiat per hæredem ſuum, quam per ſeipſum, & hoc pallio injuſtam obtegere retentionem, propriam obtegere turpitudinem. Quod reſtitutio melius fiat per unum, quam per alterum, non eſt de ſubſtantia reſtitutionis. De ſubſtantia tamen reſtitutionis eſt, quod reſtitutio ſimpliciter fiat. Si igitur ſimpliciter fieri poſſet a detentore, & melius duntaxat ab hærede, detentor certe teneretur ad promptam reſtitutionem, nec poſſet eam tuta conſcientia poſt mortem ſuam hæredi faciendam committere.

Secundus Articulus eſt de prorogationis diſcuſſione, ſuper quo quatuor ſunt quærenda.

Primum Dubium. Utrum ille, qui non poteſt reſtituere ſine damno animæ ſuæ, vel aliorum, puta perjurii, & hujuſmodi, aut ſine damno corporis, vel famæ, teneatur ſtatim reſtituere?

Reſpondeo, quod non; immo debet expectare, donec prædicta pericula ceſſent: quia ordine caritatis anima, & corpus, & fama debent præponi rebus temporalibus. Concordat Scotus in 4. diſt. 15., & arguitur ad hoc Extra *de pœnitentiis & remiſſionibus* cap. *Officii*. Verum hoc credo dempto caſu, in quo ille, cui debet reſtitui, eſſet in extrema neceſſitate: nam tunc ſalus corporalis illius, qui debet reſtituere, non debet præponi ſaluti corporali proximi, cui debetur ſuum.

(319) Optima eſt ratio, quam adſert Scotus loco citato q. 2. §. *De quarto* -- *Debet* (ſcilicet creditor) *etiam velle non fieri reſtitutionem tunc, quando eſſet in diffamationem reſtituentis: quia debet magis velle famam proximi, quam illud modicum commodum ſuum ſtatim* --. Fuſius S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 8. -- Idem videtur dicendum, cum ex ſubita reſtitutione ille, qui reſtitueret rem ablatam per furtum, vel aliud vitium, detegeretur, & inde infamaretur: cum fama ſit quid nobilius quam ſubſtantia temporalis; unde gravius reputatur peccatum detractionis, quam furtum cæteris paribus, ſecundum Thomam 2. 2. q. 73., & 6. q. 1. *Deteriores*. Cum ergo quilibet debeat providere conſervationi famæ ſuæ, ut arguitur 12. q. 1. *Nolo*, poteſt talis differre reſtitutionem uſque ad tempus, quo non deprehendatur in crimine, & diffametur, ſi aliter provideri non poteſt.... Alius caſus eſt, quando ex hujuſmodi reſtitutione ſubita ſequi poſſet mors ſpiritualis, ſeu peccatum mortale probabiliter in reſtituente, vel familia ejus; puta reſtituendo quæ habet aliena venit ad tantam paupertatem, vel miſeriam, quod non poteſt vivere, vel providere filiis de victu, & veſtitu. Et cum ſiat alicujus nobilis conditionis, mendica-

dicare nimis erubeſcunt, ab amicis ad ſufficientiam non inveniunt, laborare neſciunt, vel non poſſunt, quia parvuli, vel infirmi: & ſic reſtituendo exponitur periculo ipſe cum familia ſua furandi, vel proſtituendi filias, vel deſperationis: ubi retinendo alienum, cum ipſo ex induſtria ſua providet, & parcit ſibi, & familiæ, & diſponitur ad ſatisfacendum paulatim. Hoc ſentire videtur Scotus in 4., & Henricus in 6. quolibet. q. 24. —. Hactenus S. Antoninus, qui paullo poſt prudenter adjicit — *Hæc non ſunt prædicanda, ne paretur via detentioni aliorum, ad quod nimis perſonæ ſunt inclinatæ: ſed cum magna diſcretione in Confeſſione, & conſiliis tractanda, & cum multis circumſtantiis conſideranda, quæ honeſtent factum.*

Excipit Author caſum, in quo creditor in extrema eſſet neceſſitate conſtitutus: tunc enim ſtatim ei reſtitui deberet ablatum. Id tamen intelligas volo juxta diſtinctionem Scoti, quam de verbo ad verbum exhibui annot. 114., quamque in totum ſequitur S. Antoninus loco nunc laudato poſt nonnulla ſubdens — Tertius caſus excuſans a reſtitutione ſubita eſt, cum ex hoc immineret periculum vitæ corporalis. Et pro hujus majori declaratione nota ſecundum Richardum in 4. diſt. 15., quod ſi ille, qui damnum intulit habet aliquid ultra neceſſitatem ſuſtentationis naturæ, quamvis ſibi neceſſarium ad victum ſecundum decentiam ſuæ perſonæ, reſtituere tenetur. Non enim licitum eſt de alieno vivere cum ſeculari honore. Si autem non habet niſi neceſſaria ad ſuſtentationem naturæ, tunc diſtinguendum eſt: quia aut iſte, qui damnum paſſus eſt, non indiget ad ſuſtentationem naturæ eo, quod ab eo ablatum eſt, & tunc ille, qui abſtulit, reſtituere non tenetur: quia ex jure naturæ licitus eſt unicuique uſus poſſeſſionis neceſſariæ ad ſuſtentationem naturæ. Extrema enim neceſſitas omnia facit communia ff. *ad legem Rhodiam, de jactu* L. 2. §. *Cum in eadem*, in textu, & in Gloſſa. Aut indiget ad ſuſtentationem naturæ eo, quod ipſi ablatum eſt, & tunc ſubdiſtinguo: quia aut primus, ideſt Dominus ipſius rei, indiget iſta re ad ſuſtentationem ſuæ naturæ, priuſquam neceſſaria ad ſuſtentationem ſit naturæ illius, qui abſtulit. Aut uterque eodem tempore factus eſt indigens iſta re ad ſuſtentationem ſuæ naturæ. Aut iſte, qui abſtulit, factus eſt indigens iſta re ad ſuſtentationem ſuæ naturæ priuſquam iſte, a quo ablata eſt. Primo modo, & ſecundo poteſt dici ſine præjudicio, quod iſte, qui abſtulit rem iſtam, tenetur reſtituere illi, a quo abſtulit: quia numquam fuit res illius, qui eam abſtulit, ſed ſemper remanſit iſtius de jure; poſtquam enim ſum in ſtatu, in quo res mea eſt mihi neceſſaria ad ſuſtentationem naturæ, non poteſt fieri alterius me contradicente. Si tertio modo, tunc ille, qui abſtulit, reſtituere non tenetur: quia ab iſto tempore, quo facta eſt ſibi neceſſaria ad ſuſtentationem naturæ, cum tunc illi, a quo ablata eſt, non eſſet neceſſaria, acquiſivit jus in illa re illi qui abſtulit. Et ideo quamvis damnum paſſus veniat poſtea ad ſtatum, in quo res ſibi ablata eſſet ſibi neceſſaria

ad

Digitized by Google

ad ſuſtentationem naturæ, non propter hoc habet majus jus in iſta re, quam iſte, qui eam abſtulit, niſi iſte, qui eam abſtulit, deveniſſet ad ſtatum, in quo amplius iſta res non eſſet ſibi neceſſaria ad ſuſtentationem naturæ. Idem per totum Petrus de Palude in 4., & Scotus —. Hactenus S. Antoninus.

Secundum Dubium. Utrum ille, qui non poteſt reſtituere ſine magno damno ſuo temporali, puta deſtructione artis, ex qua vivit ipſe cum familia ſua, quia nihil habet niſi inſtrumenta, cum quibus laborat, aut libros, cum quibus Doctor conſulendo vivit, aut Capitale, cum quo mercator ſuſtentatur, & hujuſmodi: dum ille, cui debet reſtituere, eſt ſatis abundans, ita ut poſſit competenter vivere abſque eo, quod ſibi debetur: teneatur ſtatim reſtituere, vendendo inſtrumenta, & hujuſmodi?

Reſpondeo, quod non. Debet tamen petere licentiam differendi reſtitutionem vel per ſe, vel per interpoſitam perſonam, ſi id fieri poteſt abſque aliquo periculo. Si licentiam dat creditor, jam dubio procul differre poteſt. Si vero eam dare non vult, adhuc ſecundum Joannem de Neapoli in Quolibeto diferre poteſt reſtitutionem, & interim annuatim, vel quolibet menſe aliquid ſolvere prout melius poterit. Arguitur 47. diſt. cap. *Sicut ii* in ver. *Invadere* cum Gloſſa ibi, & Extra *de furtis* cap. *Si quis*, ubi patet, quod magna neceſſitas, etiamſi non ſit extrema, excuſat a prompta reſtitutione. Debet tamen debitor ſibi cavere a ſuperfluis: quia non poteſt vivere cum honore, & cum decentia ſui ſtatus de alieno ſecundum Raymundum. Et, ſi ipſe in vita non poterit ex integro ſatisfacere, injungat hæredibus, quod compleant id, quod ſupereſt reddendum. Concordant Scotus, & Ricardus.

(320) Et hic juvat audire S. Antoninum loco proxime memorato ſcribentem — Idem videtur dicendum, cum quis habet inſtrumenta artis ſuæ, unde ex labore ſuo gubernat ſe & ſuos, & vendendo, vel tradendo ea,

Digitized by Google

ea, ut reſtituat ſuis creditoribus, non poterit laborare, & inde lucrari: puta libros quoad Juriſperitos, & Medicos, inſtrumenta quoad artifices. Laborando autem cum prædictis, ultra ſuſtentationem ſuam poterit interim paullatim ſatisfacere. Nec credo eſſe contra hoc quod dicit B. Thomas 2. 2. q. 62., ſcilicet quod ſtatim reſtituendum eſt alienum ſimpliciter. Non enim ita amare verba accipienda ſunt, dicit lex, ſed civiliter & in ſacra Scriptura ſtatim dicitur fieri, quod in parvo tempore, ut patet Malachiæ 3.– *Statim veniet ad templum &c.* Et præcipue cum ex cauſa ita urgenti differtur, ut dictum eſt. Poteſt etiam multipliciter accipi in jure, & non ſolum pro potentia facti, ſed & juris, & commoditatis, ut patet 22. q. 2. *Faciat* in Gloſſa – Hæc ille. Memineris Regulæ, quam ſuper hiſce rebus tradidit Scotus eod. §. *De quarto*, quamque ipſe ex eodem protuli Annot. 315., videlicet – *Licet detinere rem alienam, quando ille, cujus eſt, debet velle eam rationabiliter detineri* – Caſus, de quo agitur, unus ex illis eſt, in quibus Dominus debet ſic velle: quia, ut poſt nonnulla ſubdit ibidem Scotus – *Debet magis velle, quod vitetur magnum incommodum proximi reſtituentis, quam modicum incommodum ſuum, vel nullum, in illa modica dilatione reſtituentis* –.

Cave tamen, ne ex hoc inferas, quod, ſi differi poteſt reſtitutio propter grave damnum, quod reſtituens pateretur, poterit etiam ille, qui furatus eſt magnam pecuniæ ſummam, quam adhuc habet penes ſe, vel in re ipſa, vel in æquivalenti, differre reſtitutionem, quum reſtitutio ſimilis ſummæ ſemper grave damnum videatur adterre. Non recte infertur hæc concluſio (ſcribit Gennettus de 7. Decal. præc. c. 4. q. 6.): quia quum dicitur, differri poſſe reſtitutionem ad vitandum grave damnum, ſive in propria vita, ſive in honore, ſeu fama, vel etiam in bonis: id intelligendum eſt ſolummodo, cum hujuſmodi damna poſſunt declinari per dilationem, & differunt ab eo damno, quod revera inſeparabile eſt a reſtitutione, quæ non cauſat damnum proprie dictum, cum id tantum reſtituatur, quod legitime non erat acquiſitum, ac proinde in bonis noſtris connumerandum, & computandum non erat. Sic reſtitutio mille aureorum non cenſetur per ſeipſam afferre damnum reſtituenti, quia tantum reſtituit quod ſuum non eſt. Sed damnum, quod locum præbet dilationi reſtitutionis debet differre ab eo, quod eſt connexum cum reſtitutione ſummæ per viam injuſtam comparatæ. Hujuſmodi eſt v. g. cum reſtitui non poteſt, niſi vendatur fundus pro pretio quingentorum aureorum, qui mille aureis communiter æſtimatur. Et ſic de cæteris –. Hactenus ille. Caſum ergo Authoris intellige, quando debitor magnum damnum pateretur in rebus propriis non debitis. Nam ſi reſtituendo jacturam tantum patiatur in rebus debitis, vel in lucro, quod facere intendebat ex rebus debitis, non poteſt ob hanc cauſam differre reſtitutionem: quia hoc non eſſet damnum pati in rebus ſuis, ſed ſolum relinquere res alienas, vel alteri debitas,

& non

Digitized by Google

& non facere lucrum ex alieno, vel ex re alteri debita.

Prudenter adjicit Author, quod debitor in hiſce caſibus, in quibus differre poteſt reſtitutionem, cavere ſibi debet a ſuperfluis ſumptibus. Fuſius rem hanc exponit S. Antoninus eod. cap. 8. ultra medium -- Tamen non debent tales ita laute vivere, & pompoſe veſtire cum familiis ſuis, & filias ſuas cum magnis dotibus nuptui tradere, ſicut ſi non eſſent obligati ad reſtitutionem. Sed parce vivere, & parvas dotes tradere. Et ſi non poſſunt nobili, vel mercatori nuptui dare, artific[illegible], & plebejo debent tradere, & alia ſuperflua reſecare--. Hæc ille.

TERTIUM DUBIUM. Utrum exiſtens in neceſſitate, de qua dictum eſt in præcedenti Dubio, ſaltem teneatur ſtatim reſtituere, ſi etiam ille, cui debet, valde egeat, & ſine magno incommodo non poſſit tranſire cum carentia ejus, quod ſibi debetur?

Reſpondeo, quod ſic; immo tenetur cedere bonis ſecundum Joannem de Neapoli ubi ſupra, & Raymundum, & Doctores communiter: quia non licet cum incommodo aliorum facere commodum meum de alieno: quia inſuper prima charitas incipit a ſe ipſo 86. diſt. cap. *Non ſatis*: niſi ille, cui debet reſtituere, liberaliter vellet concedere licentiam differendi.

(321) Creditor in hoc caſu, in pari ſcilicet cum debitore, eaque gravi neceſſitate exiſtens, invitus rationabiliter eſt, quod differatur reſtitutio, qua eget, eidem ſummo jure debita. Ex ordine enim charitatis poteſt cæteris paribus ſibi potius, quam debitori velle conſulere: præſertim cum ſit melioris conditionis, utpote habens, & poſſidens jus exigendi ſolutionem ex juſtitia ei debitam, & debitor non ſit in extrema neceſſitate conſtitutus, ut ſupponitur, in qua ſola omnia fiunt communia. Non licet ait Author facere commodum ſuum, profectum ſuum de alieno cum gravi incommodo Domini, eoque invito. Et idcirco ſi debitor in hac circumſtantia ſtatim non reſtituit, peccat, quia agit contra rationabilem voluntatem Domini, & inſuper tenetur ad omnia damna, quæ ob talem dilationem patitur Dominus: eſt enim injuſta, & efficax eorumdem cauſa, quum creditor jus habeat prompte exigendi tale debitum, juſtamque rationem non permittendi dilationem aliquam ſibi ſuæque familiæ ſummopere damnoſam.

Quod ſi creditor, poſthabito proprio, eoque gravi damno, debitori con-

concedere velit facultatem differendi reſtitutionem: Author adſerit id poſſe ab eo fieri. Certe unuſquiſque eſt rei ſuæ Dominus; & icciro ſicuti ex ſuperabundantia caritatis poteſt onus reſtitutionis in totum relaxare, & remittere, potiori jure poterit concedere dilationem. Nihilo tamen ſecius ſi agatur de creditore, qui ſit Paterfamilias, & jure naturæ nedum ſibi, ſed & ſuis pariter providere debeat, tametſi & hic jure civili poſſit concedere dilationem, de qua ſermo; arbitrarer tamen Confeſſarium non debere probare hanc caritatis ſuperabundantiam. Concedere hujuſmodi dilationem in caſu, de quo agitur, cum æquali nempe, immo graviori damno ſui, & ſuorum, puta cedendo bonis, ne debitor coactus ſit id agere, non eſſet curam vigilem gerere domeſticorum ſuorum juxta mandatum Apoſtoli 1. ad Timoth. 5. v. 8. — *Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior* --. Eſſet potius eos negligere, iiſdemque in re gravi conſulto nocere. Quod debitor grave damnum patiatur, ſibi ipſi imputare debet, quia debitor reipſa eſt, & præſertim ſi talis ſit ex maleficio vel quaſi. Sed quod, debitore ſublevato, familia creditoris huic eidem damno reddatur obnoxia ſoli poſſet tribui non ordinatæ caritati patris, quæ, dum uni prodeſt, alteri nocet, quæ, ut ſublevet extraneum, propriam familiam ſine neceſſitate gravat. Hoc tamen dictum ſit ſalvo meliori judicio.

QUARTUM DUBIUM. Utrum, cum quis non vult reſtituere, quia non poteſt niſi cum magno ſuo incommodo, & ille, cui debetur reſtitutio, non vult concedere dilationem aliquam, poſſit debitor abſolvi a ſuo Confeſſario?

Reſpondet Petrus Caſnel tit. *Reſtitutio*, quod, etiamſi non immineat periculum vitæ reſtituere debenti, vel aliud grave incommodum, poteſt Confeſſarius conſcientiam ſuam formare ex eo quod intendat utiliter gerere negotium creditoris, eo quia videt, quod ſecus agens non ita cito, vel non ita commode, vel forte numquam poſſet ille rem ſuam recuperare, & cum hac conſcientia abſolutionem poteſt peccatori impartiri: dummodo tamen hic bona fide promittat ſatisfacere certo die, vel aliam cautionem præſtet. Caveat interim, ne exigat ab eo juramentum, quia tunc peccator a Confeſſario recederet quaſi deſperatus. Facit pro hoc L. *Solvendo* ff. *de negotiis geſtis*, & L. *Ait Prætor* §.1.

ff. *de minoribus* . Doctrinam hanc bene notent illi Confeſſarii , qui abſolvendo reddunt tardiores quos abſolvunt , dum vel ſtatim , vel ſaltim citius reſtituerent , ſi ipſis abſolutio denegaretur ; tunc enim non agunt utiliter negotia creditorum , ſed gravant conſcientiam propriam , & de damno , quod ex eorum culpa patiuntur creditores , tenentur ipſi ſatisfacere , cap. *Si culpa* Extra *de injuriis & damno dato* .

(322) Super hac re certe graviſſima dicerem, ſalvo meliori judicio, quod ſi debitor rationabiliter nollet ſtatim omnia reſtituere , & creditor irrationabiliter nollet aliquam moderatam concedere dilationem : puta quia debitor omnia ſtatim reſtituendo amittere deberet ſtatum ſuum alioqui juſte acquiſitum , & creditor ex aliqua dilatione nullum grave ſentiret incommodum : poſſet in hoc caſu Confeſſarius debitorem abſolvere a peccatis ſuis , dummodo vere promittat paullatim reſtituere , immo reſtitutionem hanc incœperit , paratus eandem proſequi uſque dum plene ſatisfecerit : & inſimul parce vivat , & de ſplendore , & decentia ſui ſtatus detrahat quantum poteſt , ut quamcitius poterit reſtitutionem abſolvat . Ratio eſt : quia debitor efficit quidquid poteſt in illis circumſtantiis poſitus , & creditor ſuper hac re irrationabiliter eſt invitus ; immo peccat contra caritatem, obſtinate volens , quod ſine mora ipſi omnia reſtituantur cum tanto incommodo debitoris . Si autem ſecus eſſet, videlicet debitor irrationabiliter nollet omnia ſtatim reſtituere , & creditor rationabiliter nollet concedere dilationem : puta debitor nollet ſtatim omnia reſtituere , quia ſic altiorem ſtatum ſuum amitteret injuſte ſibi acquiſitum , rapinis nempe , uſuris , furtis , aliiſve ſimilibus injuriis , atque injuſtitiis , & creditor dilationem nollet concedere , ne fur glorietur de iniquitate ſua , de iniquitate ſua commodum reportet : in hoc caſu deneganda abſolutio eſt debitori , niſi prius omnia cum effectu ſtatim reſtituat . Ratio eſt : quia debitor ſtatum non amitteret ſuum , ſed alienum , ac injuſte poſſeſſum relinqueret , & reverteretur ad proprium ; creditor autem juſte negaret , quod in hiſce caſibus a nullo jure conceditur . Nec in hoc caſu juſtificaretur Confeſſarius ſecus agens , ex eo quia non poteſt inducere debitorem ad omnia ſtatim reſtituenda , quem probe cognoſcit paratum potius ad perſeverandum in injuſta omnium retentione , quam ad ſe omni alieno ſpoliandum : unice paratum ad ſatisfaciendum paullatim quolibet anno , quolibet menſe , qualibet hebdomada . Culpa hoc eſt in debitore , eaque graviſſima , improbitas eſt , malitia eſt , pertinacia eſt , quæ ipſi non debet prodeſſe ; ſecus enim omnes injuſti detentores rerum alienarum poſſent abſolvi , quia omnes poſſent ſe oſtendere imparatos ad aliena ſtatim reſtituenda . Si creditor de

hoc

Digitized by Google

hoc monitus libere vellet indulgere debitori, ut facilius, & ſine ſtrepitu rehaberet ſuum, Dominus ipſe eſt. Non ita Confeſſarius, tametſi quandoque utiliter gereret negotium creditoris, quia Dominus ipſe non eſt rei alienæ, & debitoris malitiam confoveret, atque pertinaciam. Quidquid ergo Author docet ſuper hac re, id intellige, quando debitor rationabiliter petit dilationem, & creditor eſt irrationabiliter invitus: quia tunc Confeſſarius nullam infert creditori injuriam: immo utiliter gerit ipſius negotium.

TERTIUS ARTICULUS tertiæ Conſiderationis eſt de relaxatione reſtitutionis, & continet quatuor quæſtiones, ſeu quatuor Dubia.

PRIMUM DUBIUM. Utrum abſque reali reſtitutione quis abſolvatur ab onere reſtitutionis ex relaxatione creditoris?

Reſpondeo, quod licet verbum reſtituere, quod ſonat in priſtinum ſtatum reponere, non verificetur in remiſſione, L. *Reſtituere* ff. *de verborum ſignificatione*, ob quod aliquis teneretur neceſſario dare rem reſtituendam actualiter, ſi extat, vel tantumdem, ſi non extat: tamen quia jura aliquando dicunt *reddant*, quod eſt verbum latius quam reſtituere L. *Verbum reddendi* ff. *de verborum ſignificatione*, & verbo reddere promiſcue utuntur pro reſtituere: ideo dico cum Gloſſa in Regula Juris *Peccatum* Libro Sexto, & Federicum conſilio 18., & 22. quod ex relaxatione, ſeu remiſſione abſque reali reſtitutione quis liberatur in tantum in quantum ei relaxatur. Et hoc etiam clarius patet: quia Jus Canonicum utitur verbo *ſatisfaciat* pro *reſtituat* Extra *de raptoribus* cap. *In literis*, & aliquando verbo *emendent*, ut dicitur cap. *Super eo* eodem titulo = *Niſi prius ablata reſtituat, ſi poterit, vel emendandi firmam, & plenam ſecuritatem fecerit* =: & ſatisfactum intelligatur qualitercumque voluntati creditoris ſatisfiat L. *Si rem alienam* §. *Omnis* ff. *de pigneratitia actione*: ideo abſolvitur ex remiſſione ſicuti dictum eſt. His concordant Archidiaconus cap.2. *de uſuris* libro ſexto, & Panormitanus in cap. *Cum tu* Extra *de uſuris*. Hic tamen nota, quod, ſi ille, qui debet reſtituere, non habet animum reſtituendi, ſi poſſet, non abſolvitur quoad Deum non obſtante quacumque relaxatione,

Digitized by Google

ne, immo eſt in continuo peccato mortali. ſecundum Ægidium in Quolibeto, donec pœniteat, reſtituere tamen non tenetur.

(323) Niſi leges id prohibeant, & in aliquo particulari caſu limitent, reſtringantque naturalem cujuſcumque Domini facultatem a dominio ipſo provenientem, qui poteſt donare poteſt etiam remittere; remiſſio enim eſt quædam donatio — *Nam* (ait L. 21. C. *Mandati vel contra*) *ſuæ quidem quiſque rei moderator, atque arbiter* — eſt. Dubio procul creditor poteſt jus ſuum, quod habet in debitorem, alteri donare. Cur ergo non poterit illud idem ipſi debitori remittere? Facta poſtmodum hujuſmodi remiſſione, quum per hanc condonetur alteri jus exigendi, & accipiendi ſolutionem: ſponte fluit, quod in debitore tollitur obligatio ſolvendi, quæ poſtea in illo ipſo caſu non amplius redit: quia, ſicuti ſcriptum eſt C. *de remiſſione pignoris* L. 9. — *Obligatio ſemel extincta inſtaurari non poteſt* —. quia inſuper per remiſſionem ablata eſt omnis inæqualitas, & nihil amplius retinetur invito Domino — *Scienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus* — Regula 27. Juris in Sexto.

Dixi, niſi leges id prohibeant, & in aliquo particulari caſu reſtringant naturalem hanc Domini facultatem. Notum enim omnibus eſt in nonnullis caſibus legem id vetaſſe, declaraſſe inſuper, nullam remiſſionem, tametſi ampliſſimam, debitori quicquam prodeſſe, eique ſuffragari. Nulla itaque remiſſio eſt facta Judici Eccleſiaſtico, qui a partibus litigantibus aliquid recipit præter id, quod ipſi in jure permittitur, ſicuti ſancivit Bonifacius VIII. *de reſcriptis* in Sexto cap. *Statutum* §. 7. — *Si quid autem contra Conſtitutionem præſentem receperit, ad ipſius reſtitutionem integram teneatur: nulla eorum, quibus reſtitutio facienda fuerit, remiſſione ullatenus profutura eidem* —. Nulla remiſſio eſt facta Epiſcopo, vel alteri Prælato habenti jus viſitandi, qui intra menſem tenetur reſtituere duplum, ſi præter moderatas expenſas aliquid accipit ab Eccleſia, quam viſitat, ſicuti decrevit Greg. X. *de cenſibus* in Sexto cap. 2. *Nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratia valitura* —. Nulla remiſſio eſt facta Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ſi qui eſſent, qui prætextu officii inquiſitionis pecuniam ab aliquibus extorquerent. Id conſtituit Clemens V. cap. *Nolentes* in Clementina *de hæreticis* — *Quod ſi ſecus in his, vel eorum altero fecerint, excommunicationis ſententiæ eos ſubjacere decernimus ipſo facto. A qua non poſſint abſolvi, præterquam in mortis articulo, donec illis, a quibus extorſerint, plene ſatisfecerint de pecunia ſic extorta: nullis privilegiis, pactis, aut remiſſionibus ſuper hoc valituris* —. Nulla remiſſio eſt, ſi quæ fieret Canonicis abſentibus a reſidentia, qui pro eo tempore privantur diſtributionibus, quæ ſolis præſentibus debentur. Ita Concilium Tri-

dent.

Digitized by Google

dent. ſeſſ. 24. *de reformatione* cap. 12. -- *Quavis excluſione, aut remiſſione excluſa, his careant juxta Bonifacii VIII. decretum* --. Nulla demum remiſſio eſt, quam faceret Beneficiarius, ſi quid de bonis Eccleſiæ aliquid alteri dediſſet non pauperi; Beneficiarius enim non eſt, ut toties dixi, bonorum Eccleſiæ Dominus, ſed ſimplex cuſtos, & adminiſter.

Quum reſtituere, ſi ſolam vim literarum attendamus, idem redoleat ac aliquem iterum poſſeſſorem facere, in priſtinum ſtatum reducere -- *Reſtituere eſt* (ait L. 22. ff. *de verborum ſignificatione*) *etiam poſſeſſorem facere, fructuſque reddere* --. *Reſtituere autem is intelligitur* (ait L. 35. ibid.) *qui ſimul & cauſam actori reddit, quam is habiturus eſſet, ſi ſtatim judicii accepti tempore res ei reddita fuiſſet, ideſt & uſucapionis cauſam, & fructuum* -- *Reſtituere* (ait demum L. 75. eod. tit.) *is videtur, qui id reſtituit, quod habiturus eſſet actor, ſi controverſia ei facta non eſſet* --: cui concinit S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 1. in corpore -- *Dicendum, quod reſtituere nihil aliud eſſe videtur, quam iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſionem, vel dominium rei ſuæ* --. Merito conatur Author oſtendere, verbum hoc in materia reſtitutionis non eſſe accipiendum in ſtrictiori ſua ſignificatione. Id ut probet, in medium profert ea jura, quæ loco reſtitutionis uſurparunt alia vocabula latius ſignificantia; ex quibus legitime infert, verificari reſtitutionem, quomodocunque creditori ſatiſfiat, ſive id agatur, rem acceptam, aut pretium ejus actu reddendo, ſive creditor onus reſtitutionis debitori remittat, ſive alio quocumque modo debitor voluntati creditoris ſatisfaciat. Non eſt igitur mirum, quod olim ſuper hac re diu multumque diſputatum ſit, & quod Doctores graviſſimi hinc atque illinc ita contenderint, ut nulla poſſint felicitate componi. Inter eos, qui pugnarunt pro neceſſaria reali reſtitutione aut rei ipſius acceptæ, aut tantundem, principem locum tenuit Gerardus de Senis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini: & inter eos, qui poſt Gloſſam in Regulam 4. Juris in Sexto ſecus opinati ſunt, arbitrantes ſufficienter ſatisfieri etiam per liberam creditoris remiſſionem, præcipue emicuit Federicus pariter de Senis in ſuis Conſiliis. Vide, ſi placet, S. Antoninum part. 2. tit. 2. cap. 6., & S. Bernardinum To. 1. ſerm. 40. art. 2. cap. 3., qui ambo rem hanc fuſe pertractant, tametſi in eamdem non deſcendant ſententiam: quia S. Antoninus totus eſt pro opinione Federici, & S. Bernardinus nihil intentatum relinquit, ut opinionem Gerardi firmet, atque conſtituat. Non vacat hic obſoletam hujuſmodi diſputationem iterum examini ſubjicere; a multo enim jam tempore prævaluit ſententia Federici, quæ plurium veterum fuit, puta Panormitani in cap. *Cum tu, de uſuris*, Hoſtienſis in Summa, Authoris tum hic, tum in Angelica ver. *Reſtitutio ultimo* num. 1., aliorumque: & quæ in præſenti a Junioribus omnibus communi calculo obſignatur. Placet nihilominus audire unam ex rationibus ejuſdem Federici apud S. Antoninum -- *Sunt quidem ſpeciales caſus, in quibus obligatis ad reſtitutionem non ſufficit remiſ-*

Digitized by Google

remiſſio, ut DE CENSIBVS, EXIGIT lib. ſexto. Ergo in aliis caſibus ſtabit Regula, ſcilicet quod ſufficit remiſſio —. Rationem hanc tanti faciebat Federicus, ut eam putaret inſolubilem. Reipſa enim lex, quod voluit, expreſſit. Reipſa — *Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent* —, L. 195. ff. *de diverſis regulis juris antiqui*. Reipſa demum communi apophtegmate docemur, quod excluſio unius eſt incluſio alterius.

SECUNDUM DUBIUM. Utrum omnis relaxatio, ſeu remiſſio debiti, qualitercumque obtineatur, liberet debitorem ab onere reſtitutionis?

Reſpondeo, quod non, ſed neceſſe eſt, quod obtineatur. Primo, ſine incuſſione metus, puta non petatur tali modo, vel per talem perſonam, quod creditor damnum aliquod patiatur, ſi non remittat; remiſſio enim in hoc caſu non valeret. Secundo, ſine deſperatione: puta debitor non dicat, debeo tibi centum, & ſi vis quinquaginta dabo tibi, aliter nihil habebis, & hujuſmodi. Tertio, ſine fraude: puta non dicat, ſe nihil poſſe ſolvere, cum tamen poſſit ſaltem partem: vel non dicat, ſe debere modicum quid, cum debeat multum; ſed aperte, & ingenue manifeſtet quantitatem debiti, impoſſibilitatem, vel incommoditatem reſtituendi. Quarto, cum libera & gratuita voluntate: puta non dicat, ſi mihi non remittis, non faciam tibi tale ſervitium; ſed remiſſionem petat propter amorem Dei, & motivo ſolius caritatis. Quinto, ut ille, a quo fit remiſſio, alienare poſſit; ſecus enim remiſsio non valeret, ſicuti dictum eſt ſupra tit. 21. Dubio primo. Si autem alienare poteſt, & omnino libere remittit, debitor non tenetur amplius ad id, quod ipſi fuit remiſſum, nec creditor poteſt amplius revocare talem liberam remiſsionem ſecundum Raymundum.

(324) Hæc omnia plana ſunt, & luce meridiana clariora. Audiamus quæſo S. Bernardinum loco proxime laudato — Propterea ad hoc quod libere fiant, (ſupple remiſſiones) & valeant apud Deum, quatuor ſunt neceſ-

neceſſaria ex parte indulgentiam largientis, ſeu remiſſionem facientis: Primo, quod non fiant ex metu: ſecundo, quod non fiant ex verecundia: Tertio, quod non fiant ex deſperatione: Quarto, quod non fiant propter aliquam temporalem ſpem. Primo, quod non fiant ex metu, ſicut indulgere, & remittere ſolent ſubditi terrarum Dominis, aut quibuſcumque potentibus, qui creditores formidant, ſi ad petitionem eorum eis non remittant debita ſua. Secundo, quod non fiant ex verecundia, ſicut plerumque uſurariis fieri ſolet: nam ſi vel alii mediatores, vel Confeſſores ſub pietatis, ac diſcretionis prætextu, creditoribus talibus utuntur verbis, vel modis, quod illi ex verecundia moti, atque coacti, non ex libera voluntate, partem, vel totum remittunt; quod coram Deo nihil utique valet. Tertio, quod non fiant ex deſperatione: Nam plerique indulgent, & remittunt partem, vel totum, quia de ſatisfactione, & ſolutione deſperant. Quarto, quod non fiant propter aliquam temporalem ſpem, ut puta quia ab eo, cui remittitur, ſperatur præſtari aliquod mutuum ſimplex, vel uſurarium, vel aliquod aliud temporale ſervitium ſibi fieri. Ut igitur debitor ſit apud Deum de hujuſmodi remiſſionibus bene tutus, debet ſic ſolutionem exequi, quantum ſcilicet & ex parte ſua, aut ſe ad illam ita diſponere, quod ſibi conſtet tam de ſuo firmo propoſito ad reddendum, ſi creditor remittere nolet, quam de debiti vera, & gratuita remiſſione, ſeu datione facta ab eo, cui debetur --. Hactenus S. Bernardinus. Opportune iccirco monet Gennettus de 7. Dec. præc. c. 7. q. 24. -- Hæc omnia aperte demonſtrant, remiſſiones, ſeu condonationes illorum, quibus reſtitui, vel ſolvi aliquid debet, ſæpius coram Deo, qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum, eſſe inutiles, & nullas: & idcirco ſedulo obſervandum in praxi, ut illis quis non utatur, niſi qualitates ſuperius requiſitas habeant, & præſertim ſint revera liberæ, & immunes a fraude, errore, & violentia --. Hæc ille.

Caſum quendam ſingularem exponit, & ſolvit S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 6. ſub initio ſcribens -- *Sciendum, quod illi, qui ponunt ſe in manibus creditorum, promittendo, ſeu offerendo ſe ad dandum quod peterent: rogantes tamen, ut totum, vel partem dimittant: ſed non intendunt reſtituere; immo ſperant quod pro modico quietabuntur: alias ſe non ponerent in manibus eorum: a peccato quidem rapinæ, uſuræ, & hujuſmodi, vel alterius malæ uſurpationis non ſunt abſoluti: quia peccatum per pœnitentiam, & confeſſionem dimittitur, quam illi veram non habent. Sed utrum ſint abſoluti a debito, vel obligatione reſtituendi, diſtinguendum eſt ſecundum Ægidium Ordinis Eremitarum in Quolibeto: quia ſi creditor propria voluntate, & liberalitate dimiſit, & donavit, non curans quicquid debitor intenderet, non tenetur ipſe debitor amplius reſtituere, ſi hoc ei clare conſtat. Secus autem, ſi creditor deceptus, vel coactus, vel deſperatus, ſcilicet quia numquam æſtimabat ſe ab eo illud debitum poſſe habere,*

vel

vel non poſſe habere totum . Et ideo potius voluit habere partem , quam nihil , dubitans , ne nihil haberet , ſi totum vellet . Talis enim remiſſio non valet , & adhuc obligatur ad reſtitutionem — . Non abſimile eſt quod ſcripſerat idem S. Archiepiſcopus ibid. cap. 4. §. 1. — *Sed ubi certum , & clarum eſt debitum ratione uſurarum , vel alterius uſurpationis , niſi creditor liberaliter remittat illud quod remittit , etiamſi de mille decem tantum remitteret ; ſi hoc facit , quia putat ſe aliter non poſſe reſiduum habere , nil valet illa remiſſio facta ex publico pacto quoad animum . Unde cum mercator infortunia paſſus fallit , & occultans multa ex bonis ſuis mobilibus , ut non perveniant ad manus creditorum , quærit compoſitionem cum eis de minori quantitate , quam debeat : puta promittit reſpondere ſingulis creditoribus ad rationem quindecim ſolidorum pro libra , cum tamen poſſet totum dare , vel cedere bonis : cui compoſitioni aſſentiunt creditores , & ita recipientes liberant eum de reſiduo . Certum eſt , quia quoad Deum adhuc tenetur de reſiduo , cum illi non ſponte , ſed coacte fecerint illam remiſſionem , volentes potius illa parte carere , quam toto .*

TERTIUM DUBIUM . Utrum obligatus ad reſtituenda multa incerta , & non valens ea reſtituere , poſsit ab Epiſcopo obtinere licentiam differendi reſtitutionem , vel non reſtituendi ?

Reſpondeo , quod ſic ; immo etiam a proprio Sacerdote . Laudo tamen , quod eam potius obtineat ab Epiſcopo ſi commode poteſt . Attendant interim Epiſcopi , & Confeſſores : quia , ſi debitores poſſunt aliquid annuatim reſtituere , hoc debent eis imponere . Nec debent eis concedere , quod ex talibus incertis faciant magna ædificia , pompas , & hujuſmodi : quia tunc non eſſent veri diſpenſatores , ſed ſubverſores pauperum , & diſpenſando proprias gravarent conſcientias . Decipiuntur ergo uſurarii illi , qui nulla neceſsitate ducti , ſed duntaxat ut commodius vivant , petunt hujuſmodi licentias , et diſpenſationes .

(325) Impotentia , & præſertim phyſica , de qua hic loquitur Author excuſat certe debitorem ab onere reſtitutionis pro tunc , ipſique ſufficit , quod vere animum habeat reſtituendi , cum primum poterit . — *Impoſſibilium nulla obligatio eſt* — L. 185. ff. *de diverſis regulis juris antiqui* — *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari* — Regula 6. Juris in ſexto . Et iccirco

appoſite 14. q. 6. cap. 1. — *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum; ſed ut dixi, cum reſtitui poteſt. Plerumque enim qui aufert amittit, ſive alios patiendo malos, ſive ipſe male vivendo: nec aliud habet, unde reſtituat. Huic certe non poſſumus dicere, redde quod abſtuliſti, niſi eum habere credimus, & negare* —. Sed quoniam nemo judex eſt in propria cauſa, & ſæpenumero contingit, quod quis ſe vere impotentem exiſtimat, dum revera poteſt vel quolibet menſe, vel annuatim aliquid reſtituere: hinc merito ponit Author quod in hiſce caſibus nemo ſibi ipſi fidat, ſed Epiſcopum adeat, vel Confeſſarium, & ab eo, veritate cognita, facultatem obtineat non reſtituendi pro tunc, & differendi. Conſulit tamen, quod facultas iſtæc potius obtineatur ab Epiſcopo; ſi commode id poſſit fieri. Verum enim vero cum hujuſmodi caſus non raro accidant, ſed ſæpe ſæpius, non parum adlaborare deberent Epiſcopi, ſi ad ipſos ſolos pertineret conſimiles concedere facultates, ſeu conſimiles edere declarationes. Accedit, quod in hiſce caſibus Epiſcopus, vel Confeſſarius nihil proprie concedit, ſed unice declarat, hunc, vel alterum hic & nunc non teneri ad actualem reſtitutionem cum effectu. Porro quis unquam dicet, hujuſmodi declarationem excedere auctoritatem, & poteſtatem Confeſſarii, qui ex officio in foro conſcientiæ judicare debet de iis, quæ reſpiciunt conſcientiam pœnitentis: an ſcilicet ad aliquid teneatur nec ne, ad quid teneatur, quando, & quomodo teneatur? Nihil igitur difficultatis video in hoc, quod, quando quis tenetur ad reſtituenda multa incerta, eaque pro nunc non poteſt reſtituere, poſſit is adire Confeſſarium, & ab eo, cognita veritate, obtinere facultatem non reſtituendi pro tunc, ſed differendi, ſeu potius declarationem, æquumve judicium, cui pœnitens poſſit acquieſcere.

Subdit Author, quod hujuſmodi facultas non debet concedi, ut debitor incertis utatur ad pompam &c., ad hunc enim finem, nec concedi poteſt ab ipſo Summo Pontifice, ut mox dicam cum S. Antonino.

Inquiri hic poteſt: an compoſitio ſuper incertis fieri etiam poſſit ab Epiſcopis in ipſorum Diœceſi, vel ad ſolum pertineat Romanum Pontificem?

℞. Non conveniunt Doctores ſuper hac re, ſicuti videre potes apud Ferraris ver. *Reſtitutio* art. 5. num. 43., & La Croix lib. 3. part. 2. num. 410., & ſeq. De Summo Pontifice nullum dubium; legimus enim in Bulla Cruciatæ — *Nec non ſuper male ablatis, & per uſurariam pravitatem, aut aliter male acquiſitis, ſi in omnibus præmiſſis caſibus (præterquam dictæ annualis negligentiæ) perſonæ, quibus reſtitutio, ſeu ſolutio facienda eſt, præſtito per reſtitutorem juramento de diligentia per eum facta pro inveniendo legatario, ſeu creditore, & minime invento, non reperiantur,*

com-

componere, & ita debitores liberari —. Rationem hanc proferunt Theologi, quia Summus Pontifex habet jus indirectum in res temporales, quando id neceſſe eſt ad bonum ſpirituale. Dubium duntaxat eſt de Epiſcopis, quibus, ut nonnulli ajunt, hujuſmodi poteſtas indirecta non competit. Placet exſcribere integram diſputationem S. Antonini part. 2. tit. 2. cap. 6. verſus finem ſententiam affirmativam amplectentis — Quæritur etiam utrum ſuper incertis cum Epiſcopo, qui eſt pater pauperum, poſſit fieri compoſitio, vel tranſactio? Reſpondet Laurentius de Ridulphis. Sciendum quod Paulus in Clementinam ſecundam *de pœnitentiis & remiſſionibus* hunc paſſum examinat, & finaliter determinat, quod non per illum textum, & per cap. *Licet, de Officio Vicarii* lib. ſexto. Uult enim, quod ſine mandato Apoſtolico id facere nequeant Epiſcopi, niſi componerent de tanta quantitate, quanta eſt illa, ad quam aſcendunt, & non de minori. Contrarium ſervatur, licet facta computatione feratur demum ſententia taxativa ipſorum incertorum. Et ſi vera ſunt, quæ dicit Paulus, quod videtur de jure, nec videtur contraria conſuetudo valere, multorum animæ illaquearentur. Textus tamen illi videre meo, non probant ita clare; unde forte poſſet reſponderi, quod non eſt credeudum, quod Papa, qui præfecit Epiſcopos patres pauperum indiſtincte, non conceſſiſſet eis in ſpecie, quod ex cauſa poſſent cum talibus tranſigere. Et iſti habent majorem poteſtatem quam illi, quibus libera adminiſtratio eſt conceſſa. Item non ſimpliciter donant. Item Papa ſcit talem conſuetudinem, & diu toleravit. Fiunt tamen taxationes per ſententiam. Hæc Laurentius. Forte poſſet dici, quod quoad Eccleſiam militantem valet dictum Laurentii, & etiam quoad Deum, & Eccleſiam triumphantem, cum ex cauſa rationabili facit compoſitionem de minori quantitate, quam ſint incerta: puta quia reſiduum dimittit ei ut pauperi, cum alias non poſſet vivere ſine indecentia ſui ſtatus multum notabili. Sed ubi abſque hac cauſa Epiſcopus ſcienter componat de minori quantitate notabiliter, valet dictum Pauli in foro Dei. Non enim credendum eſt, Papam feciſſe Epiſcopos diſpenſatores bonorum pauperum, ut poſſent pro libito voluntatis remittere, vel componere ſuper incertis, ut de his homines poſtmodum pompoſe vivant. Nec ipſe Papa poteſt cum bona conſcientia abſque aliqua cauſa rationabili facere hujuſmodi taxationes longe minus, quam ſit debitum incertorum, & reſiduum illius ſcienter debitoribus dare, quum omnia plene, & bene poſſint reſtituere. Secus autem, cum dubitatur, utrum reſtituere poſſit debitor pro incertis. Nam in dubio ſemper interpretandum eſt factum Papæ permaxime in bonum, ut diſt. 40. *Non nos* cum Gloſſa. Papa enim, etſi habeat plenitudinem poteſtatis, errare poteſt ut homo. Et inter cætera ſuæ poteſtatis non aufertur ſibi iſta communis hominum conditio; quin poſſit peccare mortaliter, & deſcendere ad inferos, &

Kkkkk 2 gra-

gravius cæteris puniendus, ſi deliquerit, ut dicitur diſt. 40. *Si Papa* in Gloſſa — Hactenus S. Archiepiſcopus.

Quartum Dubium. Utrum Dominus, qui, ſi venderet omne quod habet, non poſſet reſtituere quidquid ipſe, vel prædeceſſores ſui, indebite ſuis ſubditis rapuerunt, adhuc habeat aliquem modum reſtituendi?

Reſpondet Monaldus tit. *Reſtitutio quarto*, quod ſic: videlicet quod remittat hominibus ſuis in recompenſationem aliquam ſervitutem, ad quam tenebantur ei in perpetuum: vel det eis aliquam certam immunitatem; vel faciat aliquod Hoſpitale, aut aliam communem eleemoſynam de conſenſu et voluntate eorum, qui damna paſſi ſunt, aut ipſorum ſucceſſorum. Concordat Petrus Caſuel in ſuo Directorio tit. *Reſtitutio*, qui eſt decimus ſeptimus libri primi.

(326) Hic Dominus, de quo ſermo, ſtatum, in quo eſt, vel juſte ſibi acquiſivit, vel injuſte. Si injuſte, rapinis puta, uſuris, fraudibus, furtis, aliiſve injuſtitiis, quorum omnium ope ſtatum priſtinum immutavit, & pervenit ad altiorem: conſtans eſt Theologorum omnium doctrina, quod ſtatim tenetur cadere a proprio ſtatu, ipſum dimittere, reverti ad priſtinum, & ablata omnia reſtituere. Ratio eſt, quia ille ſtatus ſibi non eſt debitus, quia male acquiſitus, male retentus, male poſſeſſus. Si poſtmodum juſte, puta quia eundem habuit a progenitoribus ſuis meticuloſæ conſcientiæ viris, vel ipſemet pervenit ad eum medio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi, aliave induſtria, aliove labore, aliiſve modis nullo jure prohibitis: non tenetur utique eundem ſtatim dimittere, tametſi poſthæc vel adverſa fortuna, vel quia nimis indulſit pompis, ludis, & vanitatibus, vel quia uſuras exercuit, injuſtitias, aliiſve injuſtis modis aliena rapuit, & ſe alieno ære gravavit. Doctores enim communiter probant, quod docuit Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. §. *De quarto* de creditore loquens — *Conſimiliter debet magis velle, quod vitetur magnum incommodum proximi reſtituentis, quam modicum incommodum ſuum, vel nullum, in illa modica dilatione reſtitutionis. Ex his ſequitur, quod, quando eſſet reſtitutio damnoſa Reipublicæ, vel ei, cui fit, vel diffamativa reſtituentis, vel nimis notabiliter damnoſa, non tenetur ad ſtatim reſtituendum, ſed ſufficit, quod ſtatim ex affectu reſtituat, & actu reſtituat ceſſantibus inconvenientibus hinc inde* —.

Ve-

Verum enim vero quis unquam dicet , hunc omnino impotentem eſſe ad reſtituendum , & ad nil teneri? Nemo ſane ; innumeris enim modis , ſi vere converſus eſt ad bonam frugem , paullatim poteſt , ſtatu ſuo retento , conſcientiæ providere ſuæ . Parſimonia is utatur in victu , in veſtitu , in famulatu , & in cæteris omnibus , quæ ad ſtatum ſuum conſervandum abſolute neceſſaria non ſunt . Et ſi ex illis Dominis eſt, de quibus Author, qui nempe in alios dominationem habent , præter hæc ipſi præſto eſſe poſſunt complures alii modi ad reſtituendum aliena . Author nonnullos enumerat ; ſed omnibus aptior eſt imminuere . &, ſi id agere poteſt, quin ſibi detrahat ea, quæ ad ſtatum ſuum conſervandum neceſſaria abſolute ſunt, in totum remittere tributa ſibi ſummo jure debita, uſque dum ex integro ſatisfecerit. Quod ſi ipſe in vivis adhuc exiſtens hac via non poſſit omnia reſtituere, hæredibus injungat ſuis, ut ſuppleant quod deeſt, & reſtitutionem continuando paternum ſtatum redimant a quocumque onere , quemadmodum in conſcientia tenentur : quia ſicuti ſuccedunt in bona, ac jura defuncti, ita quoque in onera, ac debita realia ejuſdem ; & icc irco jure optimo Alex. III. Extra *de raptoribus* cap. 5. *Hæredes ejus moneas, & compellas, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra juſtitiam irrogaverat, juxta facultates ſuas condigne ſatisfaciant*.

Ait Author, quod, ſi is velit noſocomium conſtruere , aut eleemoſinam aliquam communi populo elargiri, ad hoc peragendum indiget conſenſu eorum , qui damna paſſi ſunt. Eleemoſyna non de alieno, ſed de proprio elargienda eſt , Proverb. 3. v. 9. – *Honora Dominum de tua ſubſtantia*, & 1. q. 1. cap. 27. – *Qui ergo male tollit , ut quaſi bene præbeat ; conſtat ſine dubio , quia Dominum non honorat* – . Is ſine dicto conſenſu eleemoſynam elargiretur de alieno . Eam igitur elargiri nequit , quin conſentiant illi , quibus intulit damna , jurique ſuo cedant : res enim ablata vero Domino reſtituenda eſt, & non alteri, niſi in nonnullis caſibus, de quibus dixi Annotatione 287. ; & tunc præcipue pauperibus debet diſtribui , atque in eorum uſus impendi, quando verus Dominus ignoratur, quod non verificatur in caſu.

EXPLICIT TRACTATUS RESTITUTIONUM.
DEO GRATIAS. AMEN.

I N-

INDEX

RERUM, ET VERBORUM PRINCIPALIUM, QUÆ IN DUOBUS HISCE VOLUMINIBUS CONTINENTUR.

A

Abbas an poſſit donare, & quando Pag 484. & ſeq.

Abſolvere. Abſens non poteſt Sacramentaliter abſolvi p.18. De tenente domum paratam ad ludendum V. Ludus. Utrum potens reſtituere abſolvi poſſit antequam reſtituat p.795. & ſeq. Utrum poſſit abſolvi ille debitor, qui non vult ſtatim reſtituere, quia id agere nequit ſine magno ſui incommodo, rametſi creditor nullam ipſi velit concedere dilationem p.805. & ſeq.

Actio. Quænam ſint actiones bonæ fidei p.387. Quo in ſenſu ita vocentur p.387. & ſeq.

Accuſare. Utrum accuſator, vel denunciator calumnioſus teneatur p.613.

Adulterium. Utrum mulier pariens ex adulterio, vel ſupponens partum teneatur p.544. & ſeq. Doctrina S. Antonini ſuper hac re p.545. & ſeq. Doctrina S.Bernardini ſuper eadem p.547. & ſeq. Caſum ſingularem ſuper hac re exhibet Cuniliati p.550. & ſeq.

Advocari, & Procuratores, quorum patrocinio uſuræ exiguntur, aut non reſtituuntur, an teneantur p.90. Quid agere debeat Advocatus cognita injuſtitia cauſæ, quam prius ignorabat p.91. Utrum Advocati, qui patrocinium præſtant in cauſa injuſta, teneantur p.616. & ſeq. Utrum Advocati, qui recipiunt lucrum immoderatum, teneantur p.618. & ſeq. An teneatur Advocatus, ſi aliquid accipiat a privatis, dum habet ſalarium a Communitate, vel a Judice p.619. & ſeq. Utrum Advocati, qui ſervant doctrinam ſpeculatoris, teneantur p.620.

Ædificium. Utrum ædificans in ſolo alieno teneatur p.649. & ſeq. Utrum ædificans cum damno ſui vicini teneatur p.651. & ſeq.

Æſtimatio. An aſſumpti ad aliquod æſtimandum teneantur, ſi male æſtiment p.325. & ſeq.

Alea. V. Ludus.

Alienatio V. Res Eccleſiaſticæ.

Alimenta. Utrum aſcendentes teneantur alimenta præſtare deſcendentibus ex neceſſitate naturæ p. 732. & ſeq. Quid veniat nomine alimentorum p.733. Pater non ſolum tenetur alere filium legitimum, ſed etiam ſpurium p.736. Mater duntaxat tenetur uſque ad triennium, niſi &c. p.736. & ſeq. Utrum deſcendentes teneantur pariter alere aſcendentes p. 737. & ſeq. Ad id tenentur non ſolum filii, ſed etiam liberti p 738. & ſeq. An filius, in æquali neceſſitate conſtitutis parentibus, uxore, & filiis propriis, teneatur prius ſuccurrere parentibus, quam uxori, & filiis p.739. & ſeq. Utrum ſocer teneatur alere nurum ſuam p. 740. Utrum ſimiliter frater fratrem, vel ſororem p.740. Utrum tutor pupilli teneatur alere matrem pupilli, vel ejuſdem ſororem egentem p.741.

Auctoritas. Qua auctoritate fieri debeat reſtitutio, et utrum qui alienare nequeunt, reſtituere poſſint auctoritate propria p.784. & ſeq. Utrum qui multa tamquam incerta reſtituere debet pauperibus, poſſit id agere ſine alterius auctoritate p. 785. & ſeq. Utrum hæres auctoritate propria reſtituere poſſit incerta, ad quæ tenebatur ille, cujus eſt hæres p. 789. & ſeq.

Ban-

Digitized by Google

B

BAnnire (verbum legale). An Dominus injuſte bannieos aliquem teneatur ad omnia damna p. 240. & ſeq. Bannire quid ſit, quid bannum p. 241.

Bellum. Utrum omne bellum ſit juſtum, & quæ requirantur, ut ſit tale p. 189. & ſeq. Bellum quid ſit, & quotuplex, nec non quomodo diſtinguatur a duello, rixa, & ſeditione p. 190. & ſeq. Ad quem ſpectet expendere, an cauſa belli juſta ſit nec ne p. 194. & ſeq An ſcienter movens bellum injuſtum teneatur de omni damno p. 195. & ſeq. Subditus dubitans de juſtitia belli, & militans quia imperatus, an teneatur cognita poſtmodum injuſtitia ejuſdem p. 196. & ſeq. Non eſt eadem ratio de miliite ſubdito, & non ſubdito p. 198. An ſint juſta ea bella, in quibus nonnulli violenter auferunt quod alter diu juſte poſſedit p. 198. & ſeq. An qui ſine auctoritate Principis ſumunt arma etiam contra vaſallos proprios teneantur p. 199. & ſeq. Juſte pugnans, & damnum inferens vaſallis Principis adverſantis, an teneatur p. 205. & ſeq. In bello injuſto ſubditi non debent obedire Principi p. 206. An, ſi in terris Principis inimici injuſte bellantis damnum inferatur ruſticis, Monachis, aliiſve, qui bello non præbent auxilium, tale damnum ſit reſtituendum p. 207. Quid, ſi hi ruſtici &c. hoſtiles actus exerceant p. 207. & ſeq. Eſſet ne bellum juſtum, ſi indiceretur a Principe Chriſtiano adverſus Infideles ad eorum terras occupandas p. 208. & ſeq. An captum in bello juſto ſit capientis p. 209. & ſeq. An in bello juſto uti liceat inſidiis p. 213. & ſeq. An in bello juſto bellantes teneantur de damnis, a quibus ſe potuiſſent abſtinere p. 214. & ſeq. An in bello juſto innocentes ſontibus permixti poſſint occidi p. 215. An miles juſte bellans, & caſu incidens in militem hoſticum dormientem, eumque occidens, reus ſit homicidii p. 215. & ſeq.

Beneficium Inventarii ad quid inſerviat p. 121. Quantum temporis concedatur ad ipſum conficiendum p. 122. An hujuſmodi Inventarium æquo paſſu incedat in foro conſcientiæ ac in foro fori p. 119. 122.

Beneficium Eccleſiaſticum. Utrum Clericus, qui habet Beneficium ſine titulo, vel intruſus, excommunicatus &c. teneatur reſignare Beneficium p. 660. & ſeq. Beneficium quid ſit p. 660. Non eſt antiquum in Dei Eccleſia p. 660. & ſeq. Varia Beneficii genera p. 662. Quæ requirantur, ut quis capax ſit Beneficii p. 662 & ſeq. In cujus manu reſignari debeat Beneficium p. 669. An reſignans Beneficium poſſit ſibi retinere neceſſaria vitæ p. 670. & ſeq. An Beneficiarii teneantur erogare pauperibus &c. reditus, quos ultra honeſtam ſuſtentationem ab Eccleſia percipiunt, ita ut graviter peccent eos impendentes in convivia &c. p. 674. & ſeq. An Beneficiarii ſint Domini redituum, quos ex Beneficiis percipiunt, aut violent juſtitiam eos impendentes in uſus profanos &c. p. 675. & ſeq. An Beneficiarii teſtari poſſint de fructibus Beneficii p. 679. An Beneficiarii, qui habent, unde vivant ex bonis propriis, poſſint licite vivere ex fructibus Beneficii p. 679. & ſeq. An Beneficiarii, qui non faciunt expenſas proprio ſtatui convenientes, ſint Domini illius, quod ſubtrahunt congruæ ipſorum ſuſteotationi, ut de his parſimoniis poſſint &c. p. 680. & ſeq.

Benevolentia. Signa benevolentiæ ſingularia, & communia p. 76. An ſalutatio, colloquium &c. ſint ſigna communia benevolentiæ p 77.

Bonum animæ quotuplex p. 7. Quomodo in bonis animæ quis poſſit lædi p. 7. & ſeq.

Bona Eccleſiarum triplicis ſunt generis p. 232. & ſeq. Eccleſiaſtici non ſunt Domi-

Domini bonorum Eccleſiæ p. 497. & ſeq. Quomodo ea diſpenſare debeant p. 497. & ſeq.

Bona filiorum familias alia dicuntur caſtrenſia, alia quaſi caſtrenſia, alia adventitia, alia profectitia, & hæc omnia exponuntur p. 481. & ſeq. De caſtrenſi, & quaſi caſtrenſi peculio filiorum p. 707. & ſeq.

Bona naturalia ſunt in triplici ordine, & quomodo compenſentur p. 43. & ſeq.

Bona uxoris alia ſunt dotalia, alia paraphernalia, alia antiphernalia, alia propria, alia communia, & hæc omnia exponuntur p. 485. & ſeq.

C

Cathedraticum quid ſit p. 515. Cathedraticum proprie acceptum a Patribus Tridentinis ſublatum non fuit, nec vetitum p. 516.

Cauſa lucrativa et non lucrativa quid ſint p. 158. Utrum acquiſita in cauſa turpi ſint de neceſſitate reſtituenda p. 693. & ſeq.

Cedens bonis an ſuſtinere debeat crucia tum, aut vituperium p.171. Quid ſit cedere bonis p.172. An cedenti bonis omnia ſua ſint ipſi auferenda p.445. & ſeq.

Clerici recipientes oblationes ab uſurariis manifeſtis an teneantur p. 114. & ſeq. Utrum Clerici, vel Prælati male utentes Beneficiis Eccleſiaſticis teneantur p. 671. & ſeq.

Codicillus uſurarii manifeſti abſque debita cautione an valeat p. 111.

Commodatum. An commodatarius teneatur, ſi res commodata periit p. 389. & ſeq. Falluntur qui arbitrantur commodatum, ſi gratia ſolius tradentis ſint, ſemper tranſire in depoſitum p. 391. Si commodatarius reſtitutionem faciendam committat nuncio minus idoneo, in culpa ipſe eſt p. 392. Secus, ſi commodator ipſe nuncium minus idoneum mittat ad commodatarium, ut eidem rem tradat commodatam p. 392. Quid, ſi commodatarius remittat rem commodatam nuncio proprio idoneo, de cujus fide nullus unquam dubitavit p. 392. Quid juris, ſi commodatarius occaſione incendii, aut naufragii, non poteſt ſimul & ſemel ſervare incolumes res proprias, & res commodatas p. 392. & ſeq. An commodatarius utens commodato ad uſum, pro quo res non fuit commodata, teneatur p. 393. An revocans commodatum ante tempus teneatur de damno, quod patitur commodatarius p. 394. & ſeq. Quid, ſi commodans ex inopinato eventu æquale, vel majus damnum patiatur p. 395. An commodatarius rem teneatur reſtituere in ſuo priſtino ſtatu p. 395. & ſeq. An commodans vaſa vitioſa teneatur de damno p. 396. & ſeq.

Compenſatio quid ſit p. 277. An in aliquibus caſibus occulta compenſatio liceat p. 278. & ſeq. Propoſitiones damnatæ ſuper hac re p. 279. Conditiones ad juſtam compenſationem p. 280. & ſeq. An compenſatio locum habere poſſit in depoſito p. 402.

Conductio. V. Locatio.

Confeſſarius abſolvens a quo non poteſt, an teneatur, & ad quid p. 26. & ſeq. Abſolvens uſurarium manifeſtum, quin prius ſatisfaciat, aut cautionem præſtet, an teneatur p. 106. & ſeq.

Cooperatores, ſeu cohortatores ad damnum quinam ſint p. 290. Exponuntur novem cooperandi modi p. 293.

Conſanguinei, & amici uſurarii, qui comedunt de bonis ipſius, an teneantur ad reſtitutionem p. 150. & ſeq.

Contractus. Quid ſibi velint contractus vel quaſi, maleficium vel quaſi p. 118. Contractus non tenet, quando intervenit dolus p. 387.

Contumelia & convicium quid ſint, & quomodo differant p. 56. Contumelioſus & conviciator ad quid teneantur p. 55. & ſeq. Ab hoc onere excipiuntur quandoque Prelati p. 57. Cui ſemel remiſſa fuit injuria, is amplius

non

non tenetur ad petendam veniam p. 57. & ſeq.
Creditum, & Creditores. An illi, quibus ab uſurario aliquid debetur ex contractu &c. poſſint ab eodem recipere, quod ſibi debetur p. 766. Creditores perſonales qui ſint, qui hypothecarii p. 765. Qui Chirographarii p. 776.
Culpa alia eſt Theologica, alia juridica, alia lata, alia levis, alia leviſſima, & omnes declarantur p. 311. et ſeq.

D

Damnum. Damnum alterius præcipiens an teneatur p. 330. An teneatur damnum unice conſulens p. 331. & ſeq. An qui conſilio ſuo tantum movet ad damnum facilius inferendum teneatur p. 334. & ſeq. An item teneatur, ſi conſilium revocet p. 335. & ſeq. An parato ad inferendum majus conſulens damnum minus teneatur p. 336. & ſeq. Proponentes in conſiliis ea, quæ cedunt in damnum proximi, an teneantur p. 337. Utrum audiens damnum alteri illatum, illudque ratum habens, teneatur p. 345. Non contradicens, ſed tacens in conſilio, in quo damnum proximi proponitur, an teneatur p. 345. & ſeq. Videns alium inferentem damnum, & non clamans, nec obſtans, an teneatur p. 353. & ſeq. Cuſtodes vinearum &c. non clamantes, nec accuſantes, dum vident inferri damnum, an teneantur p. 357. & ſeq. Damnum emergens quid ſit p. 437. Quæ conditiones ad ipſum requiruntur p. 438.
Depoſitum. An depoſitarius teneatur p. 398. Quid ſit depoſitum p. 398. Depoſitarius in nonnullis caſibus tenetur etiam de leviſſima p. 399. & ſeq. An depoſitarius ſemper teneatur reſtituere depoſitum deponenti p. 401. & ſeq. An theſaurarius, ſi negotietur cum pecunia ſibi tradita per modum quaſi depoſiti, lucrum inde ſuſceptum faciat ſuum p. 402. & ſeq. An nauta teneatur, ſi amittatur res in ipſius navi depoſita p. 403. & ſeq. An, ſi peregrinus intret navim, & non oſtendat res, quas in ea deponit, ſtari debeat ipſius Sacramento, ſi adſerat fuiſſe amiſſas p. 404. An utens depoſito teneatur p. 406. & ſeq. An ea, quæ accedunt rebus depoſitis, haberi debeant tamquam depoſita p. 407. An ſit credendum depoſitario, qui in judicio conſtitutus adſerit, ſe uſum fuiſſe depoſito, quia putabat Dominum id eſſe permiſſurum p. 407. & ſeq. An deponens capſulam, obſeratam, in qua inter alia habebat nummos, poſſit eos repetere, ſi in reſtitutione capſulæ itidem obſeratæ eoſdem non inveniat p. 408. & ſeq. An, cum depoſitarius utitur re depoſita Domino id permittente, adhuc habeatur vera ratio depoſiti p. 409. An deponenti liceat revocare depoſitum pro libito p. 409. An, cum deponitur pecunia non obſerata, ſed unice numerata, hoc ipſo præſumatur conſenſus Domini, ut depoſitarius ea utatur p. 409. & ſeq.
Deriſio quid ſit p. 61. Quale ſit peccatum p. 61. & ſeq.
Detractio quid ſit p. 63. Ad quid teneatur detractor p. 63. & ſeq. Quando detractio ſit mortalis, & quando venialis p. 64. & ſeq. An teneatur ad reſtitutionem qui publicavit occultum alterius peccatum p. 67. An teneatur, qui omnino dicit, ſe audiviſſe peccatum de hoc, vel de illo p. 71.
Domini terrarum, qui non cogunt ſibi ſubditos ad reſtituendas uſuras, an teneantur p. 91. Id quoad Judæos injunctum fuit ab Innocentio III. p. 92. Dominus animalis, quod alteri damnum infert, an teneatur p. 318. & ſeq. Quid, ſi abſque Domini culpa p. 320. Quid, ſi Dominus potuit, & debuit impedire damnum p. 320. Quid, ſi inferens damnum ſit ipſius ſervus, aut famulus p. 321. & ſeq.
Dominium. Utrum uſurpans dominium ali-

alicujus rei, teneatur eam reſtituere p. 639. & ſeq. Utrum ille, qui per alluvionem aliquid acquirit terræ ſuæ additum, teneatur p 648. et ſeq.

Donatio. Utrum accipiens aliquid ex dono ab eo, qui non poteſt donare, teneatur p. 476. et ſeq. Donatio quid ſit, et ipſius diviſio p. 476. Quid ſit donatio inter vivos, & quid donatio cauſa mortis. p. 477. Quot modis revocari poſſit donatio cauſa mortis p. 477. Quomodo differat a donatione inter vivos p. 478. Ob quas cauſas revocari poſſit donatio inter vivos p. 478. et ſeq. Furioſus, et qui non eſt compos mentis, donare non poteſt p. 480. Non prodigus p. 480. Non minor viginti quinque annorum p. 480. et ſeq. Non ſervus, et filius familias p. 481. et ſeq. Non Clauſtralis, vel Religioſus p. 483. et ſeq. Non Abbas p. 484. et ſeq. Non uxor, quæ non habet aliquid ultra dotem p. 485. et ſeq. Non interdictus a jure, ne dones p. 488. Non miles meretrici, vel concubinæ p. 489. & ſeq. Nec pater filio, vel filiæ, demptis nonnullis caſibus p. 491. et ſeq. Poteſt tamen mater donare tum filio, tum filiæ p. 492. et ſeq. Donare non poſſunt qui nequeunt teſtari, nec qui dominium non habent, fures puta etc. p. 493. Donatio bonorum omnium inter vivos eſt vetita p. 494.

Dos. Accipiens in uxorem filiam uſurarii an teneatur reſtituere dotem p. 161. et ſeq. Utrum non reſtituens dotem tempore debito teneatur p. 439. Res immobiles habitæ pro dote ſtatim debent reſtitui, et poſt annum res mobiles p. 439. et ſeq. Quid de uxore, ſi dos conſiſtat in ſolis mobilibus p. 440. et ſeq. An ſtatim dos reddi debeat, ſi ſolvatur matrimonium propter conſanguinitatem p. 441. Dos quid ſit, quid profectitia, et quid adventitia p. 702. et ſeq. Dominium dotis pertinet ad filium, et uſusfructus ad patrem p. 705.

E

Eccleſia. Eccleſiæ in bello etiam juſto incendi nequeunt directe, ſed duntaxat indirecte p. 218. Confugientes in bellis ad Eccleſiam ſunt reſtituendi, niſi ea abutantur p 219. et ſeq. An Eccleſia teneatur de depoſito facto ipſius Prælato, ſi pereat depoſitum p. 404. et ſeq.

Effodiens ſemina de agris an teneatur ad omne illud, quod venire inde poterat p. 304.

Eleemoſyna. Recipientes eleemoſynam ab uſurariis an teneantur p. 165. et ſeq. furans, ut faciat eleemoſynam, an teneatur p. 274. et ſeq.

Emancipatio quomodo olim fiebat p. 491. Emancipationis effectus p. 492.

Emere. An ſcienter emens rem raptam teneatur reſtituere, et quid, et quantum p. 364. et ſeq. An ſcienter eam emens, ſed neſciens eſſe vetitum eandem emere, teneatur p. 367. et ſeq. Emens bona fide rem raptam, neſciens eam eſſe raptam, an teneatur p. 369. Quid, ſi erat in bona fide dum emit, et poſtmodum incepit dubitare: teneatur ne, ſi rem vendat tali dubitatione durante, Domino poſtea venienti reſtituere pretium p. 371. et ſeq. Quid, ſi dum illam emit, dubitabat eandem eſſe furto ſublatam p. 372. An emens rapta, ut ea Domino reſtituat, poſſit pretium ſolutum a Domino repetere p. 372. et ſeq. Quid, ſi res pereat Domino nondum invento p. 374. Ad quid teneatur emens, de quo nunc, ſi non poſſit invenire Dominum p. 374. et ſeq. Emens res Eccleſiæ an teneatur eas reſtituere p. 375. et ſeq. Emens aliquid nomine ſuo cum pecunia alterius an teneatur p. 379. et ſeq. Emptum ex pecunia Eccleſiæ non eſt ementis p. 380. et ſeq. Emens a furioſo, prodigo, minore &c. An teneatur p. 381. et ſeq.

Emphy-

Emphyteuta non ſolvens penſionem per biennium poteſt expelli, dum agitur de rebus Eccleſiæ; nam, ſi de aliis rebus agatur, requiritur triennium p. 418. Quid intelligatur per hoc biennium, aut triennium p. 418. Quid ſit Emphyteuſis p. 418. et ſeq. Utrum Emphyteuta (idem de conductore) teneatur ſolvere penſionem, quando propter terræ ſterilitatem nihil percepit p. 419. et ſeq. Qualis debeat eſſe hujuſmodi ſterilitas p. 421. An idem debeat dici de ſimplici partiario p. 421. An propter ubertatem augeri debeat penſio, ſicuti diminuitur propter ſterilitatem p. 422.

Exactio. Dominus aliquid exigens a ſubditis an teneatur p. 221. et ſeq. Quid, ſi ſint perſonæ Eccleſiaſticæ p. 228. Harum immunitas p. 228. et ſeq. Attendenda tamen ſunt privilegia, et Concordata ſuper hac re p. 234.

Excommunicati in cap. *Ex gravi* in Clementinis *de uſuris* an teneantur, et qui ſint p. 93. et ſeq.

Exemplum. An qui malo exemplo alios inducunt ad peccandum teneantur ad reſtitutionem p. 13.

Expenſæ aliæ ſunt neceſſariæ, aliæ utiles, aliæ voluptuariæ, & quænam ipſæ ſint p. 286. et ſeq. Utrum in diviſione fratrum veniant expenſæ factæ a patre uxori unius ex filiis p. 714. et ſeq. Utrum expenſæ factæ a patre in peculio filii adventitio conferri debeant in commune mortuo patre p. 717. et ſeq. Expenſæ funeris p. 769. Expenſæ tempore ultimæ infirmitatis p. 769. et ſeq. Expenſæ pro inſinuatione teſtamenti, pro confectione inventarii, aliæve ſimiles p. 770.

F

Falcidia a quo ſic dicta, quæ ipſius origo, & natura p. 124.

Falſificatio. Falſum quid ſit, & quot modis principaliter committatur p. 505. Utrum falſificans Inſtrumentum, vel aliam ſcripturam teneatur p. 505. & ſeq. Pœna falſi p. 506. Quænam ſint ex Literæ Apoſtolicæ, de quibus Innocentius III. contra eas falſificantes p. 507. An iiſdem pœnis ſit obnoxius qui una duntaxat vice deliquit p. 505. Quot modis Literæ Apoſtolicæ falſificari poſſint p. 507. & ſeq. An falſificans menſuram, monetam &c. teneatur p. 509. & ſeq. Pœnæ contra hujuſmodi falſarios p. 511. & ſeq.

Famulus. Famuli uſurariorum an teneantur p. 96. & ſeq. Errat Concina ſcribens indefinite au[illegible] docere nonnullos ex iſtis neque peccare p. 98. An iidem famuli ſervientes in licitis mercedem conſtitutam poſſint accipere p. 158. & ſeq. An iidem peccent locando operas ſuas uſurario p. 160. Utrum famulus, qui pecuniam mutuam accepit pro Domino, ſed Domino inſcio, & ex ea lucrum fecit, teneatur reſtituere lucrum perceptum p. 464. & ſeq.

Fidejuſſio. An teneatur quilibet fidejuſſori ſuo ſatisfacere de omni damno, quod ei evenit ex fidejuſſione p. 423. & ſeq. Quis ſit fidejuſſor, & quæ ejus obbligatio p. 423. An fidejuſſor in aliquibus caſibus poſſit agere contra principalem debitorem, ut eum a fidejuſſione liberet p. 424 & ſeq. Utrum fidejuſſores aliquo beneficio juventur p. 425. & ſeq. Quid ſit beneficium diviſionis, ſeu Epiſtolæ Hadriani, quo gaudet fidejuſſor, & quibus in caſibus ceſſet p. 425. & ſeq. Ubi reperiatur laudata Epiſtola p. 426. Quid ſit beneficium ordinis, ſeu excuſſionis, & quibus in caſibus ceſſet p. 426. & ſeq. Quid ſit beneficium cedendarum actionum p. 427. & ſeq. Fidejubere non poteſt mulier demptis nonnullis caſibus p. 517. & ſeq.

Filius. Filius uſurarii, qui habuit aliquid a patre, ut fieret Doctor, an teneatur ipſum reſtituere p. 155. & ſeq. An filius illegitimus, qui completa

Digitized by Google

præſcriptione ſe cognoſcit talem, teneatur reſtituere p. 551. & ſeq. Qui ſint naturales, qui ſpurii, qui ex damnato coitu p. 551. & ſeq. Naturales legitimantur per ſubſequens matrimonium p. 553. Filii ex adulterio ſuſcepti non ſuccedunt in hæreditatem patris p. 554. & ſeq.

Filius familias. Utrum filius familias, qui lucratur negotiando cum pecunia patris, teneatur fratribus lucrum communicare poſt mortem patris p. 698. & ſeq. Quid juris, ſi pecunia patris fuiſſet omnino otioſa, & veluti mortua p. 700. U[illegible] omne acquiſitum per filium ſit præſumendum ex bonis patris in dubio, & iccirco communicandum p. 700. & ſeq. Utrum filius familias, qui ex morte uxoris ſuæ vigore ſtatuti lucratur dotem, aut partem ipſius, teneatur eam communicare inter fratres p. 702. & ſeq. Utrum donatum vel relictum ab extraneo filio familias, ſit communicandum p. 705. & ſeq. Utrum donatum filio familias ſub hac conditione, quod illud habeat in caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe, fieri debeat commune p. 707. & ſeq. Utrum donatum filio familias militi, Advocato &c. ſine aliqua expreſſione, ſit caſtrenſe, vel quaſi p. 709. & ſeq. Utrum libri empti a patre filio familias debeant fieri communes cæteris fratribus poſt mortem patris p. 710. & ſeq. Utrum pecunia data filio a Patre pro ſtudio ſit ei imputanda mortuo patre p. 712. & ſeq. Utrum filius, qui, vivente patre, & de mandato patris incepit ſtudere, mortuo patre ſtudium poſſit abſolvere communibus expenſis p. 713. & ſeq. Utrum pecunia a patre donata filio conferenda ſit in commune p. 720. & ſeq. Utrum, patre ſe obligante pro delicto filii, ſolutio fieri debeat mortuo patre cum parte hujus filii, vel cum communi hæreditate p. 721. & ſeq.

Frater. Utrum fratres teneantur emendare damnum, quod pater intulit in bonis adventitiis unius filii p. 723. & ſeq. Utrum lucrum, quod unus fratrum facit mercando cum pecunia hæreditaria, aliis fratribus ſit communicandum p. 724. & ſeq. Ubi plures ſunt fratres indiviſi, & in communi viventes, ſi unus ex ipſis cum communi pecunia communi nomine negotietur; lucrum proveniens eſt commune p. 726. Communi nomine cenſetur, ſi continuat nogotium, quod fiebat a communi patre p. 726. & ſeq. Immo commune etiam erit lucrum, ſi negotietur nomine proprio, tametſi plures ſecus opinentur p. 727. & ſeq. Utrum damnum, ſi quod ſequatur ex tali mercatura, debeat etiam eſſe commune inter fratres p. 728. & ſeq. Utrum debitum ab uno ex fratribus contractum poſt mortem patris ſit commune p. 729. & ſeq. Utrum frater duos habens filios laborantes poſſeſſionem communem cum altero fratre filiis deſtituto, debeat æqualiter dividere fructus ex tali cultura provenientes p. 730. & ſeq.

Fraus. An accipiens ex dono, vel alio modo, ab eo, qui alienat in fraudem creditorum, teneatur p. 502. & ſeq. Utrum facientes fraudem legi teneantur p. 517. & ſeq.

Fructus dividi ſolent in naturales, induſtriales, mixtos, & civiles, & quinam ii ſint p. 283. & ſeq.

Fugere. Malefactor fugiens de manu Officialis an teneatur p. 173. & ſeq. Injuſte detentus & damnatus an poſſit fugere p. 175. An poſſit jure damnatus ad carcerem, exilium, aut mulctam p. 175. An poſſit juſte damnatus ad carcerem perpetuum, vel ad triremes p. 176. An poſſit juſte damnatus ad mortem, vel ad aliam gravem pœnam corporis p. 176. & ſeq. An reus poſſit fugere, ſi Judex ipſi fugam prohibeat p. 177. An idem reus poſſit, ſi prævideat damnum Cuſto-

ſto-

ſtodis p. 177. & ſeq. An, ſi idem juraſſet ſe rediturum, aut fugam non capturum, teneatur redire, aut non fugere p. 178. An in caſibus, in quibus reus poteſt fugere, teneatur ad fugam p. 178. & ſeq. An cui licet fugere, liceat etiam rumpere vincula &c. p. 179. & ſeq. An in caſibus, in quibus reo licet fugere, liceat etiam aliis eidem conſulere fugam, aut ipſum adjuvare p. 182. & ſeq. An reus juſte detentus licite poſſit a Cuſtodibus petere, ut ipſi fugam permittant, aut eos ad id inducere promiſſa pecunia p. 183. & ſeq.

Furtum quid ſit p. 269. An furans in extrema neceſſitate teneatur p. 269. & ſeq. Quotuplex ſit neceſſitas p. 270. An furans in extrema neceſſitate teneatur eadem tranſacta p. 272. Peregrinus extrema neceſſitate preſſus ubi eſt, & alibi bonis abundans, an teneatur ſi in ea aliquid ſurripiat p. 273. Abſolute pauper in extrema neceſſitate ſurripiens ipſi neceſſarium, an teneatur veniens ad pinguiorem fortunam p. 273. Aliena ſurripiens nondum factus ſupra modum pauper, eaque in extrema neceſſitate conſumens, an teneatur meliorem fortunam adeptus p. 273. Furans duntaxat uſum rei, an teneatur p. 275. et ſeq. Furtive ſibi ſatisfaciens, dum non poteſt habere ſuum, an teneatur p. 277. et ſeq. Fur utrum teneatur reſtituere, & rem, & fructus rei p. 282. & ſeq. Fur utrum petere poſſit expenſas factas in re furtiva p. 286. et ſeq. Qui vadunt cum furibus, ut eos, ſi opus ſit, defendant, an teneantur p. 290. et ſeq. Dum multi concurrunt ad furandum, et unus alium non induxit, an omnes teneantur in ſolidum p. 295. et ſeq. Commodantes ſcalam ad furandum &c. an teneantur p. 299. et ſeq. Dantes ſignum, ut alii currant ad furandum, an teneantur p. 300. et ſeq. Conſentiens furto an teneatur p. 342. et ſeq. Adulator, ſeu palpo, laudans furem an teneatur p. 346. et ſeq. Receptatores furum, aut rei furtivæ, an teneantur p. 348. et ſeq. Qui inter receptantes adnumerari debeant p. 350. Edentes de rapina et furto an teneantur p. 351.

G

GAbellæ. Fraudantes gabellas an teneantur p. 250. et ſeq. Egregia doctrina Alphonſi de Caſtro ſuper hac re p. 252. Exigentes gabellas injuſtas an teneantur p. 255. et ſeq.

Gloſſa. Quanta, et qualis ſit ipſius auctoritas p. 146.

H

HÆres. Hæres uſurarii an teneatur ad reſtituendas omnes uſuras illius, cujus eſt hæres p. 118. et ſeq. Cum duo ſunt hæredes ejuſdem uſurarii, et unus ex his efficitur non ſolvendo, an alter teneatur in ſolidum p. 126. et ſeq. An hæres teneatur ſolvere infra annum legata ad pias cauſas p. 147. et ſeq. Utrum hæres teneatur ex delicto defuncti p. 469. et ſeq. An hæres teneatur ad vota defuncti p. 471. et ſeq. Utrum hæres teneatur ad omne id, ad quod tenebatur ille, cujus eſt hæres, ex contractu vel quaſi p. 472. et ſeq. Quid juris, ſi hæres prævenite velit tempus pro ſolutione adſignatum p. 474.

Horæ Canonicæ quot p. 30. Ipſarum origo p. 30. Propoſitiones damnatæ ſuper iiſdem p. 30. et ſeq. Qui teneantur ad eas recitandas p. 31. Eas omittens ad quid teneatur p. 31. et ſeq. Quid, ſi ſit Beneficiarius p. 32. et ſeq.

Hypotheca quæ tacita, quæ expreſſa p. 765.

I

JActus. Accipiens aliquid jactatum in mari an teneatur p. 260. et ſeq.

Ignorantia. Qui ob propriam ignorantiam aliis damnum inferunt, an teneantur

Digitized by Google

neantur p. 309. et ſeq. Ignorantia facti craſſa, vel ſupina, an excuſet ementes rem raptam p. 368. et ſeq. An, et quæ ignorantia impediat, vel efficiat præſcriptionem p. 595.
Impediens piſcatorem a piſcatione, ruſticum ab operibus ſuis, an teneatur p. 303. Impediens alium a conſecutione alicujus beneficii an teneatur p. 304. et ſeq. Impediens ne merx alia veniat, ut carius vendat propriam, an teneatur p. 328. et ſeq. Quandonam non impediens teneatur ad reſtitutionem p. 355. et ſeq.
Incendiarius an teneatur p. 263. et ſeq. Occaſione incendii res alienas diripiens an teneatur p.264.et ſeq. Timore incendii deſtruens domum vicini, ne ſua comburatur, an teneatur p. 265. et ſeq.
Injuria an tollatur per ſalutationem p.58. et ſeq. An teneamur quaſcumque injurias ſuſtinere p.55. Quid debeat, et poſſit agere injuriam paſſus p.59. et ſeq. Quid ſit actio injuriarum p.60. Quibus modis tollatur p.60. An expiret poſt annum p. 60. Quid juris, ſi injuriatus non vult componere cum injuriante, aut eum nimis gravat p. 66. An injuriatus teneatur remittere injuriam p. 74. An qui ſuffragium ferens conſentit injuriæ jam irrevocabiliter decretæ ſufficienti ſuffragantium numero teneatur p. 343. et ſeq.
Inſinuatio quid ſit p. 495. Sine inſinuatione non valet donatio ultra quingentos ſolidos demptis quibuſdam caſibus p. 494. et ſeq. Attendendæ tamen ſunt ſuper hac re leges patriæ p. 496. et ſeq.
Inſtitor qui ſit p. 463. Utrum mercatores teneantur pro contractibus inſtitorum p. 463. et ſeq.
Inventor. Utrum inventores rerum, quæ fuerunt ab aliquo perditæ, nec habentur pro derelictis, teneantur eas reſtituere p. 640. et ſeq. Utrum inventores rerum, quæ numquam fuerunt alicujus, teneantur p. 641. et ſeq. An, ſi fera caſu incidat in retem alienam, ſit primi occupantis, ſeu invenientis p. 643. et ſeq. Utrum inventores ferarum ſilveſtrium, quæ jam domeſticæ factæ ſunt, teneantur p. 643. et ſeq.
Judicium. Requiſitus in judicio ad dicendam veritatem, eamque negans, dum veritate cognita reſtitueretur res accepta, an teneatur p. 359. et ſeq. An, et quando quis teneatur in judicio teſtificari p. 360. et ſeq. An teneatur ad reſtitutionem, qui legitime citatus a Judice fugam arripit: itemque ille, qui ſe ſubtrahit, antequam citetur p. 605. et ſeq. Quando quis cenſeatur a Judice legitime interrogatus p. 606. et ſeq. Utrum Judex, qui malitia ſua ſententiam tulit injuſtam, aut qui juſtam dare noluit &c. teneatur p. 621. et ſeq. Utrum Judex, vel aſſeſſor, qui propter ignorantiam propriam male judicavit, teneatur p. 622. et ſeq. In cauſis civilibus illæſa conſcientia poteſt Judex ex neceſſitate probationum ſententiam ferre, quam privata notitia cognoſcit eſſe injuſtam p. 625. Id etiam poteſt in cauſis criminalibus, ſi agatur de abſolutione rei p. 626. Non item, ſi agatur de ejuſdem condemnatione p. 626. et ſeq. An Judices deputati a populis ad judicandum in aliquibus, teneantur, ſi ex ignorantia ſententiam ferant injuſtam p. 628. et ſeq. An Judex, qui per metum injuſte judicavit, teneatur p. 629.et ſeq. Utrum Judex, vel aſſeſſor, qui habent ſalarium, teneantur reſtituere quidquid extorquent. p. 632. et ſeq. Judex non poteſt convenire cum Aſſeſſore de participando lucro p. 635. Judices, quibus determinata merces aſſignata non eſt, poſſunt aliquid accipere juxta morem patriæ p. 635. Propoſitiones damnatæ quo ad Judicem p. 638.

Le-

L

Legatum quid ſit, quid profanum, quid pium, ſeu ad pias cauſas p. 447. Præcipuum privilegium legatorum ad pias cauſas p. 447. et ſeq.

Legitima quid ſit, qualis eſſe debeat, et quid ſit ſolvendum ante ipſius detractionem p. 123.

Lex. Nonnullæ leges Moſaiçæ a Chriſtianis ſtatui poſſunt, quin judaizent p. 42. lege Juria quid erat vetitum, et quid injunctum lege Voconia p. 124. Lex duodecim Tabularum quid fuerit, et ipſius origo p. 130. Quæ leges juſtæ, quæve injuſtæ p. 339. Lex commiſſoria quid ſit p. 434. Leges pœnales quando obligant in conſcientia ante ſententiam Judicis, et quando non p. 581. et ſeq.

Lis. Utrum temere litigantes teneantur ad intereſſe partis p. 614. et ſeq. Iniquum non eſt litem conteſtari, nec exercere Juriſprudentiam, quæ circa lites præſertim verſatur p. 615.

Locatio. Locantes domos uſurariis manifeſtis alienigenis ad fœnus exercendum, an teneantur p. 115. et ſeq. Pœnæ canonicæ adverſus eoſdem p. 116. Quid, ſi non locent ad fœnus, ſed ad alia opera uſurariorum p. 117. Quinam occaſionem dederunt Conſtitutioni Gregorii X. prædictas pœnas infligenti p. 117. Locatio quid ſit, quid locator, quid conductor, et quæ varia hujus nomina p. 411. An locator locans rem vitioſam teneatur de damno p. 411. et ſeq An teneatur conductor, ſi perit res locata p. 412. An locans operas ſuas teneatur, ſi damnum intulit p. 413, et ſeq. An ſic locans teneatur de leviſſima p. 413. et ſeq. An locator expellens conductorem ante tempus teneatur p. 414. et ſeq. An inquilinus quandoque poſſit deſerere domum locatam, ſicuti Dominus eum quandoque poteſt expellere p. 419.

Lucrum ceſſans quid ſit p. 437. Quid requiritur, ut ſit verum lucrum ceſſans p. 438.

Ludus. Utrum acquiſita in ludo aleæ ſint reſtituenda p. 520, et ſeq. Quid ſit ludus, et quotuplex p. 521. et ſeq. Ludus aleæ generatim loquendo prohibitus eſt tum laicis, tum Clericis p. 522. et ſeq. An ludus alearum ſit peccatum, et quale p. 526. et ſeq. Quæ adverſus aleatores conſtituit S. Carolus Borromæus p. 527. et ſeq. Utrum dans damnum, vel aliquid accipiens in domo tenentis ſimiles ludos, teneatur p 534. et ſeq. Utrum emens rem ludentis poſſit agere contra vendentem, ſi evincatur ab eo p. 535. Utrum mutuo dans pecuniam luſoribus, ut ſecum ludant, poſſit eam repetere p. 535. et ſeq. Utrum lucratum in ludo alearum ſit reſtituendum ei, qui amiſit p 536. et ſeq. Utrum ille, qui aliquando perdit, aliquando vincit, poſſit uti compenſatione p. 538. et ſeq. Utrum ludus induſtriæ, puta latrunculorum &c., ſit prohibitus, et lucrans teneatur reſtituere p. 540. et ſeq. An abſolvi poſſint, qui tenent domos paratas ad ludendum p. 542. et ſeq.

M

Medicus conſulto in longum trahens curationem infirmi ad quid teneatur p. 44. et ſeq. Quid, ſi damnum adferat ex imperitia, vel alia ſui culpa p. 45. et ſeq. Quæ præſtare debet in curatione infirmi p. 46. et ſeq.

Meretricium toleratur in Eccleſia, ne pejus contingat p. 693. Acquiſita per meretricium non ſunt neceſſario reſtituenda p. 694. et ſeq. Excipe, ſi meretrix aliquid extorſit per fraudem, et dolum: aut ſi accepit ab iis, qui alienare non poſſunt p. 695. et ſeq.

Metus. Aliquid extorquens per metum an teneatur p. 237. et ſeq. Metus quid ſit, et quotuplex p. 238. An contra extor-

torquentem per metum poſſit agi intra et ultra annum et ad rem, et ad pœnam p. 238. et ſeq. An in caſu talis extorſionis quilibet poſſeſſor conveniri poſſit in jure canonico p. 239. et ſeq. An recipientes ab eo, qui donat per metum, teneantur p. 499. et ſeq.

Mutuum. Impediens volentem dare mutuum gratis an teneatur p. 104. Mutuam dantes pecuniam uſurario an poſſint eam repetere p. 164. et ſeq. An mutuum accipiens in extrema neceſſitate, et illud in eadem poſitus conſumens, teneatur ipſa tranſacta p. 272. An retinens mutuum ultra terminum præfixum teneatur ad intereſſe lucri ceſſantis p. 437. et ſeq. In mutuo reperiri poſſunt veri tituli ad recipiendum aliquid ultra ſortem p. 437. An in mutuo poſſit apponi pœna conventionalis p. 577. et ſeq.

N

Naufragium. Rapientes res illorum, qui naufragium patiuntur, an teneantur p. 257. et ſeq. Quid, ſi naufragium patiens pirata ipſe ſit, vel Chriſtiani nominis hoſtis p. 259. Tempore naufragii in portubus Papæ ſubjectis auxilium præbentes ad recuperationem bonorum lucrantur quartam partem eorumdem p. 262. Et non dantes auxilium naufragantibus inibi incurrunt crimen læſæ majeſtatis p. 262.

Negotium. Utrum agens negotia alterius teneatur ei ad intereſſe lucri ceſſantis, et damni emergentis p. 465. et ſeq. Utrum ille, pro quo quis agit negotia utiliter, obligetur eidem p. 467. et ſeq.

Notarii conficientes inſtrumenta de ſolvendis uſuris an teneantur p. 87. et ſeq. An teneantur etiam reſtituere mercedem acceptam p. 89. An teneantur, ſi recipiant teſtamentum uſurarii manifeſti abſque debita cautione p. 110. An teneantur, ſi lacerent teſtamenta, aut libros mercatorum p. 301. et ſeq. Quid, ſi ſolum occultent p. 301. et ſeq.

Novi operis nunciatio quid ſit p. 651. Leges civiles ſuper hac re a ſacris Canonibus adprobantur p. 653.

O

Obligatio. Obligans ſe ſponte ad reſtituendum pro uſurario, an teneatur de proprio ſi bona uſurarii non ſufficiant p. 125. et ſeq. An quis ex nudo pacto, ſive ex nuda promiſſione obligetur in foro conſcientiæ p. 450. et ſeq. An obligatus tantum in foro civili teneatur in conſcientia ad ſolutionem p. 456. An obligatus jure naturali et civili teneatur p. 457. An plus petens ab obligato teneatur p. 473. et ſeq.

Occiſio. An Principibus facultas conceſſa ſit extrema mortis pœna plectendi homines facinoroſos p. 37. et ſeq. Vindicatur Scotus ſuper hac re p. 38. Occidens hominem privata auctoritate ad quid teneatur. p. 47. & ſeq. Occidens injuſtum aggreſſorem an teneatur p. 48. et ſeq. An, ut hoc fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, expectare quis debeat, quod percutiatur p. 51. Propoſitiones damnatæ ſuper occiſione p. 52. An ad tuenda bona temporalia magni momenti occidi poſſit rapiens p. 52 et ſeq. Propoſitiones damnatæ a Bened. XIV. ſuper hac re p. 53. & ſeq.

Opinio. Cui opinioni ſit adhærendum, dum non conveniunt Doctores p. 138. et ſeq. Dum una opinio habet pro ſe legem apertam præferri debet alteri p. 140. In defectu legis ſtandum eſt conſuetudini p. 140. Quæ validioribus rationibus innititur alteri eſt præponenda p. 141. Quid de opinione, quæ in jure dicitur ſubtilior p. 141. Opinio innixa æquitati præponenda eſt rigori ſcripto p. 143. Opinio benignior ſecundum jura p. 144. et ſeq. Qualis ea ſit p. 145. et ſeq. Opinio junioris quandoque præponi poteſt antiquis p. 147. In pugnantia Doctorum cæteris paribus in re Theologica præponitur Theologus, in Canonica Canoniſta, et

Digitized by Google

& in legali juriſperitus . pag. 147. et ſeq. Dum Eccleſiæ Patres pugnant inter ſe ſe Auguſtinus præfertur in quæſtionibue, Ambroſius in ſermonibus, Hieronymus in tranelationibus, et Gregorius in moralibus p. 148.

Ordo in reſtitutione. Utrum ille, qui reſtituere multa debet et certa, et incerta, ſervare debeat aliquem ordinem in reſtituendo p. 761. et ſeq. Utrum obligatus ad reſtituendum multa ex contractu vel quaſi, et ex maleficio vel quaſi, nec valens omnibus reſtituere, debeat prius reſtituere creditoribus ex contractu, quam ex maleficio p. 763. et ſeq. Utrum obligatus multie creditoribus, et non valens omnibus ſatiſfacere, debeat prius ſolvere uni, quam alteri p. 765. et ſeq. *Primo reſtituendum* eſt Dominis rerum, ſi res adhuc extant p. 766. et ſeq. Secundo venditoribus rerum, ſi res venditæ adhuc exiſtant p. 767. et ſeq. Tertio uxoribus cæteris paribue p. 768. et ſeq. Ante quemcumque creditorem etiam privilegiatum ſolvendæ ſunt expenſæ funeris p. 769. Item expenſæ factæ tempore ultimæ infirmitatis p. 769. et ſeq. Item expenſæ factæ pro inſinuatione teſtamenti, pro confectione inventarii, alievæ ſimiles p. 770. Fiſcus cum uxore eodem privilegio gaudet, et fiſcum inter et uxorem præfertur qui prior eſt tempore p. 771 Quarto ſolvendum eſt omnibus habentibus hypothecas tacitas, ſeu quaſi expreſſas, et in iſtis qui prior eſt tempore, potior eſt in jure p. 773. & ſeq. Quinto deponentibus, ſi depoſitum non amplius extat p. 775. Quid juris, ſi plures ſint hujuſmodi deponentes p. 775. Sexto privilegiariis ſimplicibus, iis nempe, qui babent privilegia perſonalia, non realia p. 775. et ſeq. Septimo Chirographariis pro rata, non autem attenta prioritate contractuum p. 776. et ſeq. Si in ordine reſtitutionis aliter caveatur per ſtatutum municipale, huic ſtandum eſt in coſcientia p. 778. Utrum ſolvere debene et legatariis, et creditoribus, nec valens omnibus ſatisfacere, præponere debeat legatarios p. 779. et ſeq. Utrum non ſervans ordinem expoſitum, ſed indifferenter ſolvens primo venientibus, teneatur in conſcientia ad reſtitutionem p. 781. et ſeq.

P

PActum. Pactum quid ſit, et quomodo differat a pollicitatione, conventione, ſtipulatione, et promiſſione p. 451. Quid ſit pactum veſtitum, et quid nudum p. 451. et ſeq.

Papa, dum loquitur tamquam Doctor privatus, ſalva reverentia oppugnari poteſt p. 541. et ſeq. Egregium teſtimonium Benedicti XIV. ſuper hac re p. 542. et ſeq.

Pater. An teneatur dotare filiam nubentem ipſo inſcio, et invito p. 25. et ſeq. Utrum pater obligetur ex contractu filii p. 460. et ſeq. Pater non poteſt conſtituere hæredes filios ex adulterio ſuſceptos p. 554. et ſeq. Quænam ſunt cauſæ juſtæ, ob quas pater poteſt exhæredare filios p. 735. et ſeq.

Peculium quid ſit p. 462. De caſtrenſi et quaſi caſtrenſi peculio filiorum p. 707. et ſeq.

Pedagia, Guidagia, et Salinaria quid ſint, pro quibus exigantur, et ob quas cauſas p. 243. et ſeq. Falſum eſt, quod exactio pedagiorum magis gravet pauperes, quam divites p. 248. Imponi poſſunt etiam extraneis tranſeuntibus p. 248. et ſeq. Non tamen Clericie pro rebus, quas non deferunt cauſa negotiationis p. 249. et ſeq. Attendi tamen debent legitima Concordata ſuper hac re p. 250. An Chriſtiani teneantur ſolvere pedagium Principibus Sarracenis p. 254.

Pignus. Utrum utens pignore teneatur p. 429. et ſeq. Quid ſit pignus, et quomodo differat ab hypotheca p. 429.

Fru-

Fructus pignoris computantur in ſortem. Excipitur gener ſuſtinens onera matrimonii p.429. et ſeq. Si pignus accipiens dedit mutuum Domino pignoris, et cum hoc convenit de uſu uſura eſt, et quando p. 430. et ſeq. Utrum accipiens pignus teneatur, ſi deterius fiat, vel ipſum amittat p. 431. et ſeq. An liceat pactum Antichryſeos pignori adjectum p 433. et ſeq. An liceat pactum legis commiſſoriæ in contractu pignoris p. 434. et ſeq. An hoc pactum ſaltem liceat, dum agitur de dote p.436. An licitum ſit pactum, ut, ſi debitor non ſolvat intra determinatum tempus, pignus, juſto tamen pretio, cenſeatur venditum p. 435. An liceat paciſci, quod, ſi debitor ſtatuto tempore non ſolvat, poſſit creditor aliis vendere pignus, et reſtituere quod ſupereſt p. 436.

Pœna. Utrum pœna appoſita inter contrahentes poſſit exigi p. 576. Pœna quid ſit, & diſcrimen inter poenam & mulctam p.576. Poena alia civilis, alia criminalis, alia legalis, alia judicialis, alia conventionalis, alia ordinaria, alia extraordinaria, alia latæ, alia ferendæ ſententiæ, & omnes declarantur p. 576. Utrum tota poena poſſit exigi per ſe principaliter p. 578. & ſeq. Utrum ſolutio poenæ juris, vel ſtatutorum, neceſſaria ſit in conſcentia p. 579. & ſeq.

Pœnitentiam a Confeſſario injunctam adimplens in ſtatu peccati an ſatisfaciat, et ad quid teneatur p.33. & ſeq.

Poſſeſſor. An, & quod diſcrimen ſtatuendum ſit inter poſſeſſorem malæ fidei cum titulo, & eundem ſine titulo in reſtitutione fructuum percipiendorum p. 285. & ſeq. Poſſeſſor nedum bonæ, ſed etiam malæ fidei tollere poteſt omnes expenſas voluptuarias factas, ſi id fieri queat abſque læſione rei p. 288. Quodnam in hoc caſu diſcrimen ſit inter unum & alterum poſſeſſorem p. 288. Poſſeſſio alia eſt naturalis, alia civilis, alia civiliſſima, & hæ omnes exponuntur p. 596.

Præcidere. Præcidens arborem vicini damnum ipſi afferentem an teneatur p. 328.

Prælati ſigillo munientes ſchedulas uſurariorum an teneantur p. 94. An aliquid recipere poſſint ab illis, quos viſitant p. 234. et ſeq. Quam pecuniæ ſummam iiſdem præbere debeant Eccleſiæ, dum non ſubminiſtrant victualia p. 235. & ſeq. An accipiens res Eccleſiæ a Prælatis Eccleſiaſticis teneatur p. 497. & ſeq.

Præſcriptio. Utrum præſcribens rem alienam, & poſtea cognoſcens eſſe alienam, teneatur eam reſtituere p. 583. & ſeq. Præſcriptio quid ſit p. 584. & ſeq. Veteres cum Authore diſtinguebant præſcriptionem ab uſucapione p. 584. Immerito eam improbarunt hæretici non pauci p. 585. & ſeq. Quantum temporis requiratur ad præſcribendum p. 586. & ſeq. Jus Canonicum in nonnullis correxit Jus civile ſuper præſcriptione p. 587. & ſeq. Hæres poſſeſſoris malæ fidei non poteſt præſcribere p 583. & ſeq. Ad præſcriptionem requiruntur bona fides, titulus, continua poſſeſſio, & quod res poſſit præſcribi p. 591. & ſeq. Quæ poſſeſſio requiratur ad præſcriptionem p. 597. An ſufficiat poſſeſſio civiliſſima p.597. Quando præſcriptio dormire dicatur, & quando interrumpi p. 597. & ſeq. Quid juris in præſcriptione inter præſentes, ſi præſcribens quibuſdam annis ſit præſens, abſens vero cæteris p.599. Utrum uſucapiens non teneatur reſtituere ſicuti non tenetur præſcribens p. 600. & ſeq.

Precarium quid ſit p. 395. Quæ ſit differentia inter commodatum & precarium p. 395.

Princeps. Principes ſunt in duplici differentia p. 200. & ſeq. Dum Principes jam bellantes pacem ineundo ſibi invicem damna remittunt, an hæc remiſ

ſio complectatur etiam milites utriuſque partis p. 201. & ſeq. An communitates in hoc caſu idem poſſint quod Principes p.204. & ſeq. Utrum Principes, qui gaudent Privilegio noroinandi circa beneficia, teneantur ad reſtitutionem, ſi recipiant pecuniam, ut electioni conſentiant p.565.

Procuratio, de qua jura, quid ſit p.236. Procurationi non ſunt obnoxii Conventus illi, qui in Decreto Innoceotii X. dicuntur parvi p.236.

Projicere. Projiciens aliquid de domo in via publica, & alium lædens, an teneatur p.327. et ſeq.

Promiſſio. Utrum promittens alicui ob cauſam, teneatur cauſa non ſecuta p: 468. et ſeq.

Proxenetæ uſurariorum an teneantur reſtituere p. 85 et ſeq. Quo ordine teneantur p.87. an poſſint aſſumi in teſtes eorum negotiorum, in quibus egerunt partes mediatoris p. 89. An poſſint uti occulta compenſatione ad reſtituendas uſuras p. 102.

Pupillus, pro quo tutor contractus edidit uſurarios, an teneatur p. 100. et ſeq. An pupillus, qui fecit proteſtationem, teneatur credere tutori poſtmodum ei dicenti ſe feciſſe uſuras p. 102. Pupillus qui ſit, qui minor, qui major p. 382. et ſeq. Pupillus poteſt contrahere ſine tutore, quando contractus cedit in commodum pupilli p.383. Pupillus pubertati proximus contrahens ſine tutore obligatur naturaliter, & in conſcientia, licet non obligetur in jnre p. 384.

R

RApina quid ſit, quid raptor p.167. Quomodo diſtinguatur a furto p. 169. An raptor mulieris, vel pueri, teneatur p. 167. et ſeq. An rapiens detentum in carcere pro ære alieno teneatur p 169. et ſeq. Rapiens Officiales tempore Sindicatus an teneator p.173. Raptores aliis damnum inferentes an teneantur p. 184. et ſeq. Quænam ſit pœna raptoribus in jure debita p. 185. et ſeq. Cur raptori duntaxat in morte pœnitenti, & tunc impotenti ad ſolvendum, non ſit concedendus honor ſepulturæ p. 187. et ſeq. Ipſi tamen concedendum eſt Viaticum p.187. Quod ſi poſſit ſolvere, & promittat ſatisfacere ſi convaleſcat, ſepultura Eccleſiaſtica ei deneganda non eſt p. 188. Rapientes in bello juſto de bonis Clericorum, aut Eccleſiarum, quæ ſunt in terris inimicorum, an teneantur p. 216. et ſeq.

Receptatores. V. Furtum.

Recipiens ab uſurario cautionem, hancque eidem reddens, vel delens, an teneatur de proprio p. 131. et ſeq. Recipiens dono, vel alio titulo lucrativo, res raptas, aut furatas, an teneatur p. 352. et ſeq.

Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ quid ſint p.570. et ſeq. Recitatur Regula de triennali poſſeſſione p 571.

Relaxatio reſtitutionis. Utrum abſque reali reſtitutione quis abſolvatur ab onere reſtitutionis ex relaxatione creditoris p.808. et ſeq. Caſus nonnulli, in quibus vetita eſt relaxatio, ſeu remiſſio: &, ſi fiat, debitori non prodeſt p. 809 et ſeq. Utrum qualiſcunque relaxatio, ſeu remiſſio, liberet debitorem ab onere reſtitutionis pag. 811. et ſeq. An compoſitio ſuper incertis fieri etiam poſſit ab Epiſcopis in propriis Diœceſibus, vel ad ſolum pertineat Romanum Pontificem p. 814. et ſeq.

Religio. An retrahens alium ab ingreſſu Religionis peccet p 16. An teneatur ad reſtitutionem p. 16. et ſeq. An ipſemet teneatur Religionem ingredi p.18. et ſeq. Depravatio alicujus Religionis inferenda non eſt ex vita hujus vel alterius Religioſi particularis p.18.

Religioſus, ſeu Monachus. Nihil hic poteſt habere proprii, & nihil donare ſine facultate Superioris p. 483. et ſeq.

Repreſaliæ quid ſint, & an licitæ p. 211. et ſeq.

Res Eccleſiaſticæ. Harum Eccleſiaſtici non ſunt veri Domini p.375. Quæ ſolemnitates requirantur ad eas abalienandas p.376. Excipiuntur illæ, de quibus in cap. *Terrulas* p 377. Excipiuntur immobilia relicta Religioſis illis, qui ex inſtituto ea nequeunt retinere, quæ ſine juris ſolemnitate vendi poſſunt 378. Declaratio S. Congregationis Concilii pro Fratribus Minoribus de Obſervantia ſuper hac re p. 373. Locatio earumdem rerum ad triennium fieri poteſt ſine beneplacito Apoſtolico p. 378. Quid intelligi debeat per hujuſmodi triennium p.378. et ſeq.

Reſidentia. An Clericus, qui non fecit reſidentiam in loco, in quo habet beneficium, teneatur reſtituere fructus p. 682. & ſeq. Reſidentia an ſit juris divini, vel duntaxat Eccleſiaſtici p.682. et ſeq. Quid importet hujuſmodi reſidentia p.683. et ſeq. Qui Beneficiarii teneantur ad reſidentiam p. 684. et ſeq. Utrum hujuſmodi reſidentia debeat eſſe continua, ut iiſdem nunquam liceat abeſſe p.685. et ſeq. Utrum requiratur cauſa, ut Beneficiarius frui poſſit abſentia per Concilium permiſſa p. 686. et ſeq. An pro Conciliari abſentia neceſſaria ſit Superioris licentia p.687. et ſeq. An Epiſcopi, itemque Canonici, indigeant licentia Superioris, ut abſint ultra tres menſes iiſdem a Concilio permiſſos p.688. Quænam ſunt cauſæ, ob quas Epiſcopi, et Parochi legitime, & licite poſſunt abeſſe p. 688. et ſeq. Utrum Epiſcopi trimeſtrem abſentiam unius anni conjungere poſſint cum trimeſtri abſentia ſequentis p. 689. et ſeq. Quantum temporis permittatur Epiſcopis, ut immorentur in Urbe poſt ipſorum promotionem, & quantum pro viſitandis ſacris liminibus Apoſtolorum p. 690.

Reſtitutio quid ſit p.4. Quomodo diſtinguatur a ſolutione, & ſatisfactione p.5. Propoſitiones damnatæ circa eandem p.5. et ſeq. Quænam ſint, & quot ipſius radices p.9. & ſeq. Quis reſtituere teneatur p. 3. Cui reſtituenda pecunia eſt, quam quis accipit, ut ferat teſtimonium p.607. & ſeq. Utrum ille, pro quo ſententia injuſta data eſt, teneatur reſtituere p.631. & ſeq. Utrum fructus arboris, et arbor ipſa, reſtituendi ſint illi, in cujus campo arbor habet radices principales p.654. et ſeq. Utrum faciens aliquam ſpeciem de materia aliena teneatur reſtituere ſpeciem ipſam, vel duntaxat æſtimationem materiæ p. 655. et ſeq. Quid juris, ſi res non immutetur, ſed alienam duntaxat meæ conjungam p.656. Quid, ſi duæ materiæ duntaxat confundantur p. 656. Quid, ſi duæ materiæ duntaxat invicem admiſceantur p. 656. et ſeq. Utrum ſeminans in alieno, vel pingens, vel ſcribens, poſſit recipere quod fecit p.657. et ſeq. Utrum res rapta, vel furata, ſemper ſit vero Domino reſtituenda p.742. et ſeq. Utrum res ablata ab eo, qui non erat Dominus, ſed illam duntaxat juſto aliquo titulo poſſidebat, eidem ſit reſtituenda p.748. Utrum res, quæ ad aliquem pervenit titulo locationis &c. reſtituenda ſit Domino, vel furi, qui eam alteri dedit tali titulo p. 749. et ſeq. Utrum res rapta illi, qui nec erat Dominus, nec eam retinebat juſto titulo, ipſi ſit reſtituenda p. 750. et ſeq. Utrum habentes de bonis Infidelium ex uſuris &c. teneantur ea ipſis reſtituere p. 751. & ſeq. Utrum accipiens pecuniam alterius poſſit eam dare creditoribus veri Domini, vel teneatur illam reſtituere Domino, a quo abſtulit p.752. et ſeq. Utrum accipiens ex dono ab illis, quos ſcit donare ob malam cauſam, poſſit acceptum reſtituere donatori p.753. et ſeq. Utrum acceptum ex cauſa, quæ ſolum ſit turpis reſpectu recipientis, reſtituendum ſit ei, qui dedit p. 755. et ſeq. Utrum illi, qui longe diſtat, reſtituendum ſit ſuum, tametſi non poſſit ei mitti ſine ſumptibus p. 757. et ſeq. Cujus ſumptibus mittetur p. 758. et ſeq.

et ſeq. Utrum, dum plures obligati ſunt in ſolidum, et unus totum reſtituit, alii teneantur huic ſolventi quilibet pro rata p. 759. et ſeq. Utrum reſtitutio incertorum fieri debeat in loco, in quo datum eſt damnum p. 782. et ſeq. Utrum Dominus, qui non poſſet ex integro reſtituere, etiam ſi venderet quidquid habet, adhuc habeat aliquem modum reſtituendi p. 816. et ſeq.

Reus. Ad quid teneatur negans in judicio crimen verum, de quo fuit accuſatus p. 67. & ſeq. An peccet mentiendo eo in caſu p. 69. Quid requiritur, ut dicatur interrogatus ſervato ordine juris p. 69. An eidem dari poſſit juramentum de dicenda veritate p. 70. An reo juſte damnato liceat vim facere Miniſtris, & Cuſtodibus p. 180. An reo poſſit imponi, quod ſibi mortem inferat p. 180 et ſeq. An reus damnatus ad fame moriendum peccet ſumendo cibum p. 181. An reus ſic condemnatus teneatur comede[illegible] p. 181.

S

SAcramenta. An extremo ſupplicio damnatis ſubminiſtranda ſint Sacramenta, & peccent id prohibentes p. 37. & ſeq.

Seducens, aut ſtuprans virginem utrum teneatur, & ad quid p. 19. & ſeq. Quid ſit ſtuprum p. 21. Quid ſi puella conſenſentiat p. 23. An puella tueri poſſit propriam pudicitiam cum occiſione aggredientis p. 24. An qui ſolis precibus, munuſculis, & ſuaſionibus virginem pertrahit in conſenſum teneatur ad pœnas in Canone præſtitutas p. 24. & ſeq. Quid juris, ſi ſtuprationi accedat vera, aut ſimulata promiſſio matrimonii p. 25.

Sepelientes in loco ſacro uſurarios manifeſtos, qui non ſatisfecerunt, nec cautionem præſtiterunt idoneam, an teneantur p. 111. Fingentes duntaxat hujuſmodi ſepulturam an etiam teneantur p. 113. Qui comprehendantur in hoc caſu ſub nomine ſepelientium p. 113. & ſeq.

Simonia. Utrum acceptum ſimoniace ſit reſtituendum p. 556. & ſeq. Quid ſit ſimonia, & qualiter contrahatur p. 556. & ſeq. Propoſitiones damnatæ ſuper ſimonia p. 557. Quid ſimonia juris naturalis & divini, & quid ſimonia juris Eccleſiaſtici p. 557 & ſeq. Diviſio ſimoniæ in mentalem, conventionalem, realem, & confidentialem, & qualiter eveniant p. 558. & ſeq. Conſtitutiones Pontificiæ contra ſimoniam confidentialem p. 559. & ſeq. Pœnæ præcipuæ latæ adverſus Simoniacos p. 560. & ſeq. An ſimoniace accepta ſemper ſint Eccleſiis reſtituenda p. 562. & ſeq. Simonia mentalis ſola pœnitentia deletur p. 563. & ſeq. An ſimonia ſit crimen mere Eccleſiaſticum, ejuſque cognitio ad ſolum pertineat Eccleſiæ forum p. 565. & ſeq. Utrum conferens bona ſua Eccleſiæ cum pacto, quod recipiatur in Canonicum, & ea ſibi retineat pro Præbenda, committat ſimoniam p. 566. An liceat vendere jus patronatus alicujus rei ſpiritualis p. 566. An ſine vitio ſimoniæ liceat alteri dare aliquid temporale, ut faciat opus aliquod ſalutare in ſui utilitatem p. 567. & ſeq. Utrum ante ſententiam Judicis dimittere quis debeat, quod accepit ſimoniace p. 569. & ſeq. An hoc locum habeat in eo, qui Beneficium ſimoniace obtinuit ipſo inſcio p. 570. An ſic proviſo faveat Regula Cancellariæ Apoſtolicæ de triennali poſſeſſione p. 570. & ſeq. An locum itidem habeat in eo, qui conſulto prohibuit, ne aliquid daretur a quoquam p. 571. & ſeq. An, ſi inimicus conſulto daret pecuniam, ut alterius electionem inficeret, electus fraude cognita teneatur dimittere Beneficium p. 572. Quis diſpenſare poſſit cum eo, qui Beneficium conſecutus eſt ſimoniace p. 572. & ſeq. An ſit ſimonia alicui conferre, vel procurare Beneficium ratione conſanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ p. 573. An Epiſcopus ſine ſimonia poſſit alicui conferre Beneficium intuitu obſequii ſibi præſti-

ti

ti p.573. & ſeq. An ſimoniacum ſit aliquid accipere ob ingreſſum in Religionem p.574. & ſeq

Solutio. An debitor teneatur, ſi alter creditori ſuo ſolvat ſine ipſius mandato p. 441. & ſeq. An ſolvens filio familias ſine conſenſu patris, vel pupillo ſine auctoritate tutoris, teneatur iterum ſolvere p.442. & ſeq. An ſolvens indebitum per errorem poſſit ipſum repetere p.443. & ſeq. Quid, ſi ſolvat ſciens ſe nihil debere p.444. Quid, ſi ſolvat dubitans, an debitum ſit ſolutum nec ne p. 444. An ſolutio ex contractu debita fieri debeat ſecundum æſtimationem, quam habebat moneta tempore contractus, aut ſecundum eam, quam habet tempore ſolutionis p.513. & ſeq.

Statutum. Edentes ſtatuta contra libertatem Eccleſiæ, vel quod uſuræ ſolvantur, vel &c. an teneantur p.337. & ſeq.

T

Tempus in reſtitutione facienda. Utrum ſtatim quis teneatur reſtituere alienum p.792. & ſeq. Utrum ille, qui non vult reſtituere cum poſſit, ſed hæredibus ſuis imponit, ut reſtituant, ſatisfaciat obligationi ſuæ p. 797. Utrum ille, qui non poteſt reſtituere ſine damno animæ ſuæ, vel corporis, vel famæ, teneatur ſtatim reſtituere p. 800. & ſeq. Utrum qui reſtituere non poteſt ſine magno damno ſuo temporali, ſtatim reſtituere teneatur p.802. & ſeq. Nulla dilatio permittitur furi, qui penes ſe adhuc habet vel rem furatam, vel æquivalentem p. 803. Utrum debitor in gravi neceſſitate exiſtens teneatur ſaltem ſtatim reſtituere, dum creditor eadem neceſſitate premitur p.804. & ſeq. Utrum obligatus ad multa incerta, & non valens ea omnia reſtituere, obtinere poſſit ab Epiſcopo licentiam differendi reſtitutionem, vel non reſtituendi p.813. & ſeq

Teſtamentum uſurarii manifeſti abſque debita cautione an valeat p.111. Dum quis teſtamento legavit in perpetuum quaſdam monetas ſpecificas, an attendi debeat valor ipſarum prout erat in uſu, quando conditum fuit teſtamentum p.516. & ſeq.

Teſtis. Teſtes adhibiti in Inſtrumentis uſurariis an teneantur p. 89. Utrum falſus teſtis teneatur de omni damno p. 603. et ſeq. Falſus teſtis habendus etiam ille eſt, qui veritatem occultat, quando eam aperire tenetur p. 605. Qui accipit pecuniam, ut teſtimonium ferat, eam tenetur reſtituere, et convictus repellitur a teſtimonio ferendo p. 607. Teſtis tuta conſcientia poteſt petere, et recipere expenſas, ſi quas cogatur facere pro ferendo teſtimonio ad petitionem partis p. 608. An teſtis legitime interrogatus teneatur revelare ea, quæ ſub ſecreto ſibi commiſſa ſunt p. 609. An idem teſtis teneatur revelare, quod jure jurando promiſit ſe non revelaturum alicu[illegible]. 609. et ſeq. An idem teſtis teneatur aperire veritatem, ſi unicus ipſe ſit, et res alteri non ſit nota p. 610. An qui ex malitia, vel culpabili inadvertentia falſum teſtimonium dixit, teneatur illud revocare cum pari ſuo damno et periculo p. 610. et ſeq. Ad quid teneatur teſtis, qui memoria deceptus, debita licet adhibita diligentia, teſtatus eſt falſum p. 612. An quis in cauſa propria aſſumi poſſit in teſtem p. 612. et ſeq.

Theſaurus. Utrum inveniens theſaurum occultum teneatur p. 646. & ſeq. Theſaurus quid ſit p. 647. Utrum accedente Domini conſenſu poſſit quis inquirere theſaurum in alienis terrulis, & quid juris ipſo invento p. 648.

Torneamenta quid ſint p. 542. An acquiſitum in torneamento ſit reſtituendum p. 542.

Tranſactio. Utrum tranſactio facta propter obligationem ſaltem jure naturali indebitam excuſet eum, qui aliquid

tec-

recipit p. 457. & ſeq. Tranſactio propria quid ſit, & quid impropria p. 458. Conditiones ad juſtam, propriamque tranſactionem p. 458. An reſcindi poſſit tranſactio bona fide peracta, ſi poſtmodum conſtet de læſione ultra dimidium p. 459. Quid, ſi tempore tranſactionis quis ignorabat obligationem ſibi eſſe indebitam, quam poſtmodum cognoſcit eſſe talem pag. 460.

Trebellianica quid ſit, & quæ ejus origo p. 124.

Tributum quid ſit, et quotuplex p. 222. & ſeq. Tributa imponi poſſunt a Principibus, & iiſdem ſolvi debent a ſubditis p. 223. & ſeq. Quid juris in dubio de juſtitia tributorum p. 252. & ſeq. An tributa juſta ſolvi debeant etiam non petita p. 253. & ſeq. An cives electi ad dividenda tributa ad ratam teneantur, ſi alios gravent, alios exonerent p. 324. & ſeq.

Tutores pupillorum dantes ad uſuram, vel eam exigentes, an teneantur p. 95. An etiam teneantur, ſi uſuras exigant ab aliis in anteceſſum pacto firmatas p. 93. & ſeq. Tutor tenetur ſolvere pupillo uſuras lato modo acceptas, ſi congruo tempore non tradidit licitis fructibus pecunias pupillares p. 101. Statutum Galliarum ſuper hac re p. 101. Quantum ſit hujuſmodi intereſſe a tutore ſolvendum p. 102. An poſſit uti occulta compenſatione ad reſtituendas uſuras, dum pupillus ei fecit proteſtationem p. 102. Patruus tutor negotium gerens nomine proprio cum pecunia communi, lucrum quidem facit ſuum, ſed tenetur ſolvere uſuras debitas pecuniæ pupillari p. 725. & ſeq.

V

VEndere. Vendentes domos uſurariis manifeſtis & alienigenis ad fœnus exercendum, an pœnam incurrant ſuſtiſtam adverſus locantes p. 117. & ſeq. Vendentes, & facientes ea, quibus uti quis poteſt ad damnum proximi, an teneantur p. 314. & ſeq. An vendens rem plus juſto pretio teneatur p. 384. & ſeq. An jure civili permittatur, quod vendentes & ementes ſe invicem fraudent infra dimidium juſti pretii p. 386.

Veritas non ſemper judicari debet ex multitudine Auctorum p. 140.

Univerſitate recipiente uſuras, utrum omnes & ſinguli teneantur in ſolidum. p. 103.

Uſucapio. V. Præſcriptio.

Uſura quid ſit p. 79. & ſeq. Uſurarius mentalis an teneatur ad reſtitutionem p. 79. & ſeq. Aſſerere non eſſe peccatum exercere uſuras, eſt propoſitio damnata a Clemente V. p. 80. Quid juris, ſi mutuatarius ignorans pravam mutuatoris intentionem auctarium largiatur libere p. 82. An gratis dans mutuum teneatur reſtituere auctarium ipſi datum, quia credebant eum ſic velle p. 83. An in hoc caſu bona fides præferibat in favorem mutuatoris p. 83. An inducens alium ad fœnerandum teneatur p. 83. & ſeq. An peccet qui neceſſitate impellente mutuum accipit ſub uſuris p. 87.

Uſurarius. An omnis uſurarius ſubjiciatur pœnis poſitis in Canone p. 104. & ſeq. Quis dicatur uſurarius manifeſtus, ut iiſdem ſit obnoxius p. 105. Uſurarius manifeſtus decedens ſine ſatisfactionè, aut idonea cautione, an tradi debeat ſepulturæ Eccleſiaſticæ p. 112. Quid, ſi reſtitutionem injungat hæredi p. 112. An acquirat dominium in rebus habitis pro uſuris p. 132. & ſeq. An teneatur reſtituere quid quid lucratus eſt ex rebus uſurariis p. 148. & ſeq. An uſurarii, aliive violenter uſurpantes alienum, gaudeant privilegio, quo fruuntur cedentes bonis p. 446. & ſeq. Utrum manifeſtus uſurarius poſſit recipi ad confeſſionem non facta prius cautione p. 797.

Digitized by Google

Digitized by Google